


Stewart.

4917.

ACTA
SANCTORUM CHRISTI
MARTYRUM
VINDICATA.



2013
1811



FV

ACTA
SANCTORUM CHRISTI
MARTYRUM
VINDICATA

AB
ODOACRE ILBACHIO
SIVE A
JACOBO LADERCHIO
Congregationis Oratorii Urbis Presbytero.

PARS PRIOR.

Cogitaverunt adversus Sanctos tuos.
Pfal. LXXXII. vers. IV.



ROMÆ, MDCCXIII.
Sumptibus Laurentii, & Thomæ Pagliarini Bibliopol.

Ex Typographia Rochi Bernabò.)(*Præsidum permissum.*



PRÆFATIO.



ANDOQUIDEM neminem ferè latere arbitror, quot, quibusve maledictis conviciisve, passim à quibusdam Pseudo-Criticis laceffita sint Sanctorum Martyrum Acta; idcirco exponere supervacuum penè censeo, cur

illis vindicandis me dederim.

Hujusmodi igitur illorum conatibus obviam iturus, animadvertendum tamen duxi, ad eò communia cum Hæreticis eorum studia, ut una, cuncta eadem SS. Martyrum Acta, discutiendi, ac prohibitu rejiciendi pertinax cura, (singularum etiam sententiarum illorum examinatione posthabita) hæresis nomine, non Ecclesiasticæ rigore Censuræ, sed per quandam tamen analogiam haud immeritò notanda perhibeatur. Cum enim sint: *Hæreses*

Tertull. de præscript. lib. pag. 364.

¶

pre-

PRÆFATIO.

*pretatione electionis, qua quis, sive ad instituen-
das, sive ad suscipiendas doctrinas utitur. Et iis,
qui Orthodoxi censentur, ut ipsemet scribit: No-
bis (dicens) nihil ex nostro arbitrio indulgere licet;
sed nec eligere, quod aliquis ex arbitrio suo elegit;
minime liceat, nec ex arbitrio eligere, nec quod
aliquis quilibet pro arbitrio elegit, amplecti: quis
neget hæresis notam, aliquatenus eorum simili in-
genio inurendam, qui quotidie quærunt, ut eli-
gant, quod pro arbitrio credant, vel eligunt, quod
hic, vel ille, pro libitu elegit? Non negabunt,
(inquit contra Marcionem scribens Tertullianus
idem) Discipuli ejus primam illis fidem nobiscum
fuisse, ipsius literis testibus: ut hinc jam destinari
possit Hæreticus, qui deserto quod prius fuerat, id
postea sibi elegerit, quod retrò non erat. Non ne-
gabunt, (liceat & mihi ejusdem Tertulliani verbis
hodiernos Pseudo-Censores alloqui) Majoribus suis,
immò aliquando etiam sibi ipsis, primùm SS. MM.
Actis fidem nobiscum fuisse; illorum, & suis fortè
literis testibus: ut hinc jam nuncupari possint, ex
novæ electionis vocabulo Novatores, qui deserto,
quod priùs fuerant, id postea sibi elegerint, quod
retrò non erant. Ratio hujus, ex Tertulliano eo-
dem, in promptu est: *In tantum enim hæresis de-
putabitur, quod postea inducitur: in quantum
veritas habebitur, quod retrò, & à primordio
traditum est.* Si igitur per tot annorum seriem,
vera*

Itid. ut sup.

*Tertull. lib. 1.
contr. Marc.
post imit. pag.
53.*

P R Æ F A T I O

vera antea habita sunt Martyrum Acta, atque à tot Doctoribus ut talia habita, & inconcussa servata sunt ab Ecclesia: quo pacto, quæ iis modo impinguntur falsitatis crimina, nova electio deputanda non erunt?

Nihilominus, quia ex communi, quem res obtinuit, loquendi usu, licet omnis Hæresis electio sit, non tamen idem omnis electio Hæresis merito dicenda est, cum ea electio Hæresis vocabulo dumtaxat notetur, quæ fidei dogmata impetere præsumit; idcirco quia Acta SS. Martyrum fidei dogmata non sunt, censuræ, quibus recentiores in ea invehuntur, Hæresum nomine merito designari non possunt. Quoniam verò, è contra ab Ecclesia Acta SS. Martyrum fidelibus (quamvis strictissimè, uti dogmata, proposita non sint ut credantur), tamen ut credibilia, & ut aliquo modo credantur proposita esse nemo diffiteri potest; ea de causa, tantum eis hæresum vocabulum congruere posse cognoscitur, quantum à fide, quam illis ipsis haberi velle Ecclesia eadem ostendit, abducere depræhenduntur. Nam cum tantum autoritatis Augustinus tribuerit Ecclesiæ dicenti, ut scribere non dubitaverit: *Ego Evangelio non crederem, nisi me Catholica Ecclesiæ commoneret auctoritas*: profectò, sicut qui tantam in essentialibus fidei dogmatibus autoritatem spernit, Hæreticus pronunciandus est; sic, qui eam ipsam in

*D. August. cont.
Epist. Manich.
di. fundam.
Tom. 6. cap. 5.
pag. 42.*

PRÆFATIO.

iis contemnit quæ aliquo modo ; sua eadem auctoritate , credenda , credibiliaque proponit ; eandem notam , debito rerum respectu habito , penitus evadere non posse convincitur .

Ad hæc accedit , quod ipsa ferè ratione in SS. Martyrum Actis dijudicandis sese gerere Pseudo-Censores hodierni agnoscuntur , qua Hæreticis mos est ; spreto siquidem subjectionis , excussoque cujusvis obedientiæ erga Ecclesiam ipsam jugo ; Hæreticorum unusquisque sibi ipsi regulam fidei præfinire pro libito præsumit ; quod quidem suarum hujusmodi censurarum temeraria garrulitate , cumulatissimè hodierni Pseudo-Censores præstant ; dum captivare abnuentes in omnibus ab Ecclesia propositis intellectum , ex Martyrum Actis ea tantum recipiunt , quæ pro arbitrio placent , cœtera rejiciunt , irridentque , quæ iis non arrident , plurimarum fidicularum mirifici constructores : liberumque sibi autumant credere , quæ sibi probantur , quæ verò non probantur , conspuere .

Sed quod , proh dolor ! detestabilius est , iisdem ferè argumentis , quibus veri Hæretici , nec non Gentiles , ac Judæi frustra sacrorum librorum auctoritatem , veritatemque dejicere connixi sunt ; iisdem etiam rigidiores Censores hodierni , veritatem , auctoritatemque Actorum Sanctorum Martyrum impellere , sternereque connituntur ; itaut nescires , an à Censoribus Hæretici , vel potius ab
Hæ-

PRÆFATIO:

Hæreticis Censores istiusmodi differendi modum acceperint, nisi ex temporum supputatione, rationeque, hos illis posteriores, compertum haberes; licèt, ut infra dicam, recentiorum Hæreticorum colluviem, non nisi ex Pseudo-Censorum fonte emanasse constet.

Quibus & summo quidem animi dolore commotus, in conscribendo hoc opere eum ordinem tenendum putavi, quod in primo Libro satis esse ducerem si censuras plures Gentilium, Hebræorum, Hæreticorumque (non tamen diligentissimè explicatas, sed omnibus ferè obvias), in omnes, tum Veteris, tum Novi Testamenti Libros, præ oculis ponerem: ad hoc ut sapiens Lector (immò Censores ipsi) considerare seriòque perpendere possent, an eædem, vel aliæ ab his censuræ sint illæ, quibus ipsi SS. Martyrum Acta impetere contendunt; faterique idcirco cogantur, tales in iisdem Actis Martyrum dejiciendis habuisse doctores; quales Hæretici, Ethnicique magistros, doctoresque habuere; & hinc, si reprobandas existimaverint (ut pium est credere), nihilique pendendas contra Sacrorum Librorum veritatem censuras easdem judicaverint; pari modo, & ab iis ipsis, quibus Acta Martyrum impugnant, abhorre discant censuris, utpote nullius momenti, falsitatisque ab eadem Sacrarum Scripturarum infallibili veritate evictis. Dum enim ad unius veritatis expugnatio-

nem

PRÆFATIO.

nem conspirant censuræ ipsæ, parum, vel nihil interest, ut in hæc, vel illa invehantur; atque ad hoc ut perspicuè constet, nihil contra veritatem valere; quodnam validius argumentum, quàm si contra eam, quam verissimam veritatem nemo negat, nihil prævalere potuisse, firmissimè demonstratur?

Modestiùs tamen ut agerem, quàm res ferret, ac nè acrius quàm deberem istiusmodi Pseudo-Censores perstringere viderer; sapientis ejusdem Lectoris iudicio reliqui, ut censuras hæreticorum cum iis Criticorum Actorum Martyrum conferret; perpenderetque, an istæ eadem cum illis sint, vel ab illis saltem acceptæ derivatæque censeferi possint. Verum quidem est, quòd dum in Secundo, Tertio, ac Quarto hujus Operis Libris, vel in genere, vel in specie, tum ab Ecclesiasticis Libris, tum à profanis monumentis à Criticis desumptas censuras in trutina posui; nullius ponderis esse non aliunde cognovi, cognoscendasque proposui, quàm ex Patrum potissimum scriptis, quibus Hæreticorum animadversiones repellere validissimè consueverunt; adeò siquidem disertè, cum contra illas calamum exacuere, hodiernas istas pariter diluisse noscuntur; ut ulterius nihil desiderari posse videatur, ac, ut ita dicam, ne excogitari quidem, ut à censuris ipsis SS. Martyrum Acta validissimè vindicarentur.

Et

PRÆFATIO.

Et hac quidem ratione , immensum ferè opus, quod , ad vindicanda universa Martyrum Acta , suscipiendum erat , brevi compendio (quale mihi , vel majoris ponderis studia , vel temporis angustia indulserunt), perficiendum curavi . Quidnam enim fuisset , per singula recensere voluisse eadem Martyrum Acta , censurasque omnes , quibus iis detrahitur , percurrere tentasse ? Quænam temporis jactura , ac labor inanis , in futilibus plerumque censuris iisdem refellendis immorari voluisse ? Nonnè molesta quædam necessitas incubuisset , millies eadem repetendi , quibus ea refellerentur , quæ millies etiam SS. Martyrum Actis objiciuntur , cum contra singula , & universa , licet verbis aliis fortasse dicta , eadem tamen esse depræhendantur ?

Ut paucis igitur complecterer , quod innumeris ferè voluminibus consequi vix potuissem ; ex censuris omnibus , quibus Acta SS. Martyrum impugnari cognovi , selectis iis , quas majoris ponderis habendas esse duxi , quarumve frequentiore usum apud Criticos novi , generalem quandam de illis , in his , quos memoravi libris , disputationem institui . Quia tamen operis hujus laborem sumpsi , ut nonnulla potissimum SS. Martyrum Acta à maledictis , quibus lacefferentur defenderem ; ideò in Quinto ejusdem Libro peculiaribus , quibus Critici ea impetiere censuris , respondere coactus fui .

Sex-

P R Æ F A T I O .

Sexto demum Libro totus in eo fui , ut ostenderem hodiernorum Censorum inanem propè conatum , nec non ingens , ab hujusmodi eorum studio Ecclesiæ Dei illatum incommodum . Hoc enim conatu , hoc ipsi studio , *Hanc gloriam* (ut verba Tertulliani usurpem) *magis captant , si stantibus ruinam , non si jacentibus elevationem operentur : quoniam , & ipsum opus eorum , non de suo proprio edificio venit , sed de veritatis destructione nostra suffodiunt , ut sua edificent &c.* Quo fit (ut ipse subjungit) *ut ruinas facilius operentur stantium edificiorum , quàm extruções (ut ipsimet jactant) jacentium ruinarum .* Cuncta siquidem Ecclesiasticæ antiquitatis monumenta quotidie volunt , ac revolvunt , ut nimio quodam se veritatis amore teneri , simplicibus , indoctisque suadeant : neve falsum aliquid , vel minimum , pro vero , fortè subrepat . Quæ quidem *Omnia scrupulositatis incitamenta* (inquit Tertullianus idem) *invenias prætendi ab Hereticis : ut fidem , ac veritatem opprimant , evertantque : idèdque , nihil etiam interest illis , licet diversa tractantibus , dum ad unius veritatis expugnationem conspirent . Unde omnes tument , omnes scientiam pollicentur , sibi que dictum illud interpretantur : Omnia examine , quod bonum est , tenete . Quasi* (ejusdem Tertulliani sunt verba) *non liceat , omnibus male examinatis , electione alicujus mali impingere per errorem .*

Cum

Tertull. de præscrip. pag. 39.

Id. sup. pag. 39.

PRÆFATIO.

Cum igitur hodiernorum Pseudo-Censorum ingenium huiusmodi esse noverim, iisque insuper aptissimè congruere deprehenderim, quod Augustinus scribit: *Sicut (inquiens) nostri Auctores, Divinarum, scilicet, litterarum, de rebus maxime cogitaverunt: sic mundanorum Auctorum propè omnis cura de verbis est; cum, videlicet cumulatissimam de verbis curam gerentes, ex ipsis potissimum desumant Pseudo-Censuras eas, quibus Sanctorum factis detrahant; in eo, quem dicebam sexto Libro, studia Pseudo-Censorum improbanda esse, pro viribus demonstrare contendi. Quod enim ei, immò toti operi huic elaborando me dederim, præter illa, quæ dixi, illud etiam fuit, quod timendum, ac magnoperè metuendum credidi, nè ex hoc Pseudo-Censorum hodiernorum conatu, Catholica fides in summum illud ferè discrimen modò rursus adduceretur, in quod à recentiorum hæresum colluvie impiissima, proximioribus nostro seculis, ipsammet perductam conspeximus: unde Criticorum eorundem opus, non solum ex electione, ut diximus, quodammodo hæresis dicendum sit; sed magis, etiam ex eo averfari debeat, quod veras tandem hæreses parere queat. Audi enim, ex quo fonte Lutherana, quæ primùm prodiit, potissimum hæresis profluxerit, ex Oderico Raynaldo in suis Annalibus, sub anno Redemptoris 1516. n. 84.*

*D. Aug. Tom. 6.
lib. cont. Adimant. cap. 11.
pag. 69.*

*Tom. XX. pag.
219.*

d

Ar-

PRÆFATIO.

Ardebant hoc tempore in Germania graviora odia inter politiorum litterarum studiosos, ac Theologos; ex quibus postea, auctore Luthero immensum hæreseos incendium conflatum est. Florebat laude litteraria Joannes Reuchlin Capion Pborecensis legum doctor, linguarum trium Hebraica, Græcæ, & Latinae penè ex æquo peritus, ut ait Baselius. Cum verò editis libris Hebraicae linguae cognitionem intulisset Germania, & Caballicas nugas, ut Genebrardus testatur, sectaretur; rogatus etiam à Maximiliano Cesare, ut sententiam de abolendis nonnullis libris Hebraicis, quos fidei Censor flammis injiciebat, proferret, Judæis favere visus est adeò, ut Jacobus Hocstractus, ex Prædicatorum Ordine Theologus, qui censuram agebat, illi crimen hæreseos intenderit. Commota fuit inde in Dominicanos maxima invidia; quippe litterarum cultorum amantes, quorum princeps Erasmus Roterodamus erat, Reuchlini causam tuendam suscipere, conscriptis libellis, non Dominicanos modo, verùm omnes Theologos veluti agrestes, & barbaros, ob vocum inconditarum in scholis usum deridere, ludibrioque habere, cœperunt: tum verò maxime religiosarum familiarum alumnos proscindere distiteris, & per ora hominum traducere; nec non Sacrae Fidei Censores insimularunt tyrannidis intoleranda, qui viros claros, quorum gloria splendore perstringerentur, per invidiam, ac summum

ne-

PRÆFATIO.

nefas, inustâ hereseos notâ opprimere niterentur.

Discussâ Reuchlini causâ, Theologi, ut invidi calumniatores male audierunt in aula Casarea, quod Maximiliani ad Leonem Pontificem afferenda literæ indicant: tum verò apud subsellia Apostolica non defuere, qui eundem Reuchlinum tue-
rentur, accusatoresque, ut iniquos deterrerent; inter quos Albertus Pius Carporum Princeps eruditionis laude præstans extitit. Inde verò censorum fidei auctoritas adeò obsolevit, ut exorientem peste Lutherum heresiarcham, comprimere non potuerint: nam cum Theologi illum iudicio cœpissent persequi, universa mox Rhetorum, ac Poetarum cohors, malevolentia jam ex Reuchliniana causa imbuta in Theologos, illi se improvide conjunxit. Atque hinc constat esse turbinem Lutheranum, qui adeò Ecclesiam Dei concussit, affirmat constanter Albertus Pius in suo responso primo ad Erasmus; qui cum maximus mali auctor esset, ut inferius videbimus, commotum hunc turbinem à Sacerdotum quorundam palam impia vita, ac Theologorum fastu, & Monachorum tyrannide effutierat; addideratque: Non dubito quin audita tibi sit Reuchlinica tragedia. Hinc cœpit in illos incrudescere doctorum odium: mox fervente adhuc bello inter mystas, & osos musarum, exortus est Lutherus. Hac ille; cujus calumnias refregit Albertus Pius; & quantum flagitium Rhetores,

PRÆFATIO.

ac poeta, qui ex concepto in Theologos odio, propugnationem hæresis temere præcipitanterque susceperit, commiserint, ita illustrat.

Alia profecto magis fecerunt locum huic tempestati, quæ, & tu non inficiaris, cum ais: Principio erat cum linguis, ac bonis literis bellum Theologorum, &c. Illa enim verius origo fuit: inde conflata invidia inter Thomistas, & Theologos, ob eorum symbolum, & politiorum litterarum auctores: inde exorta controversia Reuchlinica, ex quo fonte primæ aquæ scaturiere. Non enim illius causæ expers fui, immò & mea erga viros doctos consuetudine, non vulgariter favi Reuchlino apud Leonem X. Pontificem Maximum, quod litteræ ipsius ad me testantur; & sepe monui, deterruique accusatorem ipsius Hochstrætum, nè tam vehemens esset, mitiùsque in ipsum ageret. Ex questione illa prodire primum epistolæ obscurorum virorum, quibus festiùs ridebantur Theologi minus elegantes: quas me fateor legisse, non sine quadam voluptate; ludum tamen nunquam probavi. Inde igitur demùm factum est, quod & tu ingenuè fateris, ut quot quot vestratium amabant bonas literas, se Lutheri nascenti furori, fautores exhibuerint. Hæc causa tantorum malorum fuit: hinc enim Luthero natura temerario audacia crevit, & arrogantia, tantis videlicet auxiliis confidenti. Quantò, bone Deus, fuit optabilius, ut hi, qui se

PRÆFATIO:

se Lutbero addixerunt, quasi nacti opportunum ducem ad profligandos Theologos, non tanto ardore bonis literis favissent? Quantò salubrius, ut illas nunquam didicissent, quàm ut earum occasione, tam vastum incendium excitassent, quo ferè universa Germania conflagravit? Quantò commodius Germaniæ, ut hæc bonæ litteræ alpes nunquam transcendissent? Et infra.

Sed nunquid hæc bonis literis imputabuntur? minimè: absit ut bonis artibus nota talis inuratur; quarum professores multi sunt, qui in eximia pietate persistunt, ac pro vera catholicaque religione propugnant. At increpandi sunt ipsorum nonnulli, qui illis fuerint abusi, quos scribis, mox nato Lutbero, penitus adhaesisse. Grammatica enim, & Rethorica, Poesisque peregregiæ, & utilissimæ artes sunt, & necessariae: verumtamen studia earum sapientem non efficiunt, quinimmò, & plurimi ab ipsis arrogantes, & temerarii evadunt, si illis tantùm incubuerint: nec mirum, cùm doceant, congruè, & commodè proloqui, concinnè dicere, dictione oblectare, non autem res ipsas rectè existimare: quamobrem, ut scis, per antiqua fuit questio, an studium eloquentiæ Reipublicæ magis obsesset, quàm posset prodesse; definitumque est, plus incommodi afferre solere, quàm commodi, nisi cum sapientia fuerit conjuncta; quod novissimo exemplo comprobarunt isti disertis magis, quàm verè elo-
quen-

P R Æ F A T I O .

quentes Germani, qui se Luthero dediderunt, qui si equè sapientiam, ac elegantiam sermonis coluissent, non apud eos plus valuisset invidia in quosdam Theologos, quàm reverentia veri & honesti; non plus cupiditas vindictæ, quàm religionis causa, & amor patriæ. At, ut furentes gladio, ita ipsi eloquentia abusi, Germaniam cunctam in seditionem induxerunt: cui facultati, si parcius operam præstitissent, & partem aliquam tribuissent sapientiæ; neutiquam tanti sceleris societatem iniuissent. Hæc Albertus; qui in alio commentario doctè ostendit; quàm immeritò latinarum elegantiarum cultores invehantur in Theologos respuantque sapientiam incultis verbis traditam; cum omnis verborum vis, & elegantia ex gentium arbitrio pendeat; interque spinas etiam legantur rosæ, nonnullisque interjectis verbis subdit:

Non tam ingentibus periculis immensisque laboribus, perquirimus aurum, & gemmas in visceribus terræ, antra, & cuniculis subeuntes, nec illa aspernamur; quamvis natura, ut plurimum, non ipsum ferat obrizum, & sincerum, sed spurca, & fulginea materia, lapidibusque, & terra balitibus sulphureis suppurata commixtum, quod è sordidis fodinis eruimus; nec profundis maris gurgites metiri veremur, ut margaritas in conchis saxo affixis delitescentes colligamus. Sapientiæ documenta, cui aurum, gemmæ, & omne quod pre-

P R Æ F A T I O .

pretiosum est collatum , veluti squallida est , & informis arena , aspernabimur , quia non sermone resonanti , rotundisque verbis nobis tradatur , sed rudiori , & minus culto sermone ? Non equidem laudatissima vina refutamus , quamvis non gemo meo , myrrhino , aut cbrystallino , sed rudi poculo , utpote ligneo , aut fictili nobis propinentur , sed cupidissime illa baurimus , modo sitis non absit ; pari modo sapientiæ professores , utpotè semper illius sitientes , eam imbibere non respuunt , quocunque poculo proferatur .

Sic Pius apud Raynaldum , qui paulò post U. sup. num. 903 addit : *Immane hoc Gramatistarum , & Rbetorum Germanorum , quos maxima ex parte Lutherana heresi se irretiisse , visuri sumus , in Theologos odium propagatum est per ætates ad alios Hereticos , qui simili imbuti odio , Theologiæ ministros sanis infectantur .*

Quod Magistri sententiarum , inquit Surius , Scoti , Bonaventuræ , Alexandri de Ales , Thomæ Aquinatis , & similium Libros vocant ineptissimos , non certè facerent , si non ipsi essent omnium ineptissimi , & indigni potius , qui iis Viris ulla ex parte comparentur . Scioli isti grandes sibi sopheri videntur , quod bilingues , vel etiam utcumque trilingues interdum sint , noruntque scribere latinus , quàm illi Patres . Hæc ille . Sar. Comm. 1564.

Ex quibus , ni fallor , & illud quod innuebam,

PRÆFATIO

bam, precipuè cognoscitur, apertam in hæresim videlicet studia hujusmodi, nisi prudentia simul, & sapientia ducantur, tandem erumpere solere; & insuper manifestè deprehenditur, quod supra pariter monui, Actorum MM. nempè Censores nonnullos sine sapientia, ac prudentia, ea propemodum effutire consuevisse, ipsisque principiis inniti, super quæ Hæretici, hæresum suarum fabricam construunt. Quid enim tam solemne apud illos reperire est, quàm ut scholasticos, ut vocant, Theologos insectentur, eorumque studiorum rationem, imperitissimi ipsi, contemnant, conspuantque? Immò, ut iisdem SS. MM. Actis, turpissimè inconsulta pietate detrahant, nonne ea tamquam Monachorum figmenta passim irrident? Et quod venerandus in Ecclesia Dei Monasticus, ac Regularis Ordo contemptui habitus, ac quasi invisus, & à primævo suo instituto abhorrens, ab imperitis, impiisque hujusmodi hominibus hodiè tam crebrò dicatur; assiduèque, ut sancti propositi desertores, qui Monasticam vitam ducunt, exagitentur; cui demùm nisi iis tribuendum est, qui æquè triumphantes in Cœlo, ac militantes in terra Servos Dei deturpare cupientes, veneno, quod perfidissimus Criticorum Proto-patriarcha, ac Apostata Erasmus, eis propinavit, passim simplicium, ac incautorum animos inficiunt, decipiuntque? Verùm ut apertissimè intelligatur, quo animo, quoyè sensù hodiè-

PRÆFATIO

Diernas Pseudo-Censuras Roterodami Apostatæ ; & sectatorum Criticorum, hæresim quodammodo sapere, hæresumque semina esse dixerim ; neve credatur, quod semel monui, iterumque monendum duxi, ex eo, quod Censores ipsi SS. Martyrum fastis detrahunt, putasse illos ideò à Catholica veritate defecisse ; ad censuras easdem refellendas non aliis, quam rationibus, auctoritatibus, fundamentisque usus sum, quorum veritatem in questionem, ac dubium vocare apud Catholicos nefas, vel saltem temerarium est. Quod utique non fecissem si cum Hæreticis me congressurum existimassem, cum quibus certè de his alia via, aliaque ratione differendum fuisset. E' contra autem, quia nemo est qui ignoret, mirificos Censurarum hujusmodi constructores, ut plurimum Jansenistas extitisse, quibus nil magis cordi est, quàm ut Catholicam Ecclesiam, (cui se subicere obfirmato animo detrectant) , errore deceptam passim ostendant ; gradumque ut sibi faciant, ab iis, quæ fidei humanæ innixa, ab ea proponuntur, ad ea dejicienda, quæ Divina auctoritate credenda decernit, toto insudant conatu : idcirco, quod ipsi Discipulorum S. Augustini se glorioso nomine perperam contigere studeant, præstantissimi ejusdem Doctoris auctoritate potissimum eos refellendos, revincendosque existimavi.

Nihilominus conatum hunc meum sumopere

c

im-

P R A E F A T I O .

improbandum non dubito à plerisque, quibus compertum est, Censuras in Acta Martyrum quas propulsare contendam, ab iis, qui, inter alios, doctissimi, sapientissimique censentur, uti verissimas, solidissimasque haberi. Verùm nil id horum me movit, memorem eorum, quæ Tertullianus de hæresibus differens scripsit: quod ipsæ videlicet dumtaxat, *De quorundam infirmitatibus habent quod valent, nihil valentes, si in benevolentem fidem incurrant.* Post quæ statim addit: *Solemt quidem isti Miriones, etiam de quibusdam personis, ab hæresi captis, edificari in ruinam: Quare illa, vel ille fidelissimi, prudentissimi, & usitatissimi in Ecclesia in illam partem transierunt? Quis hoc dicens, non ipse sibi respondit: neque prudentes, neque fideles, neque usitados æstimandos, quos hæreses potuerint dementare? Et hoc mirum (opinor) ut probatus aliquis retro postea excidat? Saul bonus, præ cæteris, livore postea evertitur. David vir bonus secundum cor Domini, postea cadit, & stupri reus est. Salomon omni gratia, & sapientia donatus à Domino, ad Idololatriam à mulieribus inducitur. Soli enim Dei filio servabatur sine delicto permanere. Quid ergo, si Episcopus, si Diaconus, si Virgo, si Vidua, si Doctor, si etiam Martyr lapsus à regula fuerit: idèd hæreses videbuntur veritatem obtinere? Ex personis probamus fidem, an ex fide personas? Cum juxta hanc*

*Tertull. Lib. de
Præscrip. c. 2.
Sub init. p. 35.*

Ibid., ut sup. c. 3.

P R A E F A T I O

hanc certissimam Tertulliani sententiam, ex fide igitur, ac pietate personæ probandæ sint, & non à personis pietas, ac fides; nihil prorsus apud me valere debet, disertissimos viros, censuris, quas improbare connitar, animo adhærere, cum à majore pietate, ac fide auctoritatis eorum pondus metiri debeam; non verò fidem, ac pietatem ab illis.

Cœterùm, ut paucis complectar, quæ toto hoc meo Opere continentur, Pseudo-Censorum quemlibet, de veritate Actorum SS. Martyrum, mecum differentem, Augustini verbis, debito ad rem adhibito moderamine, perstringam. *Aut ea, quæ dicis (eiusdem Augustini verba sunt) proba mihi vera esse, ut ostendas, quæ non possum credere: aut eum, qui dicit, proba mihi Spiritum Sanctum esse, ut credam, quæ non potes ostendere. Ego namque Catholicam fidem profiteor, & per illam me ad certam scientiam perventurum præsumo: tu verò, qui fidem meam labefactare conaris, certam scientiam trade si potes: ut id quod credidi, temerè me credidisse convincas. Duo sunt, quæ mihi profers, unum cum dicis Spiritum Sanctum esse, qui loquitur: & alterum, eum dicis manifesta esse, quæ loquitur. Utrumque abs te sine ulla dubitatione cognoscere debui, sed non sum avarus: unum horum doce. Ostende hunc esse Spiritum Sanctum, & credam vera esse, quæ dicis, etiam si nesciam: aut ostende vera esse quæ dicis,*

*Contra Epistolam
Manich. sum-
dam. Tom. 6.
pag. 43. cap. 24*

PRÆATIO

Et credam Spiritum Sanctum esse, etiam si nesciam. Nunquid equius aut benevolentius tecum agi potest? Sed tu, nec hoc, nec illud valens ostendere, nihil aliud elegisti, nisi laudare quod credis, et irridere quod credo. Cum igitur etiam ego vicissim laudavero quod credo, et quod credis irrisero, quid putas, nobis esse judicandum, quidve faciendum, nisi ut eos relinquamus, qui nos invitant certa cognoscere, et postea imperant ut incerta credamus: et eos sequamur, qui nos invitant prius credere, quod nondum valemus intueri, ut ipsa fide valentiores facti, quod credimus intelligere mereamur: non jam hominibus, sed ipso Deo intrinsecus mentem nostram firmante, atque illuminante? Et quoniam quaesivi, unde mihi probet, nunc quero unde ipse cognoverit. Si dicit sibi à Spiritu Sancto esse revelatum, suamque mentem divinitus illustratam, ut ea quae dicit, certa et manifesta cognosceret: ipse significat, quid intersit inter cognoscere, et credere. Ipse enim cognoscit, cui apertissime ista monstrantur: eis autem quibus haec narrat, non cognitionem insinuat, sed credulitatem suadet. Cui quisque temerè consenserit, Manichæus efficitur: non certa cognoscendo; sed incerta credendo: quales nos imperitos adolescentulos aliquando decepit. Debit ergo non nobis polliceri scientiam, neque manifestam cognitionem, neque ad id quod queritur sine ulla ambiguitate per-

PRÆFATIO.

perventionem ; sed dicere potius sibi ista esse monstrata : illos autem , quibus narrantur credere sibi debere , quæ nesciunt . Sed si hoc diceret , quis non ei responderet : SI ERGO INCOGNITA CREDITURUS SUM , CUR NON EA POTIUS CREDAM , QUÆ JAM CONSENSIONE DOCTORUM , INDOCTORUMQUE CELEBRANTUR , ET PER OMNES POPULOS GRAVISSIMA AUTHORITY FIRMATA SUNT ? HOC ILLE TIMENS , NE SIBI DICERETUR , OFFUNDIT NEBULAS IMPERITIS , PRIMUM POLLICENS RERUM CERTARUM COGNITIONEM ; ET POSTEA INCERTARUM IMPERANS FIDEM . Cui tamen si hoc dicatur , ut saltem , vel sibi hæc doceat esse monstrata ; similiter deficit , & hæc quoque ut credamus jubet :

QUIS FERAT TANTAM FALLACIAM , TANTAMQUE SUPERBIAM ?



AU-

AURELIUS PRUDENTIUS CLEMENS

ΑΠΟΘΕΩΣΙΣ.

In Prefatione altera.

A Rectam salutis vix viam discernere est ;
Inter reflexas semitas .
Tam multa surgunt perfidorum compita ;
Tortis polita erroribus ;
Obliqua sese conferunt divortia
Hinc inde textis orbitis :
Quas si quis errans , ac vagus sectabitur ,
Rectum reliquens tramitem ;
Scrobis latentis pronus in foveam ruet ;
Quam fodit hostilis manus :
Manus latronum , quæ viantes obsidet ;
Iter sequentes devium .
Quid non libido mentis humanæ struat ?
Quid non malorum pruriat ?
Statum laceffunt omnipollentis Dei
Calumniosis litibus :
Fidem * minutis dissecant ambagibus :
Ut quisque lingua est nequior ,
Solvunt , ligantque quæstionum vincula
Per syllogismos plectiles ;

* *fiam credu-
litatem, vel
credibili-
tatem .*

Væ

Væ captiosis sycophantarum strophis,
Væ versipelli astutiæ.
Nodos tenaces recta rumpit regula
Infesta dissertantibus.
Idcirco mundi stulta delegit Deus,
Ut concidant sophistica,
Deque imbecillis subjugavit fortia,
Simplex, ut esset credere.



I M-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro
Sacri Apostolici Palatii.

N. Episcopus Bojan. Vicesgerens.

APPROBATIO.

Admirabile Opus in duobus Tomis divisum sub Titulo: *Acta Sanctorum Christi Martyrum vindicata* Auctore Odoacre Ilbachio: mihi transmissum, à Reverendissimo P. Magistro Sacri Palatii Apostolici, ne dum magna animi voluptate, verum summa intellectus mei eruditione, accuratissimè perlegi. In eo namque inter alia, quæ præclarissimi, & non satis laudabilis Auctoris eximiam doctrinam, ac sincerum studium in vindicandis SS. Martyrum Actis, mirificè palàm faciunt; illud præcipuè emicare conspexi, quod dum probat, modernos Pseudo-Censores (quorum meo videri non est parvus numerus), eodem parente procreatos, eodemque afflato spiritu esse, ac Gentiles, Hebræos, Hæreticosque contra sacras Paginas insanientes, illos modestè convincit, & ædificabili charitate redarguit, ut à recto itinere deviantes, ad viam reduceret in censurando Veritatis. Hinc in eorundem SS. Martyrum splendorem, ac doctiorum utilitatem, in lucem prodire dignum, ac necessariùm censeo. Die 10. Augusti 1723.

*Marcellus Cremona Valdina J. V. & Sacra Theologia
Doctör, & Sacra Congregationis Indicis Consultor,
ac Signatura Justitiæ Votans &c.*

APPROBATIO.

1710

CUm ex mandato Reverendissimi P. F. Gregorii Sellaer Sac. Apost. Pal. Magistri, diligenter inspexissem *Acta Sanctorum Martyrum vindicata*; Vindice, magnæ simul eruditionis, simulque magnæ pietatis Viro, Odoacre Ilbachio; prudens admodum censui consilium Authoris, quo, in antiquam prudentissimæ credibilitatis ac saluberrimæ pietatis possessionem revocaturus Acta Martyrum bene multorum, per vetustâ traditione, Sanctæque ipsius Romanæ Ecclesiæ pio usu consolidata; & tamen recentium Pseudo-Eruditorum paralogismis, pejora in dies portendentibus, intercepta; ut, ne majorum gentium lucubrationibus intentus, per Acta ire singula cogere, Theses istas omnes, ceu manipulos militares, ad unam Hypothesim hoc in Opere jussit confluere; quod, unâ velut pugnâ, rem conficeret, quodque hoc bellum attinet, debellaret. Sic autem Authoris vigor, zelo percitus, inter pugnandum fervet, ut Christianæ tamen mansuetudinis ubique memor, cujusvis, vel audacioris adversarii nomen, oblitus semper fuisse videatur. Quin & eosdem, in quos pugnat, maximè salvos esse jubet; cum enim, ostensurus inania esse (contraquam illi, tam sibi, quam aliis incautè persuaserant), Pseudo-Criticorum axiomata, perumpit fallaciarum plenas argutationes, easque validè intorquet in artifices ipsarum suos; tantâ id eruditione perficit, cum profanâ, tum verò sacrâ, ut planè amplissimum, simulque honestissimum eis iter aperiat, quod inire si tandem aliquando maluerint, eis profectò licebit esse Eruditissimos, etiam cum accessione, nedum tanto sine dispendio pietatis. Si verò, Pseudo-Criticorum iter semel ingressos fortasse pudeat pedem referre, honestissimis licèt conditionibus; maluerintque, Eruditi cum pietatis jacturâ videri, quam, Authoris exemplo, eruditionem quantamcunque, piis ipsis Romanæ Ecclesiæ consuetudinibus diuturnis, tanquam sacrorum Dogmatum, & Pontificiæ Majestatis adversus hæreticos ac Refractarios antemuralibus, ancillantem semper esse

esse jubere; alii certè sinceriores Romanæ Ecclesiæ fidei; nutus ejus ipsos; nedùm explicatiora sequentes oracula, cavebunt sibi: & quamvis ad eruditionis gloriam adspirantes, eam solam veri nominis eruditionem habebunt, quæ, prout hoc in Opere, piis Ecclesiæ usibus, nedùm Dogmatibus, ancillatur. Opus itaque, citra omnem controversiam eruditissimum, semperque stans à pietate fidelium, à Martyrum causa, à traditionum antiquissimarum propugnatione; cum abesse longius ab omni errore in doctrina Fidei, bonorumque morum, tum verò, Christianis omnibus, ipsisque aded Pseudo-Criticis, suapte naturâ profuturum, luce publicâ donari oportere videbatur. Ita censebam, salvo Superiorum, doctiorumque judicio. Romæ in Conventu Ara-Coelitano, Quarto Nonas Augusti MDCCLXXII.

*Fr. Antonius à Mazaria Sac. Theologiæ Lector Jubilatus
Ord. Minorum, Sac. Indicis Congregationis Consultor,
& Sacrorum Rituum.*



APPROBATIO.



Jesus, Maria, Joseph.

Quia noverat, & optimè noverat Odoacres Ilbachi-
chius, *In Antiquis esse Sapientiam*, idcirco, ut
à Pseudo-Criticorum dictariis quàm multis, à
fabulosis argutiis, manibusque Pseudo-Erudi-
torum adinventionibus, Antiquissima SS. MM. Acta vin-
dicaret, *Sapientiam omnium Antiquorum exquisivit Sapiens*.
Hoc in isto præclarissimo Opere inscripto: *Acta Sanctorum
Martyrum vindicata*: & Sacra, & profana eruditione, do-
ctrina sana, ac abundantissima sapientia, feliciter ad eò
præstitit, ut Pseudo-Critici met, *à veritate auditum averten-
tes, & ad Fabulas convertentes*, ipsum legendo, *suis se adin-
ventionibus arreptos*, intelligent, *& veluti viri illi divitiarum
se nihil invenisse in manibus suis*, velint nolint, percipient:
Orthodoxi verò eruditi, *juxta veritatem, stantes, & tenentes
Traditiones, quas didicerunt*; Romanæ Ecclesiæ usu non in-
terrupto approbatas, *perpetuò, ac unisono consensu rece-
ptas, non aerea, & ideali, sed stabili, ac firma fide ab ea
retentas, firmatas, ac corroboratas, magis, ac magis
Firmabuntur in illis, & non flectentur*; Et *Fluctuantes* circa
SS. MM. Acta, *non circumferentur deinceps, omni vento
Doctrinae, neque Doctrinis variis, & peregrinis adducentur,
sed assequeuti, quæ decent SANAM DOCTRINAM*, eos potius ar-
guent, *QUI CONTRADIXERINT*, Ecclesiæque *domum
antiquissimæ simul, ac piissimæ credibilitatis, fundamenta in-
conculsa, firmissima, solidissima esse IN MONTIBUS SANCTIS
discent, intelligent, ac dubio procul evidentissimè confi-
tebuntur*: Numquid siquidem non in MONTIBUS SANCTIS
est doctrina illa, quæ SS. MM. causam strenuissimè contra
eos propugnat, *qui cogitaverunt adversus Sanctos Dei*? Quæ
Actorum ipsorum antiquissimam traditionem, non inter-
rupta Catholicorum pietate, ad hæc usque tempora, per
seculorum seriem perductam, adversus eos, *qui diligunt
vani-*

*vanitatem, & quarunt mendaciam, validissimè defensat, corroborat, atque consolidat? Quæ simplici, sed veræ Romanæ Ecclesiæ sinceritati, perpetuæ, ac irrefragabili ejus consuetudini, Pontificiæque infallibili Dignitati maximoperè favens, contra blasphemantes Hæterodoxos ponit murum, & antemurale? Quilibet experimento docebitur ita esse hoc pervadens Opus: Quod, Reverendissimo Patre Fr. Gregorio Selleri Sacri Apostolici Palatii Magistro jubente, maximo animi oblectamento, volventi mihi concessum est. Procul ab eo est, vel minima, in Fidei Theologicæ, ac Orthodoxæ Æthicæ doctrina, erroris suspicio; quin errorem omnem expellit, dissipat tenebriones, versutias fugat, *Viamque Dei in veritate docet*. Publica itaque luce debere donari, imò quantocius, quis negabit? Si & coram ipsis Pseudo-Criticis lucebit, & eo favente, qui illuminat omnem hominem, eisdem Pseudo-Eruditos illuminabit. Ita sperans.*

Dabat Romæ in Collegio Sanctæ Mariæ de Victoria quarto Kalendas Septembris MDCCXXII.

Fr. Leo à S. Felice Carmelita Discalceatus Sac. Theologiæ Prælector, Primus Definitor Provincialis, ac Sacræ Congregationis Indicis Consultor.

IMPRIMATUR,

Fr. Gregorius Selleri Sac. Apostol. Palatii Magister
Ordinis Prædicatorum.

IN-

I N D E X C A P I T U M

Partis Prioris.

LIBER PRIMUS.

In quo Censuræ plures passim obviæ Gentilium, Hebræorum, Hæreticorumque, in omnes tùm veteris. tùm novi Testamenti Libros recensentur; ut collatis inter se iis, quæ olim adversus sacra Volumina, nostris verò temporibus, contra SS. Martyrum Acta objecta sunt: eodem Parente procreatos, eodemque afflatos spiritu esse Antiquos, & Modernos Pseudo-Censores apertissimè innotescat. pag. 1

C A P U T I.

Ex quonam Protoparente, & Authore recentiores Actorum SS. MM. Pseudo-Censores tandem prodierint. ibid.

C A P U T II.

Ab Ethnicorum, imperitorumque Censuris Sacrarum Scripturarum Codices, quam ratione antiquitus subtraxeris Deus. Hebræis ipsis, earumdem Divinarum Scripturarum nonnulla, ad tempus occultata. 3

C A P U T III.

Eò potissimum tempore Sacra Volumina Gentibus omnibus innotuerunt, quo contra impiissimos Censores tutiora esse viderentur. 6

CA-

INDEX CAPITUM.

CAPUT IV.

Sacrorum Voluminum veritatem, Judaicae superstitionis accusare, eoque titulo Christianos morderi Ethnici consueverunt. 8

CAPUT V.

Præcipue quædam Ethnicorum calumnia, in præscam Judaorum Gentem, præsertim verò in eorum Ductorem, Scriptoremque Moysen, ex Origenis Libro contra Celsum depromuntur. 11

CAPUT VI.

Sacram Scripturam antiquitus non extitisse, ac plurima inter se pugnantia, & fabulosa continere, nonnulli Ethnicorum, præcipue verò Julianus Apostata, Catholicis insulse objicere ausi fuerunt. 13

CAPUT VII.

Cur in Sacra Hebraeorum Volumina Gentilium furor adeò efferbuerit? quàm huic simile Pseudo-Censorum in per-vetusta SS. MM. Acta studium. Admirabile Dei consilium, ut qui Christiani nominis sunt hostes, iidem sint Divinarum Scripturarum assertores. 19

CAPUT VIII.

Porphyræ in Sacram Scripturam, necnon Rabbinarum, & Kutheri, præsertim in Librum Job criminationes. 23

CAPUT IX.

Patres, ac Patriarchæ veteris Testamenti Hæreticorum calumniis impetiti. Moyses Pentatheus, Ecclesiastes, Cantica Canticorum, Liber, qui Sapientiæ dicitur, quàm impudenter hujusmodi Hominum stylo confixi. 24

CA-

INDEX CAPITUM

CAPUT X.

In eandem aetiam Psalterium, & Liber Ecclesiastici adducuntur. 31

CAPUT XI.

Prosequuntur A catholicorum Censura in Libros Tobiae; Judith, & Machabaeorum. 33

CAPUT XII.

In Librum Esther, & Danielis, Sectariorum censura. 38

CAPUT XIII.

Quanam adversus Evangelicam Historiam, tanquam ex Moysse, & prophetis minimè comprobata, effutierit Julianus Apostata. 44

CAPUT XIV.

Ejusdem Juliani Augusti, in Christi miracula, testatamque à Joanne Evangelista Divinitatem sugillationes; aliaque Gentilium, de dissonantia Evangelistarum, censura. 47

CAPUT XV.

Evangelii Scriptoribus Ethnici detrahere moliti sunt, tanquam Hominibus, in scribendo, errori obnoxiiis. 51

CAPUT XVI.

Judeorum calumnia, in recensitam ab Evangelistis Christi Domini nostri Genealogiam. 52

CAPUT XVII.

Fausi Manichei in idem argumentum deliramenta. 54

INDEX CAPITUM.

CAPUT XVIII.

Ex quatuor Evangelistis Sectariorum, alii unum, alii alium, cæteris rejectis, eligendum, & longè anteponendum arbitrati sunt. 60

CAPUT XIX.

Quibus objectis Heretici, cùm Actis Apostolorum, tùm verò cæteris Canonicis Epistolis fidem abrogare conati sunt. 64

CAPUT XX.

Oppugnationes Hætherodoxorum adversus Apocalypsim. Erasmi novi Testamenti impiissimus Censor confixus. pag. 69

CAPUT XXI.

Nonnulla adducuntur Sacrarum Scripturarum loca, quæ sibi adversari videntur: undè ea criminandi cavillosa hominum ingenia occasionem arripuerunt. Mirandum proptereà non esse, si ob eamdem rationem hæc quoque detrahendi prurigo, Actorum SS. MM. Censores affecerit. 74



LIBER II.

In quo de Censuris in generali, contra Acta Sanctorum
Martyrum agitur. 83

CAPUT I.

*Quis scopus scribendi, quæ superiori Libro continentur.
Cujusvis Historiæ, quodnam proprium sit fundamen-
tum. ibid.*

CAPUT II.

*Historiam Sacram, quæ in Divinis Voluminibus, habetur
summè veram habendam, omnique prorsus labe ex-
pertem. 86*

CAPUT III.

*Licet plures significationes habeant, quæ in Sacris Lit-
teris narrantur; veritatem tamen Historicam in illis
immobilem, certissimamque remanere. 88*

CAPUT IV.

*Nullius Historiæ veritatem, & auctoritatem, cum illa
Sacrarum Scripturarum esse conferendam. 91*

CAPUT V.

*Sacrorum Voluminum auctoritate, & exemplo, alia scripta
tuentur, ac defenduntur. 94*

CAPUT VI.

*De Sanctorum Martyrum Actis, Censura Cardinalis Ba-
ronii. 99*

CAPUT VII.

*Ex eo, quod Acta Martyrum à Gentilibus, atque Hære-
ticis*

INDEX CAPITUM.

*fictis corrupta dicantur ; præcipiti iudicio falsa passim
pro libito iudicari.*

101

CAPUT VIII.

*Arnobii testimonium expenditur , ac ex ipso Arnobio ex-
plicatur .*

103

CAPUT IX.

*Gelasii censura , quomodo intelligenda . Non omnia Mar-
tyrum Acta rejecta . Mos ea legendi .*

108

CAPUT X.

*Acta Martyrum rejicienda non sunt , quòd ab Anonymis
conscripta fuerint . Ea à Gentilibus , & Hereticis cor-
rupta , haud satis à Baronio probari . Acta potiùs apo-
crypha , quam sincera peruisse , probabilius creden-
dum .*

114

CAPUT XI.

*Martyrum Actorum sinceritati nihil officere , concinne ;
ac eloquenter esse conscripta .*

119

CAPUT XII.

*Scriptiois imperitiam , nil veritati Actorum Martyrum
officere posse . Oratoria arti aliquid narranti , à veri-
tatis finibus egredi minimè permiffum .*

125

CAPUT XIII.

*Veritatem , sinceritatemque Actorum Martyrum minimè
ledere , quòd fustius , vel brevius conscripta fuerint ;
sive bis , sive aliis verbis . Neque , quòd in aliquibus
aliqua habeantur , que in aliis desunt . Verba , à Spi-
ritu Sancto Martyribus dictata , salva veritate , ali-
ter , atque aliter , prolixiori , seu breviori stylo , vel
con-*

con-

INDEX CAPITUM.

concione conscribi potuisse . Sensus, non verba attendenda, secundum Augustinum . 132

CAPUT XIV.

Idem ejusdem Augustini pluribus aliis testimoniis confirmatur , 138

CAPUT XV.

Rerum, ac temporum variata, vel prætermissa, vel addita in Actis Martyrum circumstantia, nil horum veritatem Actorum ledere monstratur. Aliud esse affabrè conscriptam Historiam, aliud falsò concinnatam. Reticuisse, quod dicendum fore à Scriptore aliquo creditur, falsitatis indicium non esse. Quod narratur, uti semel dictum, vel factum, pluries dictum, factumque esse potest. 145

CAPUT XVI.

Acta Martyrum Proconsularia, aliis omnibus fideliora, integrioraque habenda non esse demonstratur; adeòut, quæ ejusmodi non sunt, semper sint rejicienda. 154

CAPUT XVII.

Omnia Martyrum Acta necnon Ecclesiam injuria afficere ostenditur, qui aliis sola Proconsularia præfert. Quænam fuerit Notaria ars, unde Notarii, qui Acta Martyrum præcipuè monumentis tradidisse censentur. 158

CAPUT XVIII.

Notarii, qui Acta Martyrum conscripsere, tam Ethnici, quàm Christiani. Christianis quibusdam Notariis, id muneris à Summis Pontificibus demandatum. Notariis aliis minimè vetitum, ne Acta Martyrum conscriberent. Hinc inter se collata Acta MM. persæpe non

INDEX CAPITUM.

coherere videntur, uspotè à pluribus Notariis exarata. Summa in notando difficultas, ordinis, ac historicarum aliarum varietatum causa. Notarius, non semper disertus Historicus. 167

CAPUT XIX.

Non minor authoritas quàm Proconsularibus, tribuenda Martyrum Actis, vel de se ab ipsis, vel ab aliis conscriptis. Plura Martyrum Acta scripta, cum Proconsularia exarata non sunt, nec jure in Martyres actum est. 170

CAPUT XX.

Ex his, quæ modo extant, Martyrum Actis, nulla, vel ab Hæreticis, vel à Gentilibus corrupta ritè censeri posse. 172

CAPUT XXI.

Perperàm asseri esse Monachorum figmenta, quæ habemus Martyrum Acta. 175



LIBER III.

In quo de Censuris in Acta SS. MM. ex scriptis SS. PP.
ac Ecclesiastica Historia excerptis agitur. 185

CAPUT I.

Non probari Acta Martyrum esse corrupta, ex Ecclesiasticis vocabulis, quae tempore, quo MM. passi sunt, in more posita non essent. ibid.

CAPUT II.

Probari non posse à Pseudo-Censoribus certa quaedam Ecclesiastica vocabula priscis temporibus non fuisse, pluribus demonstratur. 186

CAPUT III.

Frustrà objici contra Acta Martyrum, SS. PP. scripta; in quibus voces quaedam (ut asserunt) non reperiuntur; cum eas scribere tunc vetitum esset. Acta MM. Conscribentibus licitum, quod inibitum aliis. 190

CAPUT IV.

Vocabulum HOMOUSTON ante Nicanam primam Synodum in Ecclesia usurpatum, ex Georgio Bullo Heterodoxo ostenditur, & Pseudo-Censorum argumenta refelluntur. 196

CAPUT V.

Alia pariter vocabula ad Mysterium Trinitatis, Filiique Divinitatem spectantia, ante Concilia generalia in Ecclesiâ invaluisse, ex Gregorio Thaumaturgo, Tertulliano, & aliis confirmatur: Et Pseudo-Censorum falsa differendi ratio rejicitur. 203

CA-

INDEX CAPITUM

CAPUT VI.

Vocabula de Spiritus Sancti PROCESSIONE, & ex Filio;
• *apud Patres, longè ante Concilia undecimo seculo congregata reperiantur. Perperàm, à Pseudo-Censoribus offerri, de aliquo Fidei Articulo Patres eosdem non differuisse, nisi cum illum ab Hereticis contigit impugnari.* 209

CAPUT VII.

Frustra SS. MM. Actis antiquitatem detrahere Pseudo-Censores student ex eo, quod Seculo dumtaxat Nonò, particula, FILIOQUE PROCEdit, Symbolo addita fuerit. Falsum esse eam particulam Symbolis omnibus antea defuisse. Ecclesia Romana in Missa Symbolum canere minimè consuevit: ex quo Leonis III. verba intelliguntur. Contra Martyrum Acta sumpta, ex his argumenta, retunduntur. Uti in MM. Actis, sic à Sanctis Patribus Spiritus Sancti processio explicata reperitur. 217

CAPUT VIII.

Ex Manicheorum ingenio procedere cognoscitur sententia illa, quà hodierni Pseudo-Censores scripta omnia PP., ac Martyrum Acta, in quibus prefata vocabula offenduntur, uti falsa, ac supposititia refellunt. Quis in his rejiciendis ipsorum scopus. 226

CAPUT IX.

Sententia quadam Augustini, de Operibus certis aliquibus Conscriptoribus asserendis, explicatur. Improbè à Censoribus veterum ignaviam, hebetudinemque insectari; certisque Auctoribus certa scripta detrabi. 233

CA-

INDEX CAPITUM.

CAPUT X.

Ubi antiquis PP., ac Historicis certa opera frustra detrabere Pseudo-Censores connixi sunt: nova comentiuntur, quae iisdem attribuunt. Non nisi hac ratione, & SS. MM. Acta, & Ecclesiasticam omnem Historiam eos evertere potuisse. Augustini auctoritate eadem opera conficta demonstrantur: ac adversariorum fundamenta, ac argumenta, de huiusmodi veterum recens editis operibus rejiciuntur. 237

CAPUT XI.

Sanctorum Martyrum Acta, ante Concilia Generalia conscripta non fuisse perperam ab adversariis contenditur; vel si post scripta sint, frustra ab iisdem eorundem sinceritas impetitur. Ad fidei dogmata probanda, numquam in Conciliis Acta MM. in medium prolata, nec necessarium proferenda: sed neque Patrum scripta adducta. 248

CAPUT XII.

Frustra recens conscripta Acta Martyrum existimantur, quod in iis quedam juxta Vulgatam editionem dicta offendantur. De eadem Vulgata editione agitur. 254

CAPUT XIII.

Ex stylo, scribendique ratione desumptum argumentum, ut Scriptoribus scripta detrabantur, fallax ostenditur. Verisimilitudinis, quam Censores portendunt rationem, inanem esse. Difficile nimis, ex dicendi modo inter se Scriptores internoscere. 261

CAPUT XIV.

De propriis quibusdam nominibus mota à Censoribus quaestio, nullius ponderis demonstratur. 272

C A-

INDEX CAPITUM.

CAPUT XV.

Temporum rationem posthabuisse, nil Martyrum Actorum veritati detrabere, præcipuè Augustini auctoritate, rursus ostenditur; nec ei officere Chronologicas regulas non tenuisse, ex Hieronymo probatur. 277.

CAPUT XVI.

Censura, quæ contra miracula in Actis Martyrum relata profertur, cum Gentilibus, & Hæreticis communis. In eo tamen illa differt Pseudo-Censuram, quod non omnia, sed vel plura, vel inusitata, vel per sepe addita Actis miracula rejiciant. Quid sit miraculum. Inusitata, ac insolita miracula negasse nullius ponderis argumentum esse, ex Augustino probatur. 286.

CAPUT XVII.

Irrationabiliter, de Miraculis rationem quæri. Incredibilitas, ac inverisimilitudo Miraculorum, unde procedat. 293.

CAPUT XVIII.

Plura miracula, quæ facta in Actis Martyrum leguntur credenda. An Christus, ejusque Apostoli pauca, vel multa miracula fecerint. Cur fecerint? Ratio præcipua patratorum miraculorum eo tempore, quo Martyres passi sunt. Plura ad fidem propagandam necessario patranda miracula.

CAPUT XIX.

Contra Miracula, quæ in Actis Martyrum leguntur, frustra allatum Arnobii testimonium. Cur non rejicienda scripta, quæ plura Miracula referunt. Pseudo-Censuram objectiones diluuntur. Quæ ratione, quorum-

INDEX CAPITUM.

rumve monumenta rejicienda, in quibus Miracula recitantur. Metaphrastes vindicatur: & de falsis dictis Metaphrasticis Scriptoribus. 300

CAPUT XX.

Miraculorum, quæ in Actis Martyrum leguntur veritati nil officere, quod eorum Scriptores alii minimè meminerint. 310

CAPUT XXI.

Actorum Martyrum temerè auctoritatem infirmari, ex eo, quod visiones plures, Cælestiumque Spirituum apparitiones in illis legantur. 317

CAPUT XXII.

Perperam censeri corrupta Acta Martyrum ex eo colligi, quòd eadem ferè miracula, visiones, ac hujusmodi in Actis unius Martyris legantur, quæ in aliis etiam alterius deprehenduntur. 320

CAPUT XXIII.

Infirmum esse interpolata ea Acta Martyrum judicare, in quibus Martyrum eorundem quedam, vel mendaciter, dicta vel non, sine culpa admissa leguntur. 325

CAPUT XXIV.

Corrupta censere Martyrum Acta, quæ referunt Martyres quosdam recens à Gentilitatis errore conversos statim summum perfectionis apicem attigisse, falsum ostenditur. 331

ACTA

1

A C T A
SANCTORUM CHRISTI
MARTYRUM
VINDICATA
LIBER PRIMUS.

In quo Censuræ plures passim obviæ Gentilium , Hebræorum , Hæreticorumque , in omnes tùm veteris , tùm novi Testamenti Libros recensentur ; ut collatis inter se iis , quæ olim adversus sacra Volumina , nostris verò temporibus , contra SS. Martyrum Acta objecta sunt : eodem Parente procreatos , eodemque afflatos spiritu esse Antiquos , & Modernos Pseudo-Censores apertissimè innotescat .

* * *

C A P U T I.

*Ex quonam Protoparente , & Authore recentiores Acto-
rum SS. MM. Pseudo-Censores tandem prodierint ?*



P U s profectò , non leve , aut supervacaneum , sed maximi ponderis , ac præcipuæ necessitatis nos suscepisse existimavimus , cùm , contra severioris Criticæ recentiores nonnullos , Acta SS. Martyrum vindicare compulsi , sumus . Remidcircò ab initiis sumendam , expendendamque censuimus : nam indaginem curiosam aded (ne quid amplius dicamus) , ut univèrsa ferè monumenta , omni penè conatu , ac labore subvertere adnixa sit ; proprio,

2 ACTA SS. MM. VINDICATA

prio, ac insigni quodam opifice caruisse, putandum omnino non est. Eum, igitur, in primis, præ oculis ponendum duximus, ut cum ipse displicuerit, opus pariter improbetur, ac utrumque demum, Auctorem, nimirum, & Opus sectari pudeat.

Ioann. VIII. v. 44.

Gen. 3. 1.

De Gradibus
Humilitatis.

Hugo Victorin.
in Caten.

Rupert. Abb.
ibid.

Diabolum autem curiose perquisitionis Inventorem dixisse, qui Sacrarum Scripturarum eloquia haud ignorabit inficiabitur nemo. Non enim, ex eo tantum quod in veritate non steterit, & quodd mendaciorum sit Pater, hanc ei notam jure optimo inurimus; sed quod curiose inquisitionis Mulieri, in Paradiso voluptatis constitutæ, Præceptor etiam fuerit, & Magister, ex qua deinde totius humani generis exitium processit. In quæstionem, siquidem, absolutissimum Dei præceptum vocare non timuit, ut illud Heva secum ipsa perscrutaretur, at tandem eò perveniret, ut contemneret, ac violaret. *Car præcepit (inquit) vobis Deus, ut non comederitis de ligno Paradisi? Ab interrogatione incæpit (inquit Bernardus) mentem mulieris explorans, sciens ingenio, non viribus laborandum.* Et Hugo Victorinus animum indicans, quo Dæmon Mulieri eam dubitationem iniecit, quam callida discendi curiositate contextit: *Cautè fugit (scribit) se dubitare de præcepto prohibente, ut & mulierem faciat dubitare.* Quamvis enim, quod sub interrogatione protulit, Ruperto Abbate teste, nec verum, nec falsum esset; mendacium tamen, ejus auribus serpens manifestè proposuit, rem sicut erat se nescire simulans, ut paulatim felle suo, miseram audientis animam, uti contigit, venenaret.

Homil. XVI. in
in cap. Gen. 3.

Quam quidem nocendi artem, non nisi à Serpente, didicisse, qui innumera quotidie quæstionum volumina edunt, ut cuncta, in dubitationem vocent, omnibus perspectum esse arbitramur. Vel unum enim disserere cum quibusdam ingeniis, omnia in deterius vertentibus, maximum in discrimen adducit; ut his verbis, ejusdem Diaboli exemplo, testatur Chrysoctomus. *Vidisti malignitatem Serpentis? Dixit quod non erat, ut in colloquium provocaret, & disceret, quod erat. Mulier enim postea confidens, quod benevolè ergà se affectus esset, totum mandatum detexit, diligenterque recensuit omnia, & responso suo omnem sibi met ipsi*

ipſi deſenſionem abſtulit &c. Appoſuit enim porco, huic mala beſtiæ, Dæmoni videlicet, qui per Serpentem operabatur, divinas margaritas, & non ſolam illas conculcavit, ſed & diſtis ſe oppoſuit, & converſus, non ipſam ſolum, ſed cum illa, protoplaſtum quoque in morbum inobediencia perduxit. Tantum malum eſt, abſque delectu, cuius Divina Myſteria detegere &c.

Et proprius ad rem noſtram Eucherius, & interlinearis: Nonnulli loquacius, ac ſubtilius promittunt illicita curioſitate ſecretorum aduſeritionem, atque ſcientiam boni, ac mali, & in ipſo homine, tamquàm in arbore, quæ plantata eſt in medio Paradifi, eam diſcendam nituntur demonſtrare. Contra hunc Serpentem clamat Apoſtolus, cum dicit: Metuo, ne ſicut Serpens Hevæ ſedaxit aſtutia ſua, ſic ſenſus veſtri corrumpantur. Seducitur verbis huius Serpentis carnalis noſtra concupiſcentia, & per illam decipitur Chriſtianus, Adam, non Chriſtus. Dicit ergò iſte ad mulierem. Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis ex omni ligno Paradifi? Sic Hæreticorum curioſa cupiditas, ſic Prædicatores prævi, ad diligendam erroris fallaciam, auditorum carnalium corda ſuccendunt, dicentes, quare fugitis ſcientiam habere latentem? Nova ſemper exquirite, boni, maliſque ſcientiam penetrare. Unde eſt illud in Salomone, quod mulier illa Hæreticorum ſpeciem tenens, dicit: Aqua furtiva dulciores ſunt, & panis abſconditus ſuavior. Subjicit deinde idem Serpens: Quacumque die comederitis, ſtatim aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Dei ſcientes bonum, & malum. Sic, & omnes generaliter Hæretici, Divinitatis meritum profitentur, atque ſcientiæ pollicitatione decipiunt, & reprehendunt eos, quos ſimpliciter credentes invenerint &c.

In Catem. ut ſup

2. Corinthior. II.
v. 3.

Genſ. III. v. 1.

Proverb. IX. v. 17

Genſ. III. v. 5.

De Gradib. hu-
milis pag. 974.

Genſ. III. v. 4.

Sic Diabolo Auctore, qui curioſitatis venenum Hevæ propinavit, humanum totum concidit genus: Nifi enim mens (inquit Bernardus eam alloquens) minus ſe curioſè ſervaret, curioſitas tua tempus vacuum non haberet. Eſt culpa non eſt, culpa tamen occaſio eſt, & indicium commiſſæ, & cauſa eſt committendæ. Te enim intenta ad aliud, latenter interdum in cor tuum Serpens illabitur, blandè alloquitur. Blanditiis rationem, mendaciis timorem compeſcit: Nequaquam, inquiens, morieris. Auget curam, dum incitat gulam.

lam. Acuit curiositatem, dum suggerit cupiditatem. Offert tandem prohibitum, & aufert concessum &c.

ibid. ut sup.

Immò Bernardus ipse, curiositatis crimen Diabolo eidem, qui eà peste humanam infecit naturam, dum adhuc in Cœlo esset, objicere non veretur. Undè se supra se superbia, ac curiositate extollentem immundum spiritum, interpellat his verbis. *Quod te tua miser curiositas ducit, ut præsumptione singulari non dubites, Civibus scandalum, injuriam facere Regi? Millia millium ministrant ei, & decies centena millia assistunt ei, ubi nemo sedere perhibetur, nisi solus is, qui sedet super Cherubim, cui à cæteris ministratur: & tu, nescio quæ, præ cæteris, perspicendo differentiâ, curiosiùs inquirendo, irreverentiùs persuadendo, Sedem tibi collocas in Cœlo, ut sis similis Altissimo?*

Joann. VIII. v. 44.

Ille igitur ipse Diabolus, qui in veritate non stetit, & homicida ab initio fuit, & mendaciorum est Pater; dum factus est, & contra scientiam impudens, & contra potentiam audax, nimix in inquirendo curæ etiam manifestè deprehenditur, & criminis reus, & sceleris inventor. Ab hoc uno fonte, inutilium, ac iniquarum perquisitionum rivuli emanarunt: Hunc Protoparentem suum agnoscere debent, qui studiis hujuscemodi vacant, scireque cupiunt plusquam oportet. Nullus tamen, vel hæresis notam inurere, vel Diabolici sceleris nomen objicere nos voluisse censeat iis, qui debito moderamine, juxta Divinum Oraculum Scripturas scrutantur, vel Ecclesiastica alia monumenta revolvunt, non superfluxæ curiositatis instinctu, sed veritatis amore: Cum iis tantum nos negotium habere profiteamur, de quibus Gregorius Nazianzenus scripsit, quod: *Non aures dumtaxat, sed & lingua, atque aded manus ipsæ pruriunt prophanis vocum inanitatibus, & contentioni- bus falsò nominata scientiæ, pugnisque disputationum, nullam utilitatem afferentibus.* Hosque, non nisi Diabolum suum agnoscere debere Auctorem, sine hæsitatione ullâ affirmamus.

Joann. V. v. 39.

Orat. 1. contra Eunomian.



CAPUT II.

*Ab Ethnicorum, imperitorumque Censuris Sacrarum
Scripturarum Codices quam ratione antiquitùs
subtraxerit Deus. Hebræis ipsis, earumdem
Divinarum Scripturarum nonnul-
la, ad tempus occultata.*

COMMUNI omnium hominum matre, per inanis curiositatis vitium à Diabolo in culpam acta, haud difficile fuisset impiæ ejusdem curiositatis Auctori, in perditionis barathrum cæteros omnes illius filios impellere, opera præcipuè eorum, quos Idololatriæ sceleri obnoxios, suis nutibus obsequentiores haberet. At Omnipotentis Dei misericordia, ac in electos providentia, hujusmodi Diaboli artes, ac molimina elusit, cum sacras, videlicet litteras, Ethnicorum notitiæ, ac ingeniis abscondit, vel eis malè uti prohibuit. Miranti idcirco Ptolomæo Regi, cur Divinorum Librorum nulli, neque Historici, neque Poetæ veteres meminissent; Demetrius Phalereus respondit, ut ex Aristæa, referunt Josephus, & Eusebius: Divinam hanc Scripturam esse, atque à Deo ipso datam; propterea, si qui prophanorum hominum eam, attingere voluissent, eos à Deo perculsos, continuè resiliisse. Affirmavitque Teopompum quendam, quod aliquid Divinorum Voluminum Græca oratione ornare voluerat; subito mentis quadam agitatione divinitus immissa, vehementer perturbatum, ab incepto opere coactum esse desistere. Theodorum verò Tragediarum Scriptorem, nescio quid è Divina Scriptura, ad fabulam transferre volentem, luminibus captum, orbatumque esse; atque ita repentina calamitate, insignem temeritatem continuè esse repressam. Plura nihilominus ab Hebræis accepisse Platonem, Eusebius ipse disertè demonstrat.

Imperitis tamen (ex quibus fortè aliqui Censuram munus usurpare præsumpsissent), non Ethnicis modò, sed Hebræis ipsis, Sacra Divinæ Scripturæ nonnulla volumina eos-

*Bellarm. de Ver-
bo Dei Lib. 3.
cap. 2. pag. 4.*

*Iosaph. lib. 12.
Antiq. cap. 2.
Euseb. lib. 8.
Prepar. Evan-
gel. cap. 1.*

*Ibid. lib. 9. 10.
& seq.*

lam. Acut curiositatem, dum suggerit cupiditatem. Offers tandem prohibitum, & aufert concessum &c.

Immo Bernardus ipse, curiositatis crimen Diabolo eidem, qui eà peste humanam infecit naturam, dum adhuc in Cœlo esset, objicere non veretur. Undè se supra se superbia, ac curiositate extollentem immundum spiritum, interpellat his verbis. *Quò te tua miser curiositas ducit, ut præsumptione singulari non dubites, Civibus scandalum, injuriam facere Regi? Millia millium ministrant ei, & decies centena millia assistunt ei, ubi nemo sedere perhibetur, nisi solus is, qui sedet super Cherubim, cui à cæteris ministratur: & tu, nescio quæ, præ cæteris, perspicendo differentius, curiosius inquirendo, irreverentius persuadendo, Sedem tibi collocas in Cœlo, ut sis similis Altissimo?*

Ibid. ut sup.

Ioann. VIII. v. 44.

Ille igitur ipse Diabolus, qui in veritate non stetit, & homicida ab initio fuit, & mendaciorum est Pater; dum factus est, & contra scientiam impudens, & contra potentiam audax, nimix in inquirendo curæ etiam manifestè deprehenditur, & criminis reus, & sceleris inventor. Ab hoc uno fonte, inutilium, ac iniquarum perquisitionum rivuli emanarunt: Hunc Protoparentem suum agnoscere debent, qui studiis hujuscemodi vacant, scireque cupiunt plusquam oportet. Nullus tamen, vel hæresis notam inurere, vel Diabolici sceleris nomen objicere nos voluisse censeat iis, qui debito moderamine, juxta Divinum Oraculum Scripturas scrutantur, vel Ecclesiastica alia monumenta revolvunt, non superfluxæ curiositatis instinctu, sed veritatis amore: Cum iis tantum nos negotium habere profiteamur, de quibus Gregorius Nazianzenus scripsit, quod: *Non aures dumtaxat, sed & lingua, atque aded manus ipsæ pruriunt prophanis vocum inanitatibus, & contentioni- bus falsè nominatæ scientiæ, pugnisque disputationum, nullam utilitatem afferentibus.* Hosque, non nisi Diabolum suum agnoscere debere Auctorem, sine hæsitatione ulla affirmamus.

Ioann. V. v. 39.

Orat. 1. contra Eunomian.



CAPUT II.

*Ab Ethnicorum, imperitorumque Censuris Sacrarum
Scripturarum Codices quam ratione antiquitùs
subtraxerit Deus. Hebrais ipsis, earumdem
Divinarum Scripturarum nonnul-
la, ad tempus occultata.*

COMMUNI omnium hominum matre, per inanis curiositatis vitium à Diabolo in culpam acta, haud difficile fuisset impiæ ejusdem curiositatis Auctori, in perditionis barathrum cæteros omnes illius filios impellere, opera præcipuè eorum, quos Idololatriæ sceleri obnoxios, suis nutibus obsequentiores haberet. At Omnipotentis Dei misericordia, ac in electos providentia, hujusmodi Diaboli artes, ac molimina elusit, cum sacras, videlicet litteras, Ethnicorum notitiæ, ac ingeniis abscondit, vel eis malè uti prohibuit. Miranti idcirco Ptolomæo Regi, cur Divinorum Librorum nulli, neque Historici, neque Poetæ veteres meminissent; Demetrius Phalereus respondit, ut ex Aristæa, referunt Josephus, & Eusebius: Divinam hanc Scripturam esse, atque à Deo ipso datam; propterea, si qui prophanorum hominum eam, attingere voluissent, eos à Deo perculsos, continuè resiliisse. Affirmavitque Teopompum quendam, quod aliquid Divinorum Voluminum Græca oratione ornare voluerat; subito mentis quadam agitatione divinitùs immissa, vehementer perturbatum, ab incepto opere coactum esse desistere. Theodorum verò Tragediarum Scriptorem, nescio quid è Divina Scriptura, ad fabulam transferre volentem, luminibus captum, orbatumque esse; atque ita repentina calamitate, insignem temeritatem continuè esse repressam. Plura nihilominus ab Hebræis accepisse Platonem, Eusebius ipse disertè demonstrat.

Imperitis tamen (ex quibus fortè aliqui Censuram munus usurpare præsumpsissent), non Ethnicis modò, sed Hebræis ipsis, Sacra Divinæ Scripturæ nonnulla volumina eos-

*Bel. arm. de Ver-
bo Dei Lib. 3.
cap. 2. pag. 4.*

*Joseph. lib. 12.
Antiq. cap. 2.
Euseb. lib. 8.
Præpar. Evan-
gel. cap. 1.*

*Ibid. lib. 9. 10.
& seq.*

*In Prolog. in
Cant. Cantic.
fol. 68. edit.
Basilea.*

eosdem Hebræos, pro viribus occultasse; testatur his verbis Origenes. *Ajunt enim observari etiam apud Hebræos, quod nisi quis ad aetatem perfectam, maturamque pervenerit; Libellum hunc (nempe Cantici Canticorum), ne quidem in manibus tenere permittatur. Sed & illud ab eis accepimus custodiri, quandoquidem moris est apud eos omnes Scripturas à Doctoribus, & à Sapientibus tradi pueris simul, & eas, quas Suraçanus appellant, ad ultimum quatuor ista observari: Id est principium Genesıs, in quo mundi Creatura describitur, & Ezechielis Prophetæ principia, in quibus de Cherubim refertur, & finem, in quo Templi edificatio continetur, & hunc Cantici Canticorum Librum. Sic ille. Ex quo evidentissimè constat, quanta adhibita fuerit diligentia, ne Sacrorum Librorum aliqua juvenum, præcipuè manibus versarentur; ne fortè margaritas projicere ante Porcos, ac Sanctum dari Canibus contigeret.*

C A P U T III.

Eò potissimum tempore Sacra Volumina Gentibus omnibus innotuerunt, quo contra impiissimos Censores tutiora esse viderentur.

*Utr. sup. lib. 2.
cap. 1.*

CUM verò (inquit Eusebius) jam Salvatoris nostri tempora viderentur propius advenire, conduceretque maximè omnium gentium saluti, ut quæcumque à Prophetis scripta fuerant, innotescerent; per linguam Græcam, quam fere omnes gentes intelligebant, Judaicam Scripturam Deus universis propositam voluit. Aut enim eam, post Redemptoris nostri tempora, non habuissēmus, Judæis sacra Volumina invidiosè occultantibus: aut ex illis, corruptiora tradentibus: aut in suspicionem traductores faciliè vocantibus. Omnipotens igitur Deus, qui omnia prævidebat, optima dispositione usus, Ptolomæo Ægyptiorum Regi, traducendorum librorum cupiditatem injecit. Qua de re Aristæam virum doctum, utpote, qui rebus præerat, diligenter conscripsisse, Eusebius ipse testatur: quidquid contra, non ipsius Eusebii tan-

tantum, sed omnium planè Scriptorum fidem, temerè, paucis abhinc annis, ab Hæreticis acceptum, in præfatum Aristææ Librum, oblatrare Pseudo-Censores aliqui præsumpserint, quos altero Opere rejiciendos suscepimus.

Prodiere igitur sacra Volumina eò potissimum tempore, quo neminem latere decebat redemptionis nostræ, ac novæ legis mysteria: sed insuper eò tempore jam adveniente, quo contrà impiissimos Censores, tuta magis esse viderentur. *Scriptura enim fides* (inquit Augustinus) *mirabilem auctoritatem, non immeritò habet in Orbe terrarum, atque in omnibus gentibus, quas sibi esse credituras, inter cætera, quæ dixit, vera divinitate prædixit.* Et inferius, ubi de Epistola Alexandri Magni ad Olympiadem Matrem. *Porro si hæc Epistola (dicit) Alexandri, quæ maximè innotuit, multum abhorret in spatiis temporum, à probabili fide rerum: quanto minus credendum est illis litteris, quas plenas fabulosas, velut antiquitatibus proferre voluerint, contrà auctoritatem, novissimorum, Divinorumque Librorum, quæ totum Orbem sibi crediturum esse prædixit, & cui totus Orbis, sicut ab ea prædictum est, credidit: quæ vera se narraße præterita, ex his, quæ futura pronuntiavit, cum tanta veritate implentur, ostendit?*

De Civit. Dei
lib. 12. cap. 9.

ibid. cap. 10.

Ubi igitur, veritate impletarum Prophetiarum, quæ in Sacris Scripturis continebantur, contrà irruentem hominum audaciam, verbi sui veritatem asseri posse Deus Omnipotens vidit; tunc ea Græco scripto revelari concessit; unde notus tantum in Judæa Deus, cæteris quoque totius Orbis gentibus innotuit; cuique in Israel tantum magnum fuerat nomen, maximum laudabile, & admirabile quoque in universa terra, deinde fuit.



CA-

CAPUT IV.

Sacrorum Voluminum veritatem, Judaicae superstitionis accusare, eoque titulo Christianos mordere Ethnici consueverunt.

*De Doct. Christ.
lib. 2. cap. 5.
tom. 3. pag. 7.*

Nec sic tamen Scriptura Divina mentes humanas subegit, ut ei omnino homines acquiescerent. *Factum est enim, ut ab una lingua profecta, (quemadmodum Augustinus dicit), qua opportunè potuit, per Orbem terrarum disseminari, per varias interpretum linguas, longè, latèque diffusa innotesceret gentibus ad salutem; quam legentes nihil aliud appetunt, quam cogitationes, voluntatemque illorum, à quibus conscripta est, invenire, & per illas voluntatem Dei, secundum quam tales homines locutos esse credimus. Sed multis, & multiplicibus obscuritatibus, & ambiguitatibus decipiuntur, qui temerè legunt, aliud prò alio sentientes; quibusdam autem locis, quid vel falsò suspiciuntur, non inveniunt: ità obscure quaedam dicta densissimam caliginem obducunt. Quod totum divinitus provifum esse Augustinus ipse non dubitat, ad edomandam labore superbiam, & intellectum à fastidio renovandum, cui facilè investigare plerumque vilefcit. Sed de his alias.*

Interim tamen, licèt Divinis Veteris Testamenti oraculis, plenissima fides adhibenda esset, quod piissimo Christi Redemptoris adventu, ac totius Orbis in eum fide, impleta ea palàm viderentur; tamen Sacrorum Voluminum veritati detrahere nefarii Ethnici veriti non sunt; eoque eos nomine mordere Christifideles consuevisse, pluribus testantur Christiani Scriptores. Inter cœteras siquidem Porphyrii, aliorumque Gentilium Sycophantarum calumnias, quas illis objicere solebant, præcipua ea erat, superstitionis, videlicet, ipsos Judæorum Religionem suscepisse, Scripturisque fabulis refertis, fidem præstitisse. Quod utrumque objectum, aliasque calumnias, iis artibus rhetoricis promovebant, quæ sunt Causidicis, pro cliente quibusque suo, vel Principum suorum commoda

cu-

curantibus familiares; quæque artificio nostrorum istorum hominum Pseudo-Criticorum videntur, quasi ovum ovo persimiles. Supprimebant enim Infideles ea omnia (facilius ex malitia, quam ex ignorantia), quibus eadem objecta, eadem calumniæ, jam olim ab Apostolis, eorumque Traditionem sincerè tenentibus propulsatæ fuerant: solumque ostentabant, atque in varias facies pervertebant quicquid corradit è sacris documentis, ac simplicioribus Christianorum verbis utcumque posset: quod absurdum cuiusdam speciem præ se ferret, rectæque rationi adversum incautis, plerisque mortalium, vel de nescio quanta sua scientia turgidis, aut justo majoris vivendi licentiæ amatoribus, videretur. Rem ita fuisse, palàm fiet ex sequentibus: talia quippe sunt, ac tanto incrustantur sententiarum, verborumque æquivocorum furo, ut verendum mihi esset, ne quis legentium in transversum se agi sineret; nisi in tanto jam lumine Christianæ Fidei, de istis omnibus philosophantibus, aliisque, etiam armatis, ac præpotentibus hostibus triumphantis, contestante Deo, & heroica tot Martyrum patientia, doctrinæ suæ veritatem, doctissimorum etiam, ac sanctissimorum Virorum Scriptis illustratam, nihil metuendum prudenter foret istiusmodi: Præsertim quia, non vernacula lingua, in liberculis, muliebri quoque manu terendis, ista vulgamus; sed linguâ Ecclesiæ (quæ utinam Pseudo-Critici semper uti voluissent), atque in voluminibus justæ magnitudinis, nisi lectores probè doctos nunquam habituris: Et nihilominus, inter narrandum Ethnicorum, aliorumque Infidelium Criticorum artificia, Christianam traditionem, ejusque systema vellicantia, fontes puros obiter indicabimus, quos adeat, si quis fortè legentium se indigere sentiat.

Nihil autem à scopo nostro, data, ut ajunt, operâ, aberraturi, audiamus, quæ illi olim apud Minutium Felicem dictaverint. *Unde autem, vel quis ille (ajebant), aut ubi Deus; unicus, solitarius, destitutus; quem non gens libera, non regna, non saltè Roma superstitione noverunt? Judæorum sola, & misera Gentilitas, unum, & ipsi Deum, sed palàm, sed templis, aris, victimis, caeremoniisque coluerunt; cujus adeò nulla vis, nec potestas est, ut*

B

sit

Bibl. PP. tom. 3.
pag. 244.

Orig. lib. 1. cont.
Celsum.

fit Romanis hominibus, cum sua sibi natione captivus. Eorum igitur audacissimam temeritatem insignibus Voluminibus nostri compescendam susceperunt. Ac in primis Origenes de his cum Celfo agens: Enimvero (inquit) cum gentium plerasque cognatione, & sanguine conjunctas existimet Celsus: & ejusdem conditionis, & fortis nationes esse omnes affirmet, ut, quae uni, eidemque dogmati principium dederint: haudquaquam intelligo, cur solos Judaeos calumnietur, istorum gentem nihil annumerans caeteris, sive quid laborem cum illis unquam quandoque insumpserint, & senserint eadem, sive quia in multis similia sanxerint. Jure igitur quæri ab eo potest, cur, vel Barbaris, vel Græcis Historiis fidem hic præstitit, eorum, quos meminit antiquitates narransibus; Judaicæ dumtaxat gentis historiam pro falsa, & commentitia doceat? Si enim Historici omnes rerum apud suos gestarum veritatem memoria prodiderunt; cur solis Judaeorum Prophetis diffidimus? Quod si tam Moyses, quàm Prophetæ per multa, quae apud se acta sunt, & suis temporibus gesta, gratis admodum conscripsere: cur non idipsum de caeteris gentium Scriptoribus ipsi fatebimur? Num Aegyptii, si Judaeos in suis Historiis carpsissent, cum fide scripsissent de Judæis credendi sunt; Judæi vero cum de Aegyptiis eadem scripserunt, seseque item his mala per multa injustius fuisse perpessos, eoque, & Deum affirmant illos suppliciis affecisse, pro mendacibus erant, & vanis habendi? Nec de Aegyptiis solum dicendum id fuerit, quin, & Syros comperiemus cum Judæis conferuisse manus, & bella gessisse: & esse hæc quidem in antiquis Syriorum Annalibus historia demandata. Nec secus, & Judaeorum Scriptores hostes sibi fuisse Syros conscribunt: ne anticipando videar dicere, quod & Prophetæ prædixerint. Adverte itaque, ut SUÆ GENTIS captus amore Celsus, gentilibus quidem nonnullis, ut sapientibus credat: Judaeos vero condemnet, & aspernetur, ut profus insanos.

Yerob. contra
Christ. lib. 3.

Ista Origenes, quem acriter tuentem, ac adhærentem veteribus sacris Judaeorum Libris, inter Ethnicos alios Porphyrius, quem paulò antè memoravimus, irrississe perspicitur, ut ex ipsiusmet verbis apparet. Contrà enim Christianos agens hæc scripsit: Adhærent Christiani ineptiis Judaicarum Scripturarum, & ea, quae Moyses agresti, & sim-
pli-

LIBER I. CAP. IV. II

plīci sermone conscripsit, divinitas sancita, & figuris, atque enigmatibus oblecta esse confirmant, atque ut ingentibus repleta Mysteriis, exponunt. Cujus absurda expositionis genus initium habuit à Viro, quem ego, cum essem valde puer, vidi Arcem totius eruditionis tenentem: sicut etiam ex his, quæ Posteritatis memoriæ tradidit, comprobatur. Origenes hic est, cujus ingens gloria, inter eorum Magistros habetur, qui affectus fuerat Platonis secreta, institutus fuerat in libris Numenii, & Chronii, & Apollopatis, & Longini, & Moderati, atque Nicomachi. In Pitthagoricis verò summorum, virorum cum non latuere commentaria: attigit etiam Chere-montis Stoici, & Cornuti volumina, ex quibus omnia secreta, & mysteria quæcumque apud Græcos habentur, assumens, ritui Barbaro, & superstitionibus Judaicis coaptavit, & Philosophorum gloriam ad externa, & peregrina Christianorum dogmata convertit. Hæc Porphirius.

CAPUT V.

Præcipua quædam Ethnicorum calumnia, in priscam Judæorum Gentem, præsertim verò in eorum Ductorem, Scriptoremque Moysen, ex Origenis Libro contra Celsum depromuntur.

AT abs re haud erit præcipua quædam hic capita inferere, quibus Hebræorum sacris Voluminibus detrachere jam Ethnici ausi sunt, ex Origenis potissimum, cujus meminimus, libro, contra Celsum deprompta.

*Origenes us sup.
lib. 1. cont. Cels.*

In primis igitur illud fuit, sapientissimam gentem, vel Ægyptiis saltem, & Syris, vel Indis, Persis, Odrysiis, & Samothracibus, vel Eleusinis similem, nuncupare Judæos minimè libuisse.

Rursum viros enumerans Celsus priscos, & sapientes, qui suorum temporum homines adjuvissent, & suis scriptis posteris profuissent; Moysen, è numero detraxit Sapientum.

Culpans per Moysen scriptam Historiam, eodem modo,

do, quo Porphyrius, & eos coarguit, qui sub figuris sunt, & allegoria illam interpretati.

Errasse dixit, ac circumventos fuisse, qui ab ipso Moyse leges acceperant.

Cum Moysis Historias pro sua opinione redarguisset, & illarum incusasset interpretes; eorum ubi nonnullas laudes attigit, & benignitatem collaudavit; mox illos coercuit, qui possent pro cuiusque rei natura respondere, ne dicerent quod sentiebant.

Volens assertam à Moyse mundi improbare creationem, effutiebatur suo tempore nondum ad annos mille mundum pervenisse: quod ipse sentiebat occultando, in eorumque opinionem concedendo, qui mundum increatum affirmarunt. Cum enim in quovis seculo (dicebat) multa facta fuissent incendia, Solisque, & Lunæ defectiones, pleræque contigissent; quorum omnium nuperrimum fuisset Deucalionis diluvium recens effectum; liquidò eis, qui se audire prudentius quivissent, patefaciebat, juxta se mundum nullum habuisse principium, nec aliquandò coepisse; ideòque fabulosam prorsus fuisse ejusdem creationis Historiam à Moyse prolatam.

Ait præterea se accepisse apud gentes sapientes, & circumspectas vulgatum fuisse, Moysen Dæmonis nomen fortitum esse.

Nihil Circumcisionem, quæ per Judæos fiebat improbens, ab Ægyptiis tamen illam duxisse ortum scripsit; Ægyptiis potius, quam Moyse credens dicenti, fuisse Abraham primum omnium circumcisum; cujus Abraham nomen, non modo Moyses scripsit, cum Deo illum familiarum fuisse; sed plerique Dæmones ipsos carminibus adjurantium; nam Abraham Deum pronunciarunt, & hoc dicto usi sunt; cujus nominis appellatione Dei sibi conciliarunt æquitatem. Et idcirco Abraham Deum apud Judæos dictum usurparunt, ignaros tamen quis ille Abraham fuerit. De Isaac haud secus, Jacobque, & Israele dicendum, quæ cum haud dubiè Hebræorum nomina essent; ex his tamen faterentur multis in locis Ægyptii, vim quandam suis disciplinis fuisse inspersam.

Qui primi Judæorum Moysen Ducem secuti sunt, eos pa-

pastores fuisse, & rusticanis fallaciis fotos, & circumventos, Deum esse unicum putasse. Opiliones idcirco, & Pastores unicum esse Deum existimasse, sive excelsum dixeris, sive Adonai, sive Coelestem, sive Sabaoth, sive, utcumque mundum hunc nuncupare gauderent; & id præter, nihil aliud novisse. Ex quo inferebat, affirmabatque, nil quippiam illud differre ab usurpata apud Græcos appellatione, qui præstantissimum Deum, & omnibus præfidentem Δία (Jovem) variis nominibus nuncuparunt: sive apud Ægyptios dixeris, sive apud Indos, hunc, illumve Deorum sic variè dictum. Pauca ista ex innumeris, quæ Divinis Veteris Testamenti scriptis Ethnici objiciebant, ex Origene, ut diximus, contra Celsum deprompsimus, cujus ille impias, ineptasque censuras egregiè confutavit.

CAPUT VI.

Sacram Scripturam antiquitùs non extitisse, ac plurima inter se pugnancia, & fabulosa continere, nonnulli Ethnicorum, præcipuè verò Julianus Apostata, Catholicis insulse objicere ausi fuerunt.

NEc defuere Pseudo-Critici homines, & non abluti, & abluti salutifera Baptismatis aqua, à qua Posteriores miserimè simul, & perenniter apostatarunt, qui sacros Hebræorum Libros antiquitùs minimè fuisse conscriptos, impiè simul, ac impudenter asseruerint. Quapropter Lactantius, temporum serie, ac ordine, quibus Prophetarum quisque floruerit palàm factis, tandem sapientissimè, doctèque simul ostendit, antiquiores etiam Græcis Scriptoribus, Prophetas eisdem reperiri. *Quæ omnia* (inquit) *eo profero, ut errorem suum sentiant, qui Scripturam Sacram coarguere nituntur, tamquam novam, & recens fictam; ignorantes, ex quo fonte sanctæ Religionis origo manaverit.* Immo, ex Josepho contra Apionem eò remperductam habemus, ut Judæorum genus ipsum, tamquam novum, audacter insimulaverint. *Quoniam verò* (inquit) *multos video, respicientes blasphemiam quorundam insanè pro-*
la-

*Lact. de vera
Sapient. & Rel.
Divin. Instit.
lib. 4. cap. 5.
p. 48. 572.*

*Joseph. contra
Apion lib. 1.
sub init.*

latam: & ea, qua à me de antiquitate conscripta sunt, non credentes: putantes mendacium nostrum esse genus, eo quod nulla memoria apud Græcorum nobiles historiographos digni sunt habiti nostri majores: pro omnibus his arbitratus sum oportere me breviter hac dicta conscribere: & derogantium quidem, vesanum, spontaneumque increpare mendacium, aliorum verò ignorantiam pariter emendare: universosque de nostra antiquitate, qui scilicet veritatem amplectuntur, edocere &c.

*Idem ut supra
lib. 5. cap. 2.
pag. 589.*

Præfatus autem Lactantius, de se refert, quod cum in Bythynia Oratorias litteras accitus doceret, contigissetque, ut eodem tempore Dei templum everteretur; Diocletiani nimirum persecutione sæviante, duos ibidem extitisse, qui jacenti, atque abjectæ veritati (nescit utrum superbius, an importunius) insultarent; quorum alter, qui Antistitem se Philosophiæ profitebatur, tres libros contra religionem, nomenque Christianum evomuit, alter verò eandem materiam mordaciùs scripsit: *Qui erat (ipsum Lactantii sunt verba) tunc è numero Judicum, & qui Auctor in primis faciendæ persecutionis fuit. Quo scelere non contentus, etiam scriptis eos, quos affixerat, insectatus est: composuit enim libellos duos, non contra Christianos, ne inimicè insectari videretur; sed ad Christianos, ut humanè, ac benignè consulere putaretur; in quibus ita falsitatem Scriptura Sacra arguere conatus est, tamquam sibi esset tota contraria: nam quadam capita, qua repugnare sibi videbantur exposuit, aded multa, aded intima enumerans, ut aliquandò ex eadem disciplina fuisse videatur.*

Numverò impius Ethnicus illius conatus contra Divina Evangelia tantum, an in veteris etiam Testamenti Scripturas, fuerit, Lactantius non explicat. Putandum nihilominus videtur in veteris, & novi Testamenti sacras Paginas, quibus utriusque Scripturæ Sacræ congruit nomen, impetum iniquè fecisse. Verum si tam multa, aded intima secum ipsa pugnancia, in Divino eo libro, omnis prorsus contradictionis experte, animadvertere nequam ille intellectus, licet perperam potuit; Quæ difficultas erit recentioribus Censoribus, aliquid, (quamvis neutiquam repugnans, in Sanctorum Actis) cæterisque libris,
estò

estò egregiè , ac fideliter exaratis , reperire , quod carpant?
At de his suo loco .

Plura verò his , quæ retulimus veteris Testamenti paginis , à Juliano Apostata objecta , invenimus apud Cyrillum Alexandrinum , quorum hic tamen nonnulla tantum inferere non piguit . De Platonis enim , ac Moyssi Libris simul collatis agens Julianus , hæc habet .

Illis (nempè Platonice Libris) confer Judaicam doctrinam , & Paradisum à Deo plantatum , & Adam ab illo formatum , deinde mulierem illi factam . Dicit enim Deus : Non est bonum hominem esse solum , faciamus ei adiutorium simile sibi : quæ in nullo ipsum adjuvit , sed decepit : & facta est auctor illi ipsi , ac sibi , ut exciderent ab hortu deliciarum . Hæc enim fabulosa sunt ; Igitur quomodo rationi consentaneum est , quod hoc , quod factum ab ipso in adiutorium , non tam boni , quam mali occasionem exhiberet ?

*D. Cyrill. Alex.
cont Julian.
lib. 3. pag. 546.*

2. *Quonam idiomate Serpentem , qui cum Eva locutus est , usum dicemus ? Numquid humano ? Et quid differunt hæc fabula , ab his , quas Græci finxerunt ?*

3. *Deum autem interdicere cognitionem boni , & mali hominibus à se formatis , quomodo non summam præfert absurditatem ? Quid enim stultius foret , non posse bonum , & malum discernere ? Manifestum enim , quod hæc , mala inquam non essent fugituri ; & illa , nempè bona , non essent sectaturi . Summam igitur prudentiæ prohibuisset Deus homini , nè gustaret , quæ nihil homo habet dignius . Nam quod boni , & mali discretio proprium opus sit prudentiæ , manifestum est etiam insipientibus .*

4. *Ità serpens magis benefactor , quam damnosus humano fuerit generi . Neque hoc solum dicit , repetit enim ea , quæ dicit . Ad hæc dicitur invidus (nempè Deus .) Nam ut vidit hominem prudentiæ factum participem , inquit , ut ne gustet lignum vitæ , ejecit eum ex Paradiso , aperte dicens : Ecce Adam factus est , sicut unus ex nobis , ut cognoscat bonum , & malum . Et nunc , nè fortè extendat manum , & accipiat de ligno vitæ , & comedat , & vivat in æternum . Et ejecit eum Dominus Deus ex Paradiso deliciarum . Singula hæc , nisi fabula sint , continere arcanam speculationem equidem censurem , sed multa blasphemia in Deum referta sunt .*

Nam

Nam ignorare quidem, quod adjatrix facta, lapsus futura sit author, & prohibere cognitionem boni, & mali, quæ sola contineri posse videtur humana vita, & præterea amulari, ut vita particeps, immortalis ex mortali fiat, utique invidi, & malevoli est.

5. *Jam quod Deus Judæorum dumtaxat curam habuerit, qui sors ejus electa fuerint, non Moyses, & Jesus soli, sed & Paulus dixisse apparet, quamvis in Paulo hoc est mirum, nam sicut polyodes saxi adherentes, pro eventus varietate mutat dogmata de Deo: nonnumquam Judæos solos hæreditatem Dei esse contendit. Iterum autem Judæis persuadens, inquit, non solum Judæorum Deus, sed & gentium, imò & gentium. Unde quum justè dixisset Paulus, num Judæorum dumtaxat Deus, an non, & gentium? imò & gentium, cujus gratia ad Judæos misit Propheticum spiritum, & Moysen; & unctiorem, & Prophetas, & Legem, & mirabiles, ac prodigiosas fabulas, audisque ipsos clamantes: Panem Angelorum manducavit homo. Sub finem autem, & Jesum misit illis: Nobis autem, non Prophetam, non unctiorem, non Doctorem, non Præconem, ut vel sera erga nos futura sit misericordia. Num & despexit innumeris annis, vel ut vos vultis, tot annorum millibus, Idolis, ut dicitis, servientes, in tali ignorantia, ab ortu Solis usque ad occasum, à Septentrione usque ad meridiem, & extrâ parvam gentem, quæ neque antè duo annorum millia integra, regionem Palestina inhabitavit? Num si omnium nostrum est Deus, & omnium similiter opifex est, contempsit nos? Et post alia. Adhuc attendemus vobis, quod universorum Deum, vel nuda saltè cogitatione vos, vel vestra quis farina imaginatus sit. Nonne omnia partiarium sonant: Deus zelotes, zelat enim. Quare: & Deus ulciscitur peccata patrum in filios.*

6. *Moyse causam reddit valde fabulosam de linguarum varietate. Dicit enim: Quum Filii hominum convenissent, ut edificarent Civitatem, & magnam Turrim in illa: dixisset Deum opus esse, ut descendat, & linguas eorum confundat. Et ne fortè existimet quis me hæc calumniari, etiam ex Moysæ Libris legamus cætera: Et dixerunt: Venite edificabimus nobis Civitatem, & Turrim, cujus caput erit usque in Cælum, & faciamus nobis ipsis nomen priusquam dispergamur super faciem universæ terræ. Et descendit Dominus, ut vi-*
de-

Qi. sup. lib. 1.
248. 572.

debet Civitatem, & Turrim, quam edificaverunt filii hominum. Et dixit Dominus: Ecce genus unum, & labiam unum, & hoc ceperunt facere, & nunc non deficiet ab eis, omnia quaecumque aggressi sunt, facere: Venite descendamus illuc, ut confundamus ipsorum linguam, ut non audiant unusquisque vocem proximi. Et disperfit illos Dominus Deus super faciem universae terrae; & cessaverunt edificare Civitatem, & Turrim. Insuper his, ut credamus nos rogatis, vos autem non creditis his, quae ab Homero dicuntur de Aloadis, quos tres montes super alios posuisse intelliguntur, ut accessum haberent ad Caelum. Etenim & ego dico, hoc, sicut illud, similiter esse fabulosum. Vos autem recipientes primum, quare, per Deos oro, reprobatis Homeri fabulam? Nam illud opinor tacendum apud rudes viros, quos licet una voce, & lingua omnes per universum Orbem homines utantur, Civitatem edificare non possunt ad Caelum pertingentem, etiamsi in lateres totam terram coquant: infinitis enim opus esset lateribus aequalis magnitudinis cum universa terra, qui possent fortiter usque ad circulum Luna pertingere. Est enim, quod omnes homines conveniant, linguaque, & voce una utantur, omnemque terram in lateres, & calcem coquant, quando usque ad Caelum pertingent? etiamsi fune subtilius producat, ipsi filum ducentibus? Hanc igitur fabulam manifestam, quum veram censetis, & de Deo opinemini, quod territus sit humanae vocis unitate, ejusque gratia illorum voces confuderit, adhuc audetis vobis Dei scientiam arrogare?

7. Quod autem & Moyses sciens occultaverit tale, (nempe alios Deos) neque linguarum confusionem in Deum solum retulerit, hinc accipe. Dicit enim ipsum, non solum descendisse, neque unum cum ipso descendisse, sed multos: eos vero, qui tales sunt non dixit. Manifestum autem, quod proximos sibi, ut simul descendant suscepit. Si igitur ad confusionem linguarum, non dominus solus, sed & ii, qui cum ipso, descendunt; manifestum, quod ad confusionem morum (quos peculiare unaquaque natio habet) non ipse solus, sed, & qui cum ipso linguas confuderunt, merito coassumuntur, ut hujus distantia sint Auctores.

8. Quanto autem causa nostra potior sit, quam illorum, & ex his considerate. Imitari jubent nos Philosophi pro viribus

Ibid. pag. 579.

Ut sup. lib. 5.
pag. 591.

C

ribus

ribus Deum ; esse autem hanc imitationem in contemplatione rerum . Quod autem absque perturbatione , ac passione fiat , manifestum est , etiamsi ego non dicam . Quotid enim magis alieni ab affectionibus fuerimus in rerum contemplatione constituti , tanto Deo similiores efficimur . Quæ autem apud Hebraeos laudatur imitatio ? Ira , & furor , & ferox amalatio Phinees : qui , inquit , sedavit furorem meum à filiis Israel , dum zelo meo in illis zelor . Deus enim , ut invenit semel indignantem , ac condolentem , indignationem remisisse videtur . Hæc & alia quædam id genus Deum fecisse dicit Moyses non raro in Scriptura .

Multi præterea alia his similia , quæ minùs doctis fidelibus facessant negocium (apta , maximè novitatis amatores , ac de suo ingenio præfidentes , & in fide imbecilliores pervertere) , in veteris Testamenti scriptis , impiissimo stylo , tamquam sibi contraria , & absurda (non sentiens de Domino in bonitate) malignè adnotavit Julianus : hæc tamen perpauca dedisse sufficiat , (quæ omnia egregiè refutat Cyrillus) , ut perspicuum sit , hodiernorum Cenforum rigidiorum sententias , in Sacris , Ecclesiasticisque Historiis arbitrariè dijudicandis , ab Etnichorum haud eruditione distare ; tunc præsertim , cum eorundem Cenforum ingenia , antiquitus traditis Philosophiæ disciplinis , nuperrimè revocatis , fuerint exulta ; ut , ex eorum scriptis evidentissimè apparet .



CAPUT VII.

*Cur in Sacra Hebræorum Volumina Gentilium furor adeò
 efferbuerit? quàm huic simile Pseudo-Censorum in
 pervetusta SS. MM. Acta studium. Admirabile
 Dei consilium, ut qui Christiani nominis
 sunt Hostes, iidem sint Divinarum
 Scripturarum assertores.*

EO' vero execrabilis Gentilium in Sacra Hebræorum Volumina malignè tendebat censura, ut sublata iis fide, quæ Christianæ Religionis fundamenta inconcussa essent, totius etiam Catholicæ Ecclesiæ à Christo constructum firmissimum ædificium, cum Judaicis scriptis simul corrueret. Eòque itidem spectare perniciosum illorum studium, qui pervetusta SS. Martyrum Acta licentiùs mordere, ac sine ullo valido fundamento, falsitatis arguere sola arbitrii voluptate nituntur; omnibus in confesso erit, qui in iisdem complura, ac maxima, quæ sacrarum traditionum, ac rituum, qui in Ecclesia depositi servantur, antiquitatem summo perè commendant, contineri sedulo animadvertent; quæque horum auctoritate destituta, quasi fundamento, cui potissimum inniuntur, abique dubio ruinæ erunt obnoxia. Ideòque, quod de Judaicis scriptis contra Celsum, ac de Celso scribit Origenes, ritè à nobis quoque usurpare censemus.

*Non enim (inquit) ut id doceamus, tempus præsens
 deposcit; sed potiùs, ut contendamus Celsi contra Judæorum
 doctrinam illatas criminationes evertere, existimantis protinus
 se Christianam Religionem falsam, & commentitiam reddi-
 turum, si ejus primordia, quæ Judæorum dictis nituntur,
 falsa esse criminando coarguat. Sic ii, exempli gratia, qui-
 bus non probatur Summum Pontificem Romanum primis
 etiam nascentis Ecclesiæ temporibus, ut vera docet tra-
 ditio, Pastorum Pastorem, ac Episcoporum Episcopum
 nuncupatum, ac habitum fuisse; Sancti Sebastiani Acta
 conspuunt, falsitatis redarguunt, ac Sancto Ambrosio
 C 2 verò*

*Lib. 1. cont. Cels.
 fol. 5.*

verò ipsorum Scriptori, impudentissimè detrahunt; quod in iis hæc expressè adnotata reperiantur. Et quia hæc ipsa de Romano eodem Pontifice, tum in secundo Concilio Carthaginensi, tum à Tertulliano dicta perhibentur; tamen quod hæc, non ad ipsius honorem, sed in contemptum potius prolata videantur; idè, quæ seriò in præfatis Sancti Sebastiani Actis leguntur abjicienda dolosè pronunciant, ac ipsorum Actorum auctoritas exploditur, ac irridetur. Sic alii, ut Cœremoniis, quibus Catholica Ecclesia in Sacramentorum administratione utitur, detrahant, alia item Sanctorum Acta erroris redarguunt, quod in illis memorentur. Quem utique pestiferum morem, Gentiles passim sectatos fuisse, constabit inferius.

Sed ut ad sacra Hebræorum Volumina redeamus; illud certè fuit Divinæ Providentiæ admirandum consilium, quod contra irruentes Gentilium calumniosas censuras, illi nobis auxilio essent, qui alioquin nostri infensissimi hostes existerent; Hebræi, inquam, qui licet summo odio Christi fidem prosequerentur; hac tamen in re præ nobis stare semper compulsi sunt, ut pluribus in locis Augustinus ritè observavit; sed præcipuè in Explanat. Psalm. quinquagesimiseptimi, in qua hæc habet. *De ipsis autem inimicis quid? Nè occidas eos, nè quando obliviscantur legis tuæ. Rogat pro inimicis suis, implet præceptum. Quid est, ne miserearis omnium, qui operantur iniquitatem, & nè occideris eos, nè quando obliviscantur legis tuæ. Quomodò non miseretur omnium, qui operantur iniquitatem? & quomodò non occidis eos, nè obliviscantur legis tuæ? Sed hic de inimicis suis dixit. Quid ergo? Inimici ejus aequitatem operantur? Si qui ei inimicantur aequitatem operantur, ergò ipse iniquitatem operatur. Porro, qui aequitatem operatur, profectò iniquitatem ab inimicis patitur: restat, ut qui justo inimicantur, iniquitatem operentur. Unde ergò paulò superius: Non miserearis omnium, qui operantur iniquitatem: & nunc de inimicis suis: nè occideris eos, nè quando obliviscantur legis tuæ? Non ergò miserearis eorum, ut occidas peccata eorum: Ne occidas eos, quorum peccata occidis. Quid est autem occidi? Oblivisci legis Domini &c. Potest quidem, & hoc de Judæis intelligi. ... Quid de Judæis? Nè occideris eos, nè quan-*

quando obliviscantur legis tuæ. Istos inimicos meos, ipsos qui me occiderunt, nolit occidere. Maneat gens Judæorum: certè victa est à Romanis, certè deleta Civitas eorum, non admittuntur ad Civitatem suam Judæi, & tamen Judæi sunt. Nam omnes istæ Provinciæ, à Romanis subjugatæ sunt. Quis jam cognoscet gentes subjektas Romano Imperio? Quæ, quid erant, quando omnes Romani facti sunt, & omnes Romani dicuntur. Judæi tamen manent cum signo; nec sic victi sunt, ut à victoribus absorberentur: Non sine causa Cain ille, qui cum Fratrem occidisset, posuit in eo Deus signum, nè quis eum occideret. Hoc est signum quod habent Judæi: tenent omnino reliquias legis suæ, circumciduntur, Sabatba observant, Pascha immolant, azyma comedunt. Sunt ergo Judæi, non sunt occisi, necessarii sunt credentibus gentibus. Quare hoc? Ut demonstret nobis in inimicis nostris misericordiam suam &c. Jam factum est: per omnes gentes dispersi sunt Judæi, testes iniquitatis suæ, & veritatis nostræ. Ipsi habent Codices, de quibus Prophetatus est Christus, & nos tenemus Christum. Et si quando fortè aliquis Paganus dubitaverit, cum ei dixerimus Prophetias de Christo, quarum evidentiam obstupescit, & admirans putaverit à nobis esse conscriptas: de Codicibus Judæorum probamus, quia hoc totum antè prædictum est. Sic Augustinus, qui eadem habet in lib. 18. de Civit. Dei cap. 46., ac in Serm. 77. de Temp. tom. 10. & alibi.



CAPUT VIII.

*Porphyrii in Sacram Scripturam, nec non Rabbiorum,
& Lutheri, præsertim in Librum Job
criminationes.*

*In Præfat. ad
Daniel.*

Loc. cit.

PRÆTER eos, quos memoravimus, Gentiles, falsis criminationibus sacra veteris Testamenti Volumina incessentes, ut innuimus, fuit etiam Porphyrius, de quo hæc Hieronymus: *Contra Prophetam Danielem duodecimum librum scribit Porphyrius, nolens eum, ab ipso, cujus inscriptus est nomine, esse compositum, sed à quodam, qui temporibus Antiochi, qui appellatus est Epiphanes, fuerit in Judæa, & non tùm Danielem ventura dixisse, quàm illam narrasse præterita. Denique quidquid usque ad Antiochum dixit, veram historiam continere; si quid ultra opinatus sit, quia futura nescierit, esse mentitum.* At mendacem fuisse Porphyrium, validissimis argumentis Hieronymus ipse ostendit. Aliam contra Danielem ipsum censuram, inferrius dabimus.

Quàm crebrò pariter veris Scriptoribus, censuris hujusmodi, sua scripta Pseudo-Critici hodierni adimant; facile agnoscere est, ex Actis (ut alia prætereamus) S. Agnetis, post tot annorum curricula, nunc etiam D. Ambrosio ereptis. Enimverò si præmemoratus liber, & quindecim alii, quos contra Christianos Porphyrius exaravit, extarent; plures fortassis in illis censuras alias reperiremus iis persimiles, quibus præfati Censores nostri SS. Martyrum Actis detrahere nituntur. Verùm ii meritò sub Theodosio Principe, anno Christi trecentesimo octogesimo octavo igni traditi sunt, ut ex Concilii Ephesini Actis perspicuè apparet.

Ex Hebræis autem ipsis pariter non defuere, qui Sacerorum Librorum veritatem ineptè contemnerent; unde in detestando libro eo Thalmud. Ord. 4. Tract. 3. nec Librum Job inter Divina Volumina recensuere; & (quod simillimum est Censuris, quæ paucisim ad nauseam usque audiuntur), ipsum Job numquam in rerum naturam fuisse com-

commenti sunt. Posteriores verò Rabbini, ut R. Salomon, R. Levi; Librum quidem recipere sunt visi; utpote qui eum commentariis illustrarunt; sed ipsum Job virum sanctissimum haud semel, nec leviter immeritò miseri reprehenderunt. Rabbi etenim Salomon, eum calamitatis impatientem, non quidem verbis, sed tamen corde peccasse impudenter aserit. Ac impudentiùs R. Levi, eundem beatissimum Patriarcham, abnegatæ Providentiæ Divinæ, resurrectionisque mortuorum, justissimas poenas luisse, affirmare non est veritus.

*De Verbo Dei
Lib. 1. cap. 5.*

Dignum profectò fuerat, ut Censuræ hujusmodi, quòvis Rabinò deterior, suam quoque annecteret Lutherus, qui (Bellarmino teste) in convivalibus sermonibus, Titul. de Patriarchis, & Prophetis affirmat se non credere omnia ità esse gesta, quemadmodum in Job libro narrantur. Et rursùs Titul. de Libris veteris, & novi Testamenti, ait Librum Job esse, veluti fabulæ argumentum (en verba, & axiomata, quibus novi Pseudo-Critici passim utuntur) ad patientiæ exemplum proponendum. Et demum Titul. eodem Colloq. fol. 482. *Hebræus (inquit) Poeta, & Auctor Libri hujus, quisquis ille fuit, hujusmodi tentationes habuit, vidit, atque expertus est, quas deindè ad hunc modum descripsit.* Et ab hac quidem, ac similibus sive Lutheri, sive aliorum Hæreticorum Censuris, haud omninò abhorruisse agnoscuntur, qui de sacris Hebræorum Voluminibus, ac rebus, ex hodiernis Pseudo-Censuris nuperrimè tractatus edidere.



CAPUT IX.

Patres, ac Patriarcha veteris Testamenti Hæreticorum calumniis impetiti. Moyses Pentateuchus, Ecclesiastes, Cantica Canticorum, Liber, qui Sapientia dicitur, quàm impudenter bujusmodi Hominum stylo confixi.

SED quia de Hæreticis, ac de Luthero jam sermo incidit, nonnulla præterire non potuimus, quibus factorum veteris Testamenti Librorum veritatem, hi vel negare, vel lædere ausi sunt. *Mosese* (inquit igitur Lutherus ipse), *neque audire, neque videre volumus. Nam Moyses Judaico populo tantum datus est, neque quidquam ad nos pertinet, qui ex gentibus facti sumus Christiani. Sit igitur Judæis, quasi speculum Saxonum, neque nos gentes inquietet, aut perturbet. Quemadmodum Gallia speculum Saxonum non curat, quamquam cum illo, quod ad naturæ legem attinet, bene convenit &c.*

*Ex Resc. Atheis.
de Scrips.*

Calvinus, Patres, & Patriarchas in veteri Lege laudatos, & probatos, impudentissimè accusans, libidinis, fraudis, superstitionis, & cupiditatis iisdem crimina infrunito halitù impingit, ex criminatione personarum, ad earum dogmata in contemptum adducenda sibi viam aperiens. Nam Institution. suarum lib. 3. cap. 2. *Sara* (inquit) *multis modis peccavit, cum Ancillam viro suo supposuit. Rebeccha, variis fraudibus, & imposturis Dei veritatem corrumpit, cum malo artificio, filii benedictionem procurat, maritum decipit, filium mentiri coegit. Mox verò, Capite ibidem quintò: Superstitione, & præpostero zelo non caruit factum Judæ Machabæi, qui oblationem misit pro mortuis in Hierusalem. Item cap. 14. Dicit Abraham fuisse Idololatram. Cap. 20. In Sampson (inquit) cum ait: robora me Domine, vitiosa cupiditas vindictæ dominata est. Et lib. 4. cap. 15. Nec in exemplum trahi debet, quod Zephora stulta mulier, filium circumcidit, in quo multis modis graviter peccavit &c. Ex quibus verbis liquet (ait Rescius in Atheismis)*

mis) quàm contempta habuerit Calvinus, & scripta, & facta veteris Testamenti; quæ tamen omnia, vera fuisse, & mysteriis involuta, Paulus, & undique omnes Sancti Doctores toti Christiano Orbi tradiderunt. Pæsîm verò his similibus censuris, Martyrum, vel facta, vel dicta, tamquam Christianæ modestiæ, patientiæ, ac virtuti ad-versantia, Pseudo-Censores nostros culpâre solere, vel ut ipsos criminis, vel ut Acta eorum arguant falsitatis; nemo certè diffitebitur, cui scripta Pseudo-Censorum ipsorum legere vacabit.

Longè verò antè Calvinum, ac Lutherum, impiissîma censura, veteris Testamenti scripta mordere Ptolomæus quidam præsumpsit, ut ex ejusdem Epistola apparet, quam Epiphanius refert, ac hujusmodi est ad Floram quandam conscripta. *Legem illam, quæ à Moyse tradita est, (Flora soror amantissima) neque perspectam habere quamplurimos, neque ejus velut fundamenta, vel præscripta cognoscere, facile te intelleturam existimo, si quàm variæ de illa sint opiniones, didiceris. Sunt enim, qui illam à Deo putant, ac Patre fuisse constitutam. Alii contrariam viam ingressi, ab ejus amulo nefario Damone latam affirmant, à quo. & mundum fabricatum asserunt, & eundem Conditorem, ac Patrem esse dicunt. Verùm illi, qui ejusmodi dogmata sibi invicem communicarunt, vehementer hallucinati sunt, & ab eo, quem sibi proposuerant, scopo veritatis aberrarunt. Nam, nec à perfectò Deo, ac Patre stabilita videtur, utpotè minùs perfecta, & ad sui absolutionem plura desiderans, ac mandata quædam continens, quæ Dei natura, ac decreto sunt aliena. Neque verò adversarii improbitati tribuenda lex est, cujus proprium sit iniquè facere: quique ità statuunt, quæ à Salvatore dicta sunt, nequaquam animadvertunt. Ità enim ille pronuntiavit: Stare domum, vel Civitatem non posse, quæ in se ipsa divisa sit. Præterea mundum à se fabricatum asserit; omniaque per ipsum facta, & sine ipso nihil esse factum. Quibus verbis Apostolus mendacissimorum hominum minime solidam sapientiam refellit, nec pestifero alicui Deo, sed justo, & improbitatis omnis inimico, illarum rerum auctoritatem concedit. Sed temerariorum hominum illa judicia sunt, neque Conditoris providentiæ causas intelligentium, quique non*

D

ani-

D. Epiph. advers.
Heres. lib. 1.
tom. 1. Heres.
33. pag. 216.

minimi solum, sed etiam oculis corporis videantur esse capti. Quantopere igitur illi à veritate diffideant, ex iis, quæ dicta sunt abundè potes cognoscere. Sed utrosque proprium quiddam, ac peculiare, ad ita sentiendum induxit. Alios quidem, quod auctorem justitiæ Deum ignorarent: alios, quod universonum parentem peraque nescirent, quem ille solus adveniens, qui solus morat, aperuit. Nobis verò, quibus utrunque Dei beneficio cognitum est, reliquum illud est, ut de Lege certi aliquid, exploratique doceamus, cujusmodi, videlicet illa sit, & à quonam Legislatore sancita; ita tamen, ut quiddam à nobis allatum fuerit, id non aliunde, quàm ex ipsis Salvatoris verbis probetur. His enim solis, velut itineris ducibus adhibitis, ad rerum cognitionem, sine errore perducimur.

In primis igitur sciendum est universam illam legem, quæ quinque Moysis Voluminibus continetur, non ab uno esse Legislatore profectam, solo videlicet Deo: sed admixta quadam hominum esse mandata, ut quemadmodum Salvator ipse docuit, trifariam Lex sit omnis distributa. Quadam enim ad ipsum Deum, ejusque sanctiones pertinent; alia Moysi tribuenda sunt, non quidem quatenus aliquid à Deo illius interventu decretum est, sed quatenus per sese, ac suapte spontè nonnulla constituit: aliorum denique Seniores, qui in populo erant, Auctores extiterunt; ac primi illi, privata quadam præcepta inserere sunt ausi. Quod quemadmodum sese habeat, ex ipsis Salvatoris verbis intelliges &c. Et post nonnulla de Moyse loquens: Hac illius ratio fuit (inquit) propter quam contrarium quiddam Deo statuisse cernitur. Enimverò diversam hic à Divina, Moysis legem extitisse, extrà omnem controversiam est: etsi id in uno tantùm decreto probatum sit.

Eidem verò legi, traditas à Senioribus illigatas esse regulas, non obscure Salvator ostendit: Deus enim (inquit) dixit: Honora Patrem tuam, & Matrem tuam, ut bene sit tibi: Vos autem dixistis; Seniores, inquit, alloquens: Magnas Deo quodcumque ex me tibi proderit, & irritam fecistis legem Dei, propter traditiones Seniorum vestrorum. Hoc ipsum pronuntiavit Esaias, dicens: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me. Sine causa autem colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum. Ex iis liquet

Matth. 15.
& Marc. 7.

Esai. 19.

liquet omnem illam esse Legem divisam in partes tres ; in eaque, & Moysis ipse, & Seniorum, & Dei mandata contineri. Atque hac universa Legis, à nobis instituta partitio, illius nobis veritatem ostendit.

Sed ea pars Legis, quæ à Deo profecta est, tria rursus in membra dividitur. Alia enim sunt sincera præcepta, & ab omni mali permissione secreta, quæ propriè Lex appellatur, quam Salvator non venit solvere, sed adimplere. Non enim à se erat aliena, quam adimplevit ; alioqui perfici, impleri que non posset. Alia sunt deterioribus implicata, qualis injustitia est, quam Salvator abhorrentem à natura sua funditus sustulit. Postremò alia sunt, quæ typica, ac symbolica vocantur, hoc est umbra quadam præstantiorum, ac imagines : quod genus Salvator, ab eo, quod sensibus expositum est, & externum, ad spirituale, nec aspectabile convertit. Jam verò pura illa, sinceraque Lex Dei, nec cum deteriore conjuncta, Decalogus est ipse, sive Decem illa præcepta, duabus distincta tabulis, quibus, aut cavenda prohibentur, aut facienda mandantur. Quæ, etsi pura sint, ac liquida, tamen quòd nondum perfectæ sint, impleri à Salvatore debuerant. Ad illud verò genus, quod injustitiæ aliquid habet, Leges illæ referendæ sunt, quibus injuriarum præsecutio, eorumque, qui priores nos læserint, vindicatio perscribitur. Velut, cum oculus pro oculo, dentem evelli pro dente, ac eadem eadem compensari præcipit. Neque enim minus injustè agit, qui id post alterum perpetrat, cum solius ordinis interfit, atque idem omnino facinus committat. Sed illud præceptum alioqui justum erat, & est modo, propter eorum infirmitatem, quibus editum fuit, cum sit adversus sincerioris Legis violationem præscriptum : licet à communis omnium parentis natura, ac bonitate sit alienum : vel consentaneum potius est, sed necessitate quadam expressum. Nam qui vel unicum homicidium verat fieri, dum ita statuit : Non occides, cum postea cadis auctorem vicissim interfici jubet, ac secundam Legem ferens, duplicem eadem imperat, qui unam prohibuerat, ad ea necessitate coactus, & imprudens decurisse videtur. Atque idem missus ab illo Filius, eam Legis partem antiquavit, quam quidem à Deo latam, & ipse confessus est : quæ cum in cæteris ad antiquam Hæresin ascribitur, tum in iis, quæ Deus bisce

Levit. 24.

verbis statuit : *Qui Maledixerit Patri, vel Matri, morte moriatur.* Hæc Ptolomæi animadversiones, ab eodem Epiphano rejectæ.

Haud diffimili censura, cœteros quoque veteris Testamenti Libros Hæretici carpere prætermiserunt ; unde de Libro Ecclesiastes temerè, ex more Lutherus : *Liber iste, ait, plenior esse debebat. Nec Ocreas habet, nec calcaria. Equitat in soccis tantum, quemadmodum ego, cum adhuc in Cœnobio essem.* Et postea. *Salomon ipse librum hunc non scripsit, sed à Jesu filio Syrach tempore Machabæorum compositus est ; & instar Talmuth ex multis libris congestus, fortassis ex Bibliotheca Regis Ægypti Ptolomæi Evergetis.* Cum sermo sit de Libro, qui inscribitur, non *Ecclesiasticus* (quem constat ex Prologo, à Jesu filio Syrach conscriptum fuisse), sed *Ecclesiastes* ; enormiter hallucinabatur Lutherus, cum eruditionem istam suam eructabat. Nam Hebræi omnes, & quatuordecim etiam Patres apud Pinedam, uni Salomoni *Ecclesiasten* adscribunt ; antiquissimi, nimirum, hujuscæ traditionis testes. Sed nulli Testes Luthero fuerint omni unquam exceptione majores : quæritabit in scirpo nodos, ut quorumvis excutiat auctoritatem, ut mox inter narrandum indicabimus.

Ex Resc. in A-
ibels. pag. 14.

Bellar. de Verb.
Dei lib. 1. cap. 5.

Luth. Titul. de
Patier & Propb.
colloq. fol. 399.

Philast. in Catal.
Hæresion. cap.
132. pag. 147.

Jacob. Christopho-
lit. in præfat.
Comm. in Can-
tic. Canticor.
Bellar. ut sup.

Lutherum tamen primùm minimè fuisse, qui censuræ hunc librum supponere aggressus fuerit, patet ex his, quæ narrat Philastrius his verbis. *Sunt quidam Hæretici, qui de veteri Testamento multa reprobant, idest Salomonis, Ecclesiasten, paucis quidem conscriptum sententiis, omnem tamen thesaurum cœlestis scientiæ quærentibus consinentem &c.* Id verò ob quod detrahere eidem libro ausi sunt, illud fuit, Jacobo Christonolitano, ac Bellarmino auctoribus, quod eum Librum Salomon in extrema senectute composuisse videretur : eò videlicet tempore, quò amore mulierum depravatus, summum bonum in corporis voluptatibus constituebat, atque ad Epicuri, sive Aristippi Philosophiam aditum parabat. Quid verò, si adhuc honestis tantum oblectationibus indulserat ? Quid, si post illicitas denique voluptates ista conscripsit, vel certè dictavit, pœnitens, ut etiam S. Hieronymus censuit ? Sed de his alii, vel aliàs : atque ita semper in consimilibus. Neque enim va-

cat

cat his nugis refutandis immorari, neque ab instituto nunc itinere expedit, ut supra monuimus, aberrare. Videant interim, novi Pseudo-Critici, ritèque perpendant quantam illorum censuræ cum similibus nugis, ac næniis conformitatem habeant, ut tandem fateri cogantur, quos ipsi Auctores recognoscere debeant.

Sed acriori censura, in Librum alium, nempè Cantica Canticorum, ab eodem Salomone conscriptum, Hæretici invecti sunt; & de veteribus quidem ista habet Philastrius. *Est hæresis, quæ de Canticis Canticorum ambigit, ipsa itidem æstimans, non Spiritu Divino, sed humanarum rerum causa, ac voluptatum, hominibus ab eodem prædicata. Quod idem confirmat præfatus Christophopolitanus. Et in Atheismis Rescius. Beza, inquit, tribuit Castellioni, quod Cantica Canticorum, non spiritu Dei veri, sed cupidinis afflatu scripta putavit: nihilque aliud in toto Cantico comprehendit, quàm sermones amatorios Salomonis Regis, & uxoris ejus filia Pharaonis, eaque de causa nullum in toto libro, Dei nomen inveniri, ac propterea esse prophanum.*

Philast. ut sup.
pag. 150.

Ut sup.

Resc. in Atheismis
pag. 14.

Est. cap. 5.

Verba porrò Castellionis Rescius idem, ex Joanne Dureo profert, ac hujusmodi sunt: *Canticum Musicum, quod Salomonis est, nil nisi amatorium est: Dissuaviare me, ait, oris tui suavio: ad tuorum suavium unguentorum odorem te amant puellæ, tota es bella amica mea, aperi mihi sororcula mea, amicula mea, columbula mea, ò te formosam, amicam meam, ò te formosam, quæ columbinos habes ocellos. Et ne quid deesse ad irrisionem videretur, in margine addit Salamitba, Salomonis amica.*

Stoici quoque Ministri in Apologia Confessionis suæ, quam refutat Hamiltonns, in Canticis Canticorum amatoriam quædam Philtra tractari mentiuntur. Ista Rescius.

Alterum etiam Salomonis Librum, qui Sapientiæ dicitur, temerè mendacii coarguit, Bellarmino teste, Calvinus his verbis: *De Idolorum origine publico ferè consensu receptum est, quod in Libro Sapientiæ habetur, primos scilicet existisse eorum Auctores, qui hunc honorem detulerunt mortuis, ut ipsorum memoriam superstitione colerent; & sanè fateor perversum hunc morem fuisse vetustissimum, nec facem fuisse nego, quò accensus hominum ad Idololatriam furor magis*

Ut sup. cap. 13:

Calvin. lib. 1.
Instit. cap. 11.
§. 8.

gis exarsit . Non tamen concedo hunc fuisse primum mali fontem . Idola enim jam fuisse prius in usu , quàm ista in consecrandis imaginibus mortuorum ambitio invaluisset , cujus apud prophanos Scriptores crebra fit mentio ; constat ex Moyse , qui cum Rachelem narrat furatam esse Patris sui Idola , non secus , ac de communi vitio loquitur . Sic Calvinus .

Ibid. ut sup.

De Auctore etiam hujus Libri , contrà communem veterum Patrum sententiam , acriter Censores disseruisse , idem Bellarminus est Auctor , qui egregiè eorundem censuram rejiciens ista habet . *Quod verò D. Hieronymus præfatione in Libros Salomonis hunc Librum dicit à multis putari Philonis Judæi , & D. Augustinus lib. 2. de doctrina Christiana cap. 8. dicit esse Jesus filii Syrach , non est contrariam communi sententiæ Doctorum . Nam sententiæ quidem sunt Salomonis , non Philonis , ut veteres dicunt , & clarissimam est ex Cap. 9. ubi Auctor libri dicit : Tu elegisti me Regem populo tuo , & dixisti me adificare Templum in monte sancto tuo &c. tamen collectæ sunt hæ sententiæ ab aliquo alio , qui à multis putatur Philo , non ille qui fuit post Christum , sed alius antiquior , qui quidem verbis Gæcis Salomonis sententias complexus est , Spiritu Sancto dictante , sicut Proverborum 25. dicuntur Parabole illæ Salomonis translatae in Librum à viris Ezechiæ Regis Judæ , cum antea forstè in schedulis haberentur . D. Augustinus autem sententiam retractavit lib. 2. Retract. cap. 4.*

Idem ut sup.

Demùm Rescius : Wittakerus quoque Anglus (inquit) moleste fert Librum Sapientiæ in serie Scripturarum numerari : ait enim in responsione ad Campianum , quod tantopert contendit Augustinus , extrahi extrà Canonem , nullo modo oportere Librum Sapientiæ ; id ipse viderit Augustinus . Hunc certè Librum Hieronymus nominatim extraxit ; sed etiamsi omnes suos Ecclesia calculos consulisset , præbere illi robur non potuisset , nisi suum antea , propriumque robur , divinitus habuisset . Sic ille apud Rescium . Qua etiam ratione plura , immò ferè omnia SS. MM. Acta fas sibi esse rejicere hodierni Pseudo-Censores putant ; licet omnes suos eis calculos , ab immemorabili tempore , Ecclesia contulerit . Cum enim existiment illa veritatis robur numquam obtinuisse : quidquid roboris Ecclesia ipsa ,
sua

sua autoritate iis contulit, five inesse declaravit, id omne, tamquam falso innixum fundamento, spernendum ducunt.

CAPUT X.

In eandem aleam Psalterium, & Liber Ecclesiastici adducuntur.

SUNT quidam Heretici (inquit Philastrius), ut Manichæi, & Gnostici, & Nicolaitæ, & alii, qui de Beato David audent dicere, quod non Christi Propheta fuerit, neque Doctor, & Commentator Divinarum omnium Scripturarum, sed humanae castationis, & secularis rei conscriptor extiterit.

Philast. advers. Hæres. pag. 136.

De Paulo Samosateno id etiam monumentis tradidit Eusebius: Porro quid vobis in memoriam revocemus (scribit) quemadmodum Psalmos, & cantus, qui ad Domini nostri Jesu Christi honorem decantari solent, tamquam recentiores, & à viris recentioris memoria editos exproserit: & in media Ecclesia solemnibus Paschatis die, mulieres, quæ inanes cantilenas (quas si quispiam audiret plandè exhorrescere) in ipsius laudem funderent, paravit? Existimat nihilominus Bellarminus Paulum hunc, non tam Davidis Psalmos, quam Hymnos aliquos Ecclesiasticos, ab Ecclesia sua removisse; quod Davidis Psalmi, post tot secula recens excogitati Samosateno videri potuerint, haud credibile censeat.

Euseb. Eccles. Hist. lib. 7. cap. 24.

Utr. sup. cap. 5.

At, præ cunctis, impudentius Lutherus, ut Matthesius scribit, Psalmorum, non Davidem, sed Æsopum auctorem fecit. Quod nimirum *ex nomine Asaph*, in Psalmorum inscriptione usitato, quasi corruptum à vero, & proprio Æsopi comprobare contendit. Et millies pari modo nomina in Martyrum Actis recensita, adulterinis interpretationibus corrupta, à nostris Pseudo-Censoribus offendere est; ut vel Acta ipsa veris Authoribus detrahant, vel eadem falsò conscripta pronuncient; vel eisdem verbis utuntur, quibus Samosatenus, ut scilicet Acta SS. MM. à viris recentioris memoria esse edita ostendant.

Matthes. conc. 7. apud Ruff. no sup.

Sub-

*Philast. advers.
Hæres pag. 139.*

Subtilius (estò semper pessimè) Hæretici alii apud Philastrium : *De inæqualitate.* (eiusdem Scriptoris sunt verba) *Psalterii errorem patiuntur non modicum , astimantes totum librum Psalterii non esse David , & cum historiam quarunt per ordinem , inveniunt inæqualitatem , ut quod novissima prima esse posita provident , non modicum scandali patiuntur . Nam in tertio Psalmo persecutionem patitur à Filio : & in centesimo plus contra Allophilum pugnando differit ; cum invenimus eum primum pugnasse cum Goliath in sua juventute , à filio autem suo in senectute postea bellum sustinuisse . Et quamvis hæc spiritaliter de Christo intelligenda sint ; tamen , & historiam inquirentes studiosè , de eodem Beato Propheta non parvo offendiculo perturbantur &c. Sic ille . At quoties etiam Pseudo-Censores nostri perturbentur , cum Conscriptores Actorum MM. Chronologicas regulas minimè servasse considerant ; qui eorum censuras leget , passim animadvertet .*

Ref. in Abbrif.

De Libro verò Ecclesiastici , hanc Rescius refert Hæreticorum censuram . *Lutherus ait : Qui librum istum composuit , Legis Doctior est , vel Jurista : docens quomodo vitam honestam exteriorem ducere oporteat . Propheta verò non est , neque quidquam novit , aut docet de Christo . Aurif. fol. 481.*

Calvinus eundem Ecclesiastici Librum non vult esse solidæ auctoritatis . *Lib. 3. cap. 4. Institut.*

Wittakerus quoque Anglus . *De loco , inquit , Ecclesiastici , parum laboro , nec arbitrii libertatem credam , quamvis hic centies affirmet . In Resp. ad Campianum .*

Solemne verò esse hodiernis Pseudo-Censoribus , ut ubi aliquid , quod sententiis , quibus adhærent , in Martyrum Actis , contrarium offendant , tamquam falsum , nulliusque authoritatis rejiciant : nemo , qui censuras illorum viderit , negare poterit .



CAPUT XI.

*Prosequuntur Acatolicorum Censura in Libros Tobia ,
Judith , & Machabeorum .*

HEBRÆI, qui, Hieronymo teste in Prologo Galeato, Tobia, Judith, Sapientia, Ecclesiastici, & Machabeorum Libros simul rejiciunt, nostri temporis Hæreticos sectatores habent. Ac in primis Tobia Librum Comædiam esse pronuntiavit Lutherus, in qua de mulieribus sermo est: quem cum olim Justus Jonas in linguam Latinam vertisset, eumque Luthero eidem obtulisset; dicens: *Multa in eo sunt ridicula, & stulta, & primùm quidem, quod de tribus noctibus, de jecore, de asfato pisce, deque Diabolo fugato narratur.* Ad hæc respondit Lutherus: *Esse, inquit, figmentum merè Judaicum.*

*Apud Resp. ab
sup.*

*Colloq. Mens.
fol. 482.*

Haud dissimili ratione Wittakerus quoque, quem paulò antè memoravimus, de eodem Libro sententiam protulit. *Illum (inquit) Thobiae Raphaelem minimè moramur, nec illos septem Angelos agnoscimus, quorum ille meminit; hoc totum à Scripturis alienum est, quod ab illo Raphaele commemoratur: ac superstitionem, nescio quam redolet.* Sic ille, alique ei similes passim; à quorum ingenio minimè abhorruisse visus est, qui in Actis Sanctissimi Martyris Sebastiani, Angelorum similem apparitionem cum depræhendisset; eam tamquam purum figmentum habendam duxit.

*In resp. ad
Camp. ut sup.*

Sed quod potissimum Libro huic impiissimi Censores objicere solent, illud est, quod hic secum ipso pugnare videatur. Nam in cap. 3. dicitur Sara, quam in uxorem Tobias junior habiturus erat, in Rages Medorum Civitate habitasse, ubi etiam Gabelum fuisse Tob. 4. legitur. Cum tamen Tobia cap. 9. narretur, quod Tobias cum pervenisset ad locum, ubi Sara morabatur, indè Angelum ad Gabelum misit. Undè domum Saræ fuisse in Rages, ut primo loco asseritur, falsitatis arguere non verentur. Quasi non tota ea Regio tunc appellata esset Rages, &

*Bellarmin. ut sup.
cap. 12.*

E

ta-

tamen, præter Civitatem Ecbatanis, ubi propriè Sara degebat, adesset in eadem regione Civitas peculiari nomine *Rages* dicta, in monte sita, unde regionis totius appellatio; quemadmodum vox *Neapolis*, & Regnum totum, & peculiarem, ejus Regni Urbem significat. Gabelus porrò in monte habitabat duorum itneris dierum spatium, ab Urbe Ecbatanis in planitie sita distante. Quare nulla est hoc loco vera contradictio. Sed hæc semper adnotare non vacat, nec nostri est Instituti in præsentiarum, ut iterum monemus. Præsumat quisquis legerit, imposturas, vel ineptias esse, quæ effutiunt Infideles; ita quippe semper est, etsi non semper ostendamus tales esse, cum jam olim ostensum fuerit à Sacris Scriptoribus tam multis, & obviis, ut sæpè monuimus.

Jam verò, sicut *Comediam*, Tobie hunc Librum, Lutherus, ut diximus, pronunciavit; sic illum Judith *Tragediam* dixit: *Mibi videtur* (ejusdem sunt verba) *Judith esse Tragediam, aut fabulam, in qua describitur, aut ostenditur, qualis esse Tyrannorum exitus soleant.*

Colloq. fol. 481.

In Antidot. fol. 4.

Pari modo Calvinus, & Judithæ, & Tobie Historias rejicit, cumque secuti Ministri, qui apud Possacum fidei Confessionem edidere, eidem se sententiæ adhæsisse, astruunt.

Difficillimam autem quæstionem adversus Judith Librum motam fuisse, ingenue Bellarminus fatetur. Quam quidem, ut & passim alias, in speciem subtiles, eruditæ, ac difficillimas aperire non gravamur, ut vel hinc discant Pseudo-Critici, nec se solos eruditæ istas, ac reconditas observationes, notasque procudere, & ostentare, cum intueri compellantur id Novatores longè ante præstitisse; neque majorem exinde laudem, aut victoriam, apud sinceros Ecclesiæ filios, veri nominis Theologos expectare, quàm illi, respectivè adepti fuerint. An verò huc demum collineant isti Pseudo-Critici, fin minus ex intentione operantis, ex operis ipsius quod agunt intentione, ut cum Acta Martyrum se dubia fidelibus reddidisse gloriabuntur, mox eis perindè dubios reddant consimilibus argutationibus Libros Canonicos à Novatoribus expunctos, & pax nimirum fiat Catholicos inter & Hy-

go-

gonottos, quasi de problematicis tantum articulis dissentientes? *Nam videtur* (inquit itaque Bellarminus) *Historia ista omnino confecta*, cum cap. 5. post reversionem populi à Babylonica captivitate contigisse dicatur; & tamen cap. 1. eo tempore Nabuchodonosor Assyriorum Rex contra Arphaxad Medorum Regem, qui Ecbatana ædificaverat, pugnasse referatur. Quæ quidem nullo pacto cohærent: quo enim tempore à captivitate populus rediit, jam Assyriorum Monarchia everfa fuerat, nec Nabucodonosor, sed Cyrus, vel Darius Assyriis, Persis, ac Medis imperabat.

Ibid. ut sup.

At in Machabæorum Libris, plus etiam, quod impiis censuris ritè corrodere possint se habere existimant; illudque idcirco (ut jam innuimus) in primis Calvinus objicit, quod horum Librorum Scriptor, præposterum zelum, & superstitiosum factum Judæ Machabæi, qui pro mortuis sacrificium offerri jussit, commendat: nam præterquam quod pro quibuscumque mortuis orare superstitiosum esse censet; accedit, quod isti, pro quibus Judas orari jussit, lethali crimine obligati decesserant; ideòque hujusmodi essent, pro quibus, juxta ipsorum Catholicorum doctrinam, orandum non erat; eos siquidem sic mortuos esse illud ostendit, quod in eodem libro legitur. *Inventa sunt sub vestibus mortuorum omnium quedam de diversis Idolorum contra prohibitionem Domini, quæ habetur. Deuteronom. 7.*

Calvin. Instit. lib. 3. cap. 5. §. 8.

2. Machab. 12.

Insuper Canonicum haberi minimè debere ejusdem Libri Auctorem, contendit Calvinus, quod lib. 2. cap. ultimo ipse erratorum, quæ in scriptione Libri ejusdem patrasset, veniam deprecetur. Cui addas, quod cap. 2. scribit. *Et nobis quidem ipsis, qui hoc opus breviandi causa suscepimus, non facilem laborem, immò verò negotium plenam vigiliarum, & sudoris assumpsimus.* Quibus verbis se humano more hunc librum composuisse perspicuè demonstrat. Cum, è contrà Auctores verè sacros, non ingenio, ac labore suo, sed Spiritu Sancto revelante scripsisse, ex Hieremiæ cap. 36. manifestè apparet. Hic siquidem Propheta tanta facilitate Notario suo Baruch ea, quæ Deus sibi revelabat, dictabat, ut ex libro aliquo illa ipsa potius legeretur.

Idem in Antidot. Concil. Trid.

Ejusdem Libri Scriptor etiam asserit Patres suos captivos in Persidem abductos fuisse; quod quidem erroris patenter redarguitur, cum certum sit, non in Persidem, sed in Babiloniam fuisse abreptos.

Præterea in hoc eodem Libro narratur, quod eo tempore, quo Hierusalem, ac Templum à Chaldæis spoliabatur, ac incedebatur, Tabernaculum, & Arcam fœderis, in spelunca quadam Montis Nebo Hieremias abscondit; illudque insuper pronunciavit, locum illum occultum fore, donec Deus iterum populum suum congregaret. Qua in narratione, insignia duo mendacia contineri, nefandi Censores animadvertunt; quorum alterum est, quod Hieremias illud fecerit; nam antequam Urbs in potestatem Chaldæorum venisset, Propheta ipse arcto carceri semper mancipatus fuerat, & penè omnibus in Hierusalem invisus extiterat, ut ex ipsius Hieremiæ cap. 36. & 38. constat; idèdque, nec per se, nec per alios, quæ ab eo facta dicuntur, efficere potuerit. Urbe verò à Chaldæis capta, ac direpta, ut ex 4. Regum cap. ultimo habetur, nil reliquum fuerit, quod Hieremias abscondere quiverit. Mendacium verò alterum in eo est, quod iterum à captivitate redeuntes Judæi, Arcam, & Tabernaculum habituri essent; quod certè propheticum oraculum impletum minimè fuisse illud demonstrat, quod eam nunquam postea habuerint.

Evidentissimæ falsitatis illud etiam pronunciant, quod Alexander Magnus primus in Græcia regnasse in eodem libro asseratur; nam ex Eusebii Chronic., & aliis, perspicuum est in Græcia, antè Alexandrum, qui Lacedemoniis, Macedoniis, Corinthiis, & Atheniensibus dominati sunt, plures Reges fuisse.

Antiochus insuper Illustris anno centesimo trigesimo sexto Græcorum Regni in ipso Libro astruitur; cum tamen, ex eodem Eusebio, Antiochum anno centesimo quinquagesimo sexto: (tot enim anni à Græcorum Monarchia usque ad Antiochum numerantur) regnasse, manifestum sit.

Romanos quoque, singulis annis uni homini Magistratum committere solitos fuisse, ibidem refertur. Quod quidem

dem falsissimum esse, perspicuum apud eos reddit, quod eo tempore, non unus, sed duo Consules crearentur.

Eorundem Machabæorum libro primo cap. 4. Anno centesimo quadragesimo octavo, (anno uno, videlicet, antè Antiochi obitum, qui anno centesimo quadragesimo nono ut 1. Machabæor. 6. dicitur, decessit) Judas purgasse Templum perhibetur. At id his, quæ libro 2. cap. 10. narrantur, palàm repugnat; nam ibi Judam nonnisi biennio, post Antiochi mortem Templum purgasse refertur.

Pari modo lib. 1. cap. 6. Antiochus Illustris mortuus Babylonè in lecto suo dicitur, præ animi dolore, quod ex animi sententia ei negotia non successissent. Contrà verò lib. 2. cap. 1. in Templo Nannæ, cum multis ex suis membratim cæsus narratur; & rursus eodem lib. 2. cap. 9. tum interno viscerum dolore, tum quia de curru in itinere ceciderat, interemptus dicitur.

Similiter lib. 1. cap. 9. mortuus dicitur Judas, anno centesimo quinquagesimo secundo. Et lib. 2. cap. 1. Epistolam scripsisse anno centesimo octogesimo octavo asseritur. Quod si pro vero habeatur, triginta, & sex annis post mortem suam, Judam hanc Epistolam scripsisse fatendum erit.

Sed quod majus est, in Machab. lib. 1. cap. 1. aliquod est, quod cum Evangelio pugnare cognoscitur. Auctor siquidem ejusdem libri, Danielis vaticinium de abominatione desolationis stante in loco sancto, impletum fuisse, cum Antiochus Epiphanes Idolum in Templo Dei collocaverit, affirmat. E' contrà verò Christus in novissimis diebus vaticinium ipsum implendum esse, Matth. 24. docuit.

Demum, quem pluries memoravimus Wittakerus Sacramentarius: *Machabæorum.* (inquit) *Librum minus cu- ro, nam neque apud Josephum Gracè tale quid reperitur, neque in Josepho Bengoreo, Hebraicè, qui tamen eandem Historiam conscripsit, sit ulla ullius sacrificii mentio, neque Judaicis præceptum, aut positum in more fuit, ut sacrificia, precesque pro mortuis facerent. Præterea verò ea est verborum in Græco exemplari perturbatio, ut integram, veramque sententiam vix elicias. Ad quæ addit. Juda etiam de*

*Apud Ref. ubi
sup.*

Onis

*Bellarmin. ut sup.
cap. 8. & seqq.*

Omnia somnium, ut somnium prætermitto. Bellarminus, & alii impiissimas omnes has censuras abundè explodunt: Cum Witacherio autem familiare etiam nunc Pseudo-Censoribus esset cum videlicèt, de Martyrum Gestis quaestiones instituunt, effutire: *Neque apud hunc Scriptorem tale quid reperitur, neque apud alterum, qui talem historiam conscripfit, sit ulla hujus, vel illius rei mentio, & his similia mere negativa argumenta, nemo inficiabitur; at eorum imbecillitatem, ac falsitatem abundè ostendunt ab eodem Sacramentario Hæretico, frustra, ac perperam contra Machabæorum Librum prolatae rationes: iis siquidem non obstantibus, Divinum eum Librum esse, Catholicorum negare nemo præsumet.*

C A P U T XII.

In Librum Esther, & Danielis, Sæctariorum censura.

NEC deest, quod objiciant, Libro Esther, cum extrà Canonem, illum præcipuè posuerint Melito Asianus apud Eusebium lib. 4. Histor. cap. 26. necnon Athanasius in Synopsi, & Gregorius Nazianzenus in eo carmine, quod de genuinis Scripturis conscripfit. Nonnulli verò, qui eundem Librum inter Canonicos habendum existimarunt, septem ipsius postrema Capita, quæ in Hebraicis textibus minimè reperiuntur, ejusdem Libri vera esse membra negantes, eà, tamquam adulterina, à coetero corpore rescanda putarunt; eique sententiæ Hieronymum adhæsisse, ex illius præfatione in eundem Librum colligitur.

Insuper postrema hæc capita cum superioribus minimè cohærere, ostendere connituntur; nam cap. 2. insidiæ duorum Eunuchorum, earumque detectio, industria Mardochæi narratur: Deindè cap. 11. & 12. eadem denuo referuntur; sed priori loco insidiæ factæ fuisse anno septimo Assueri dicuntur; & cap. 6. additur nihil omninò mercedis Mardochæum, qui eas patefecerat, accepisse.

In

In posteriore autem loco structæ anno secundo Assueri narrantur, & quod majus est, additur: *Datis pro delatione muneribus.*

Pugnare etiam hæc capita cum aliis partibus ejusdem Libri ex eo probare contendunt, quòd in Epistola Assueri, quæ cap. 16. habetur, Aman gente, atque animo Macedonem fuisse perhibetur, Persarumque Imperium ad Macedones transferre voluisse; ex quibus verbis, Esther Historiam in ultima Persarum Regum tempora incidisse, colligere est. Timere siquidem haud poterat Assuerus, nè Persarum Regnum ad Macedones transferretur, nisi jam Macedonum Regnum alicujus nominis extitisset. Id autem usque ad tempora Philippi Alexandri Magni parentis, obscurissimum extitisse, ad finem libri 6. testatur Justinus. Quibus addas, quod non initio Regni Philippi, sed ejusdem dumtaxat anno vigesimo, illius vires Persis esse suspectæ, ut Diodorus lib. 16. refert, primum incoeperint. Vigésimus autem Philippi annus in annum vigésimum tertium Regis Artaxersis Ochi incidisse, ex Eusebio in Chronic. cognosci potest; ideòque nullo modo, ut post annum vigésimum tertium Ochi, Esther historia contingerit, fieri potuit.

Quæruunt insuper (Bellarmino teste) quis Rex ille Persarum fuerit, qui Esther uxorem habuit: Si dicatur Ochus; respondent statim Historiam hanc, non post annum 23. sed anno 12. Regni Assueri completam esse, ut ex eodem Libro Esther habetur cap. 3. Si verò Arses Ochi successor asseratur, eum solis quatuor annis regnasse, monstrabunt, qua ratione, nec Darius Arsis successor, & postremus Persarum Rex Esther maritus esse potuit; utpote qui sex tantum annis regno potitus fuerit.

Cap. 7.

Uterius; si ad finem Persarum Regni, historia Esther pertineret, ferè ad tercentos annos Mardochæi vitam protrahere oportet; nam Mardochæus cum Jechonia ex Hierusalem in Babylonem à Nabuchodonosor Chædæorum Rege translatus est, ut constat ex ipso Lib. Esther cap. 2. & 11.; quo certè tempore aliquot annos habuit; deinde captivus septuaginta annis mansit. Ab initio igitur Regni Cyri, usque ad finem Ochi ducentis, & viginti an-

annis supervixisset, quibus si addantur septuaginta captivitatis, & alii, quos antè captivitatem ipsam habuerat, tercentorum annorum vitam egisse reperietur. Qua de causa immodicè insuper ejusdem Esther ætas protrahenda erit: cum enim ipsa Neptis Mardochei fuerit, juxtà Hieronymi versionem, vel juxtà Hebraicos, & Græcos Codices, patruelis; vel ætate parem Mardocheo, vel haud multò juniorem extitisse fatendum esset; & licet centum annis Mardocheo juniorem credere liceret, cum tamen ducentos annos habuisset, quando ad Regales Assueri nuptias pervenit; quis sanæ mentis formosissimam Virginem, quam, præ cæteris mulieribus Persarum Rex adamavit, ducentis annis onustam mulierem existimare poterit? Censores verò nostros haud absimili ratione, ex SS. PP. silentio, vel ex Scriptorum prophanorum auctoritate, vel ex ipsis Actorum MM. verbis, narrationibusque, simul collatis, incumbere, ut eorum auctoritatem convellant; apud omnes in confessio est.

*Ex Refe. ut sup.
Lubr. Titul. de
Propbes.*

Hæc, & alia in causa fuere, quod impius Lutherus, de prædictis Esther, & Machabæorum Libris, omni poena plectenda temeritate pronunciatet. *Ego isti Libro (nempe Machabæorum) & Esther, tum infensus sum, ut optarem neutrum eorum existere: nimium enim judaizant, & multa continent, quæ Gentillum superstitionem sapiant.*

*Bellarmin. ut sup.
cap. 9.*

Plus verò difficultatis ingessit censura, quæ, de quibusdam Danielis Capitibus decertatum est; quod non solum Hæretici, & Pagani, & Judæi (inquit Bellarminus) sed etiã ex Christianis Catholicis olim Julius Africanus historiam Susannæ, tamquam adulterinam; & neotericam, Eusebio teste; repudiaverit; immò Hieronymus ipse, historiam Susannæ, & Draconis, fabulas nuncupaverit.

*Euseb. Histor.
lib. 6. cap. 23.*

Daniel. cap. 13.

In ipsa etiã Susannæ Historia Daniel introducitur tamquam puer: *Suscitavit (inquit) Dominus Spiritum Sanctum pueri junioris.* Cum supra tamen cap. 6. lib. Auctor ipse Daniele unum ex primis Satrapis Regni Darii Medi dixisset; quo certè tempore puer minimè extiterat. Si ad hunc scopulum effugiendum quis responderet Scripturam non ordine narrare omnia, nihilominus

nus difficultas minimè diluitur , nàm ex eodem Capite tertiodecimo satis apparet , Susannæ Historiam initio Regni Cyri Persarum Regis contigisse ; sic enim caput ipsum concluditur . *Et Rex Astyages appositus est ad Patres suos , & suscepit Cyrus Perses Regnum ejus* . Ideòque ex isto Capite , Daniel tempore Cyri puer fuisse cognoscitur : quod tamen omninò falsum deprehenditur , nàm Danielem , puerum una cum Rege Jechonia à Nabuchodonosor ex Hierusalem in Babylonem translatum fuisse , palàm in ejusdem Danielis cap. primò , asseritur ; porrò ab eo tempore usque ad Cyrum jam annos septuaginta fluxisse ex Lib. 1. Esdræ cap. 1. , manifestum apparet . Quapropter initio Regni Cyri Danielem circiter annum octogesimum , vel nonagesimum egisse dicendum erit . Qualis ergò puer (inquit ista referens Bellarminus) erat nonaginta annorum ? quibus addas (ejusdem sunt verba) quod etiam tempore Nabuchodonosor , non videtur Daniel fuisse puer , sed jam olim defunctus , cum Ezechiel , qui prophetavit tempore Nabuchodonosor anno quintò transmigrationis , ut dicitur Ezechiel. 1. , meminerit Danielis , tamquàm olim defuncti . Sic enim ait cap. 14. *Si fuerint tres viri isti Noe , Daniel , & Job in medio ejus : vivo ego , dicit Dominus , quia filios , & filias non liberabunt* . Daniel igitur eò tempore jam filios habuerat , & sicut Noe , & Job , ex hac vita migraverat .

Præterea apertè inter se pugnare contendunt , quæ cap. 14. de Daniele in Lacum Leonum missio dicuntur ; cum iis , quæ cap. 6. narrantur . Nàm hic una tantum nocte in eodem Lacu fuisse legitur ; Cap. verò decimoquarto sex diebus in eo habitasse refertur .

Illud demùm observant (ut ab aliquo Græco Historiam Susannæ confictam existiment) ; quod ubi nos habemus : *Dic sub qua arbore videris eos colloquentes sibi ; qui ait SUB SCHINO . Dicit autem Daniel : rectè mentitus es in caput tuum : Ecce enim Angelus Domini scindet te medium* . In Græco allusio quædam est elegantissima ab arbore Schino ad actionem scindendi , nàm *σχίνο* est arbor , *σχίζω* est scindere . Et cum alter dixerit se vidiisse eos *sub Prino* , ab arbore Prino ad actionem secandi Daniel

allusit: nãm *πεῖρος* est arbor, *πελῖος* est secare, quomodo si quis dixisset ubi eos vidisti? Sub illice, illicò ergo interficieris.

In gratiam tamen Pseudo-Criticorum illorum, vel qui fodiendis his nominum, ac verborum, ex Hebræo, vel Græco ethymologiis, perpetuò insudant: vel Græcorum vafritiei, & fingendi libidini, quæ iis non arrident Historias tribuere solent; vel païsimum in Sanctorum Actis peracta prodigia, ac miracula, (quæ *inuſitata*, ac *inaudita* vocant, quod nulla miracula se credere palàm profiteri non erubescant) conspuere, rejicereque solemne habent; placuit (inquam) tamquam pro coronide Rabinianam censuram ipsam, & in hoc, & in alia Danielis capita in medium afferre, quam se audisse Hieronymus testatur his verbis: *Audiui ego quendam, de præceptoribus Judæorum, cum Susannæ derideret Historiam, & à Græco, uescio quo, eam diceret esse confictam, illud opponere, quod Origeni quoque Aphricanus opposuit, ethymologias hæc ἀπὸ τῆς ὄχινυς ὄχινυ, καὶ ἀπὸ τῆς πεῖρου πεῖρος de Græco sermone descendere, cujus rei nos intelligentiam nostris hanc possumus dare: ut, verbi gratia dicamus, de arbore ILLICE, dixisse illum ILLICÒ pereas: & à LENTISCO, in LENTEM te comminuat Angelus: vel NON LENTE pereas: aut LENTUS, idest flexibile ducaris ad mortem: sive aliud ab arbore nomen conveniens. Deindè tantùm fuisse otii tribus Pueris cavillabatur, ut in camino æstuantis incendii, metro luderent: & per ordinem, ad laudem Dei, omnia elementa provocarent. Aut, quod miraculum, Divinæque aspirationis indicium, vel draconem interfectum ossa piscis, vel Sacerdotum Belis machinas depræbensas: quæ magis prudentia solertis viri, quam prophætico essent spiritu perpetrata. Cum verò ad Habacuc veniret, & de Judæa in Chaldeam raptum discophorum lætitaret, quærebat exemplum ubi legissemus in toto veteri testamento quempiam Sanctorum, gravi volasse corpore, & in puncto horæ, tanta terrarum spatia transisse? Cui, cum quidam, ex nostris, satis ad loquendum promptulus, Ezechielem adduxisset in medium, & diceret eum de Chaldæa in Judæam fuisse translatum: derisit hominem, & in ipso volamine demonstravit, Ezechielem in spiritu, se vidisse transpositum. Denique, &*

Apo-

*In præfat. in
Daniel.*

Apostolum nostrum, videlicet, ut eruditum virum, & qui Legem ab Hebræis didicisset, non fuisse ausum affirmare, & se raptum in corpore, sed dixisse: sive in corpore, sive extrâ corpus: nescio, Deus scit. His, & talibus argumentis, apocryphas in Libro Ecclesiæ, fabulas arguebat. Et his pariter argumentis, in SS. Martyrum gestis, fabulas ab Ecclesia piè credendas proponi fidelibus, Pseudo-Critici nostri suadere, ac ostendere student.

2. Corinib. 12.

Plures his, vel ab impiissimis Hæreticis, vel ab aliis omninò perperam editas contrâ veteris Testamenti Volumina, censura prætermittimus; Sectariorum enim multo eò dementiæ pervenere, ut universè Libros eosdem respuerint, quod à Deo malo, eos dictatos existimaverint; ut Simoniani, Basilidiani, Marcionitæ, Manichæi, & Albigenses, de quibus Irenæus, Epiphanius, & Antoninus Florentinus agunt. Alii, ex iisdem Divinis Libris, Prophetas dumtaxat receperunt, ut Apocryphi, de quibus Philastrius agit. Alii, eodem Auctore, Deuteronomiani dicti, quòd eum Librum rejecerint. Sed quia de his, & aliis satis egisse videtur; idcirco hos tantum Hæreticos connumerasse, eorumque censuras, præ oculis posuisse, sat visum est, (quarum refutationes, apud præfatum Bellarminum, & alios reperies); ut cum frequentissimè offenderis Acta MM., falsitatis coarguta apud hodiernos Pseudo-Censores, vel quod ea à Græcis exarata autument, vel ex aliis mox relatis rationibus, (puta, ex temporum supputatione, & aliundè quæritis;) haud facilè illorum sententiis aquiescas, cum in ipsos Sacros Libros perperam ab Hæreticis illas usurpatas, animadvertes.

Ut sup. pag. 72.

Ibid. pag. 117.



CAPUT XIII.

Quenam adversus Evangelicam Historiam, tanquam ex Moyse, & Prophetis, minimè comprobata effusierit Julianus Apostata?

HAUD minori severitatis censura, quàm veteris Testamenti Libros læsit, Novi etiam scripta humana curiositas exagitavit; immò cum eò multoties prospexerit, - ut supra diximus, cum veteris Testamenti auctoritatem, ac fidem attenuare præsumpsit, ut hoc fundamento dejecto, novi Testamenti fabricam quoquè suprà ipsum fundatam everteret; hinc æstimare facile erit, quo conatu in hanc impetum fecerit.

Prætereunda nihilominus sunt commenta ea, quæ contrà Evangelicam Veritatem, à Celso apud Origenem, reperiuntur conficta, cœterasque hujus generis falsitates, agendumque dumtaxat de iis, quæ Sacris nostris Scriptis Ethnici objicienda existimarunt, inter quos Julianus Apostata. Quod Christiani dicerent Evangelicam Historiam à Moyse, & Prophetis comprobata iri, his rationibus censuit rejiciendum. *Moyse, neque semel, neque bis, neque ter: sed sapissimè unum Deum solum vult coli, quem & super omnes nominat, Deum autem alium minimè, sed Angelos nominat, & Dominos, & etiam Deos plures, & unum præcipuum primum, alium autem neque suspicetur secundum, neque æqualem, neque inæqualem, sicut vos finxistis. Si autem est apud vos de his unum Moyse verbum, jasti eritis, si protuleritis. Prophetam enim vobis, inquit, suscitabit Dominus Deus vester ex Patribus vestris, sicut me illum audietis. Atqui hoc non est dictum de nato ex Maria: Si autem quis vestri gratia concesserit, sibi ipsi dicit illum similem fore, & non Deo, Prophetam, quemadmodum ipsum, & ex hominibus, & non ex Deo. Et quod non deficiet Princeps de Juda, neque Dux de senioribus ejus, maximè dictum de hoc non est, sed de Davidis Regno, quod cessasse videtur in Sedechia Rege; Quamvis, & Scriptura bisariam habeat: Donec veniant, qua*

*Apud D. Cyril-
lum Alexand.
contrà Julia-
num lib. 8.
pag. 630.*

Deuter. 18.

Genes. 49.

reposita sunt illi : vos autem subjecistis : Cui repositum est. At quod nihil horum conveniat Jesu, manifestum. Neque enim est ex Juda. Vel quomodo, qui secundum vos non ex Joseph, sed Spiritu Sancto natus est? qui enim Genealogiam narratis, refertis in Judam, quod & ipsum non potuistis bene fingere. Redarguuntur enim Lucas, & Matthæus Genealogia inter se discordare.

Ad hæc adjiciebat Julianus: Concedatur autem esse Princeps ex Juda; non Deus ex Deo, sicut vos dicitis. Neque omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Dictum enim est, & in Numeris. Orietur Stella ex Jacob, & Homo ex Israel. Manifestum est, quod hoc David, & eis, qui ab illo sunt, conveniat: David enim filius Jesse erat. Itaque ꝑ ex illis tentatis hæc concludere, ostendit unum verbum illinc adductum, undè ergò plura. Quod autem Deum unum, nempe Deum Israel putarit, in Deuteronomio, inquit. [Et ut scias tu, quod Dominus Deus tuus, hic Deus unus est, & non est alius præter illum.] Et præterea dicit. [Et animadvertes mente tua, quod Dominus Deus tuus hic est in Cælo sursum, & in terra deorsum, & non est præter illum.] Et iterùm: [Audi Israel, Dominus Deus noster, Dominus unus est.] Et iterùm: [Videte, quod ego sum, & non est Deus præter me.] Hæc igitur Moyses dicit unum contendens esse Deum. Sed illi fortassè dicent, neque nos duos dicimus, neque tres; verum ego hoc ostendam, quod ipsi dicant, testem adhibent Joannem dicentem: [In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.] Vides, quod apud Deum esse dicitur, sive is, qui ex Maria natus, sive alius quispiam sit, ut interim, & Photino respondeam, differt nihil. Cæteram contentionei banc vobis relinquo, quod dicit quidem apud Deum, & in principio, sufficit, quod hoc testimonium dederit: quomodo igitur confitetur eadem cum Moysè? Sed, inquit, adstipulatus Esaias dicitis: dicit enim Esaias: Ecce Virgo in utero habebit, & pariet Filium.] Sit sanè, & hoc dictum de Deo, quamvis minimè dictum sit: Non enim erat Virgo, qua nupserat, & priusquam peperisset, simul vocata est cum Marito. Detur autem dici de illo. Numquid Deum dicit ex Virgine nascendum? At vos non cessatis vocare Mariam Virginem. Sed non dicit eum, qui ex Virgi-

Ibidem ut sup.
lib. 3. pag. 532.

Joan. 1.

Num. 14.

Deut. 4.

Joan. 1.

Isai. 7.

ne

ne natus est, Dei Unigenitum Filium, & Primogenitum omnis Creaturæ. Jam quod dicitur à Joanne: [Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.] Poteritne quis in Prophetis ostendere vocibus? Quæ autem nos ostendimus, ex illis ipsis deinceps audite: [Domine Deus noster posside nos, præterea alium nescimus.] Faciunt autem, & Ezechiæ Regem orantem: [Domine Deus Israël, qui sedes super Cherubin, tu es Deus solus.] Numquid secundo relinquitur locus?

Idem 26.

Idem 27.

Ut sup. lib. 9.
pag. 660.

Et inferius de mandatis Evangelicis differens. Dicunt enim Deum in secunda Lege posuisse aliud; nam illam (nempe veterem) fuisse ad tempus, definitis temporibus conscriptam; postea autem banc apparuisse, eo quod Lex Moysi tempore, & loco descripta fuerit. Sed quod hoc falsè dicant, ostendam manifestè ex Moysi, non decem solum, sed innumera testimonia adhibens, ubi Legem æternam dicit. Audite igitur ex Libro Exodi: [Et erit dies ista vobis memoriale, & celebrabitis eam diem festum Domino in generationes vestras, legitimum sempiternum celebrabitis istud, septem diebus azymis vescemini, à die autem primo tolletis fermentum de domibus vestris.]

Exod. 12.

Ibid. ut sup.

Et paulò post: Relictis adhuc aliis multis, à quibus Lex Moysi æterna dicitur, & propter multitudinem dicere cavebo. Vos autem ostendite ubi dictum sit, quod Paulus post hæc ausus fuit, nempe quod finis legis Christus, & ubi Hebræis Deus legem aliam promisit præter positam? Nusquam profectò, neque posita correctionem promittit. Audi enim iterum Moysen: [Non adjicietis ad verbum, quod ego mandabo vobis, neque auferetis ab eo: servate mandata Domini Dei vestri, quæ ego mandabo vobis hodie: & maledictus omnis, qui non manet in omnibus.] Vobis autem parum visum est abstulisse, & addidisse iis, quæ in Lege scripta sunt: illam transgredi virile omnino, & magnanimum arbitramini, non ad veritatem, sed ad id, quod omnibus probatur, respicientes. Sic Julianus, ex testimonio veteris Testamenti, veritati Evangelicæ detrahere præsumpsit, eximie à Cyrillo Alexandrino rejectus, ut nemo Eruditorum ignorat. Loco cit.

Deut. 12.

Ibid. 27.

CAPUT XIV.

Ejusdem Juliani Augusti, in Christi miracula, testatamque à Joanne Evangelista divinitatem sugillationes ; aliaque Gentilium, de dissonantia Evangelistarum censura.

SED & ex ipsa una Evangelica Historia, ac novi Testamenti scriptis, impiissimus ipse Apostata colligere studuit unde ea morderet, ac carperet. In primisque illud objecit: *Quod quo tempore Christus vixit, nullum memoratum dignum opus effecerit, nisi quis, claudos, & cæcos curare, & Dæmones adjurare in Betsaida, & Bethania Castellis, opus maximum putet. Qua quidem censura pariter recentior quidam Pseudo-Criticus, Acta Martyrum carpsit, eaque insigni eorum Scriptori Sanctissimo videlicet Pontifici Damaso detraxit, dicens quod si eorum Auctor fuisset, potius quam miracula ab ipsis MM. patrata, solidiora alia ipsorum facinora narrasset. Merito idcirco cum eodem Apostata his verbis à Cyrillo perstringendus. Divina quoque signa per Christum facta perturbare audens, (de eodem Juliano loquitur) admirari vescit, qua admirari decet. Quomodo enim aliter Deus esse cognosceretur, qui factus est homo, manens quod erat? Numquid maximum illud, & immensum evolveret cælum, & terram aliam præter hanc juberet nobis ex aquis servire, & innovaret quidam circa Solem, & Lunam, Astraque cætera? Verùm non hæc spectabat, quum fieret homo: miserabatur autem potius hominem demoniorum seductionibus in extremam miseriam deductum, & ignorantem pœnitens quis natura, & verè sit Deus omnium opifex, dejectumque in mentem tam ignavam, ac reprobam, ut adorare creaturam præter Creatorem, lignisque, ac lapidibus exhibere cultum vellet. Itaque, ut mentem ad scientiam veri transferret, apparuit Christus in specie nostra, filium se esse dicens, per quem universum hoc soli datum est.*

Quoniam autem miracula ferè conciliant fidem, sanavit in-

*Idem S. Cyrill.
contra Iul.
pag. 599 lib. 6.*

*Idem cont. Iul.
lib. 6. pag. 600.*

infirmos, cæcis lucem indidit, immundisque demonibus imperavit, ut se in abyssi cavernas reciperent, eratque necessarium facere, quod ab eo præceptum: liberi etiam fiebant, qui ab illis vexabantur. Mare, & ventos increpans, jubebat tranquilla fieri. Neque ignorabat natura talia imperantis potentiam, vocabat mortuos ex monumentis, fatidos jam, & corruptos, iterum recipere vitam se decentissimis nubibus effecit. Quid his, dic oro, fulgidis? Quid ita magnificentum? Itaque si modicæ experientiæ ostentatio est miraculorum operatio, nè faciat venerabilem, & irreprehensibilem sit, quod non admiretur eam: sin virtutis maximè divinæ esse comprobatur, quomodo non est verum, id quod dixi? Etenim citrà ullam affectationem, & ut videtur, studium, admirationem merentur ea, quæ maximi faciendæ sunt: tametsi tuum, ut summum Jovem, & alios, qui cum eo sunt, quos tu Deos esse dicis, inveniemus impotentiores, quam ut à mortis laqueo eripere possint detentos. Et id nos docet Poetarum optimus: dicens:

*Cæteram mortem quidem, secum trahentem, neque dii quidem
Etiam ab amico viro poterunt avertendo juvare, quando
scilicet*

Parca perniciofa aspera mortis destituit.

Res. ut sup.

Lutherum etiam Evangelium Joannis, improbè aliis, quæ plura miracula continerent, prætulisse, scribit Rescius. Sed ad Julianum redeamus.

*Ap. Cyrill. sup.
lib. 10.*

Christifideles enim alloquens. *Ita autem estis miseri, (inquit) ut, & in iis, quæ ab Apostolis vobis tradita sunt, non manseritis, & ea in deterius, & impietatem majorem, quam res sese habeant, extenderitis? Unde Jesum, nec Paulus ausus fuit dicere Deum, neque Matthæus, neque Lucas, neque Marcus; sed bonus Joannes cernens magnam multitudinem in multis Græcorum Urbibus hoc morbo captam. Audiens autem (opinor) monumenta Pauli, & Petri clam quidem (nihilominus tamen audiens) circumferri primus ausus fuit dicere. Et quum pauca dixisset de Joanne Baptista, sermonem iterum ad eum, qui ab illo prædicabatur reducit. [Et Verbum, inquit, caro factum est, & habitavit in nobis.] Quid autem pacto, nescio, turbatus dicit, nusquam ipsum, vel Jesum, vel Christum ad hoc usque extollere, ut illum Deum,*

Deum, & Verbum vocat : sed quiete, & clanculo auribus nostris imponit, & Joannem pro Christo Jesu hoc exposuisse testimonium, quod hic sanè sit, quem oporteat. credi Deum esse Verbum. Juliani ingenium, studiumque unde ista eruebat, explicat Cyrillus Alexandrinus his verbis : Verum contentiosus ille, & nihil bonum cogitans, semper autem aliquid indagans, & invenire tentans per quod scilicet res Christianorum, ut putat peiores reddere possit &c.

Ideo haud multo post quasi eidem Cyrillo respondens, qui Joannem dixisse ostenderat Christum Deum, subjicit. Sed quod de Jesu Christo dicit Joannes, neque ipse contradico, quamvis videatur quibusdam impiis, alium esse Christum, alium autem, qui à Joanne predicatur Verbum. Nam quem ipse dicit esse Deum Verbum, eundem à Joanne Baptista agnitum inquit esse Christum Jesum. Considerate itaque verè reverenter, quod placidè, & clanculum atque solo colophonem impietatis imponit, ita est versutus, & impostor, adedque rursus se apparat, & addit : [Deum nemo vidit unquam, Unigenitus Filius, qui est in sinibus Patris, ille enarravit.] Utrum igitur hic est Dei Verbum caro factum Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris? Et siquidem ipse, quem scilicet opinor, vidistis alicubi, & vos Deum. Habitavit enim in nobis, & vidistis gloriam ejus. Cur igitur in compendio addis : Deum nullus vidit unquam, etiamsi non Deum Patrem, sed Deum Verbum? Sicut ego quosdam audiivi de vestra secta, videtur neque Joannes hoc dicere ausus.

Præter hæc, de dissonantia Evangelistarum eundem Julianum Augustum objecisse, scribit Hieronymus : Cur nempe Evangelista Matthæus Joseph dixerit filium Jacob, & Lucas eum filium Heli appellarit. Et rursus ubi de vocatione ejusdem Matthæi agitur in Evangelio ab ipso conscripto : Arguit in hoc loco (dicit Hieronymus) Porphyrius, & Julianus Augustus, vel imperitiam Historici mentientis, vel stultitiam eorum, qui statim secuti sunt Salvatorem, quasi irrationabiliter quemlibet vocantem hominem sint secuti &c. Et demùm illud ejusdem Evangelistæ exponens : Ut impleretur, quod dictum est per Prophetam dicentem : Aperiam in parabolis os meum, eruñtabo abscondita à constitutione mundi. Hoc testimonium (inquit) de septua-

G

U^{sup} sup. pag. 665.D. Hieronymus.
lib. 1. *Comms.*
in *Matth.*Eodem lib. 1.
cap. 9.*Matth.* 13.D. Hieron. *ibid.*

ge-

gesimo septimo Psalmo sumptum est. Legi in nonnullis Codicibus eo loco, ubi nos posuimus, & vulgata editio habet: Ut adimpleretur, quod dictum est per Prophetam dicentem, ubi scriptum est per Esaia Prophetam dicentem. Sic Hieronymus. Ex hac autem lectione, quid Porphyrius eduxerit, Remigius his verbis tradit. *Porphyrius objecit fidelibus: Evangelista vester tanta insipientia fuit, ut quod reperitur in Psalmis ipse deputaverit Esaia. Quod quia minime in Esaia inveniebatur, à prudentibus Viris sublatum esse Hieronymus ipse existimavit. At de hoc alibi.*

Remig in Caton.
D. Thom. ubi
sup.

Nec prætereundum est, quia de censuris Gentilium, agitur, quod hoc quoque nostro infelicissimo ævo accidere haud raro solet. Cum enim illi de Christo differentes, non modo Prophetarum oraculis, aliisque aliunde petitis argumentis; sed Sibyllarum quoque testimoniis à Christianis urgerentur; omni postposito pudore, eò tandem perveniebant, ut Sibyllarum etiam auctoritatem; quam veteres Gentiles semper maxime fecerant, negarent. Qua de re Lactantius scribit. *His testimoniis (nempe Sibyllarum) quidam revicti, solent eò confugere, ut ajunt non esse illa Carmina Sibyllina, sed à nostris conficta, atque composita. Quod profecto non putabit, qui Ciceronem; Varro nemque legerit, aliosque veteres, qui Eritream Sibyllam, cæterasque commemorant, quarum ex libris ista exempla proferimus: qui Auctores antè obierunt, quam Christus secundum carnem nasceretur. Sic ille. Et ita, ut innumus Pseudo-Censores hodierni sese passim gerunt. Cum enim antiquorum testimoniis, ac monumentis Acta MM. vindicata persæpè conspiciant; statim testimonia ipsa, ac monumenta, nè ab iis ritè falsitatis argui possint, primum in dubium vocant, deinde tamquam conficta, & adulterina repellunt? Sic contententes, exempli gratia, præclara Sancti Martyris Eustachii Gesta dejicere, ac inter fabulas amandare, cum non Latinorum modo, sed etiam Græcorum, ac inter eos absolutissimo S. Joannis Damasceni testimonio in Orat. de Imaginibus revinci se sentiant. Orationem ipsam ab eo non scriptam temere demum pronunciant.*

in? in Sib. 4. c. 15.
pæ. 579. in
Bibl. PP.

CAPUT XV.

Evangelii Scriptoribus Ethnici detrahere moliti sunt, tanquam Hominibus, in scribendo, errori obnoxiiis.

NONNULLI præterea (ut Bellarminus existimat) ex Ethnicis, Evangelica quidem ab Apostolis scripta non negarunt; attamen ea, pluribus in locis, *vel ipsa secum, vel cum veritate pugnare contenderunt*; (en- Pseudo-Criticorum nostri temporis etiam contra Acta SS.MM. ipsissima verba): tum quia Apostoli, uti homines interdum erraverint, tum quia studiosè Magistri sui gloriam, *confictis narrationibus ornare minime dubitaverint*. Et horum quidem meminit Augustinus in Libris Retractionum his verbis. *Per eosdem annos, quibus paulatim libros de Trinitate dictabam, scripsi, & alios labore continuo, interponens eos illorum temporibus; in quibus sunt libri quatuor de Consensu Evangelistarum, propter eos, qui tamquam dissentientibus calumniantur: quorum primus liber adversus eos scriptus est, qui tamquam maxime sapientem Christum, vel honorant, vel honorare se fingunt, & ideo volunt Evangelio credere, quia non ab ipso illa conscripta sunt, sed ab ejus Discipulis, quos existimant, ei divinitatem, qua crederetur Deus, errore tribuisse.*

*De Verb. Dei
lib. 1. cap. 6.*

*D. Aug. tom. 1.
Retract. lib. 2.
cap. 16. pag. 18.*

Idem ferè etiam existimasse videntur illi, quos Eusebius graviter his verbis perstringit. *Nam si dicant nihil omnino admirabile Salvatorem nostrum, neque quidquam, quod superet cogitationem humanam fecisse, qualia sunt, quæ illius familiares testificati sunt: videamus nam illis talia dicentibus credi alio modo possit: quippe qui nullam possint assignare causam, propter quam hi quidem illius Discipuli; ille verò horum Magister extiterit &c.*

*Euseb. de Praeparat. Evang.
lib. 3. cap. 7.
pag. 336.*

Et longè antè Eusebium, Arnobius crimen id, quod Scriptoribus nostris objicere Gentiles consuevere, eorum usus verbis referens, scripsit. *Sed conscriptores nostri mendaciter ista prouiserant, extulerant in immensum exigua-*

*Arnob. advers.
Gent. lib. 1.
438. tom. 2.
Biblioth. PP.*

gesta, & angustas res satis ambitioso dilatavere praconio &c.

D. Jo. Damasc.
de Contum.
Hæresibus.

Denique Mahumetem, impiissimum Ethnicorum, Pseudo-Propheetam, huic sententiæ adhæsisse, testatur Jo. Damascenus, ut præfatus Bellarminus observat: similemque ei in SS. MM. Actis dijudicandis frequentissimè sectantur, ac pro viribus tumentur, ex hodiernis Censoribus illi, qui coeteris religiosiores videri appetunt. Ipsi siquidem, non mendaciter scripta Gesta eadem volunt; sed tamen paraphrasticè, & liberius quàm par esset, (ad ditis etiam, quæ numquam patrata fuerint; miraculis, ac prodigiis), exhibita, ac dilatata, contendunt.

CAPUT XVI.

Judæorum calumnia in recensitam ab Evangelistis Christi Domini nostri Genealogiam.

AT Judæos, qui opera in terris degentis Christi, calumniari, nihilque facere consueverunt; Evangelicam Historiam absque censura præteritis; minimè censendum est. De Christi autem Genealogia in Evangeliiis à Matthæo, & Luca relata, multa solitos fuisse garrere, testatur his verbis Hieronymus: *Audivi ego quendam de Hebræis, qui se Romæ in Christum credidisse, simulabat, de Genealogiis Domini Nostri Jesu Christi, quæ scripta sunt in Matthæo, & Luca, facere quæstionem, quod videlicet à Salomone usque ad Joseph, nec numero sibi, nec vocabulorum æqualitate consentiant: qui cum corda simplicium pervertisset, quasi ex adytis, & oraculo deferebat quasdam, ut sibi videbantur solutiones.* &c.

D. Hieron. Comment. in Ep. ad Tit. lib. 1. cap. 13.

Baron. in Appar. in Annal. Eccles. pag. 20.

Suid. in Hist. Verb. Ies. Christ.

Sed parva sunt hæc (inquit Baronius) si cum coeteris conferantur, quæ Theodosius Judæorum Princeps Justiniani Imperatoris temporibus, de Sacerdotum genealogia, extra eam, quam Sacri Evangelii Scriptores tradidere, & Christi Sacerdotio effinxit, quo multos deceptit. *Quam quidem imposturam* (eiusdem Baronii sunt verba) *à Suida recitatam, ac nimis temerè comprobata, cum ab omnibus im-*

impugnatur, contineatque aperta mendacia Evangelisticae veritati apertè obviantia, confutare omittimus. Unum tamen evertemus fundamentum, super quo tota fabula innititur, dum viginti duos tantum Sacerdotes in Templo ministrasse Historia tradit: nam Josephus Judæus, qui illis ferè vixit temporibus, de numero Sacerdotum longè aliter sensit, ac testatur nimirum viginti quatuor fuisse Sacerdotum tribus, quarum singula habebant hominum plusquam quinque millia, qui statis diebus ministrarent in Templo. Sanè quidem ad septingentos Sacerdotes ministrare quotidie in Templo solitos esse cadendo victimas: insuper, & ingentem fuisse multitudinem offerentium libamina, tradit Aristæus in Historia, quam scripsit de septuaginta duobus Interpretibus. Verùm, quod spectat ad prædictam fabulam; non fuit novum inventum prædicti Theodosii, quod scribit de obstetrice Despara virginittatis exploratrice: Nam Clemens Alexandrinus septimo Stromatum testatur, hæc eadem à quibusdam suo tempore jactari: sed hæc, ex Apocryphorum insomniis. Quomodo autem Codices de Genealogiis Judæorum conscripti Herodis Regis jussu periclitati sunt, Eusebius hunc in modum rem gestam conscribit: [Cum, inquit, familiæ non Hebræorum solùm, verùm etiam eorum, qui usque ad Profelytos genus suum referebant, ut ad Achia Amanitem, & Ruth Moabitidem, qui ex Ægypto elapsi, commiscebantur cum Israelitis, ad illud tempus scriptis prodita, in tabulariis servarentur. Herodes, quoniam illorum stirpem nihil ad se pertinere, nihilque ad suam dignitatem illustrandam, afferre adjumenti, animadvertēbat: suæ ignobilitatis, & obscuri generis conscientia exagitatus; Annales illos de genere, & familiarum antiquitate incendit: arbitratus se nobilem visum iri, cum nemo suum genus, ex publicis illis monumentis depromptum, ad Patriarchas, vel ad Profelytos: vel ad eos, qui quæquæ idest terræ incolæ, qui cum Israelitis promiscebantur, vocati sunt, omninò posset reducere, Erant tamen nonnulli, antiquitatis replicandæ studiosi, qui nomina avitæ stirpis, vel tenentes memoria, vel ex scriptis Annalibus promentes, privatim sibi indices eorum conficiebant: magnoperèque propterea gloriabantur, quod ipsorum nobilitas ita foret ad posteritatem reservata. Inter quos erant, tum qui propter generis

*Joseph. lib. 2.
cont. Apion.
de Vit. sua
in princip.*

cognitionem, quo Christo Salvatori conjungebantur, ex Domini tribu, & familia orti *Derwberum* nuncupati sunt: rãu qui ex Nazareis, & Cochaba Judæorum pagis prognati, in reliquas Judeæ partes commearunt, istamque Genealogiam ab Evangelistis conscriptam, partim ex libro *Annalium*, sive dierum sumentes, partim complectentes memoria, apertè, quod poterant, explanarunt. Hæc apud Baronium Eusebius, cui tamen contraria, saltèm quoad genus Sacerdotale spectat, scripsisse Josephum, Baronius ipse observat.

CAPUT XVII.

Fausi Manichæi in idem argumentum deliramenta.

SED quia de Christi Genealogia sermo incidit, minime prætereunda sunt, quæ elegans vocabulorum fabricator Faustus Manichæus (sic enim eum nuncupare Augustino placuit) contra ipsam, ac de ipsa disseruit. Censura siquidem illius apud Augustinum eundem his verbis legitur. *Accipis Evangelium? Et maximè. Proinde ergo, & natum accipis Christum? Non ità est; neque enim sequitur, ut si Evangelium accipio, idcirco & natum accipiam Christum. Cur? Quia Evangelium quidem à prædicatione Christi, & esse cæpit, & nominari: in quo tamen ipse nusquam se natum ex hominibus dicit. At verò Genealogia aded non est Evangelium, ut nec ipse ejus Scriptor ausus fuerit eam Evangelium nominare. Quid enim scripsisti? Liber generationis Jesu Christi Filii David. Non ergò liber Evangelii Jesu Christi, sed liber generationis. Quippe ibi, & stella inducitur, quæ confirmat Genesim, ut rectè Genesidium hoc magis nuncupari possit, quam Evangelium. At denique Marcus, qui generationem scribere non curavit, sed prædicationem tantùm Filii Dei, quod est Evangelium, vide quam sit competenter exorsus: Evangelium, inquit Jesu Christi Filii Dei; ut hinc satis, abundèque appareat Genealogiam non esse Evangelium. Nam, & in ipso Matthæo, post inclusum Joannem in carcere, tunc legitur Jesum cæpisse prædicare Evangelium Regni. Ergò quidquid*
antiè

*D. Aug. Operum
tom. 6. contra
Faust. lib. 2.
pag. 81.*

Matth. 1.

antè hoc narratum est, Genealogiam esse constat, non Evangelium. Alioquin quid impediebat, & Matthæum ponere, Evangelium Jesu Christi, nisi quia improbum putavit Genealogiam vocare Evangelium? Quapropter, si jam tibi distinctum satis est, quod usque nunc ignorasti, longè aliud esse, Evangelium, quam Genealogiam, scias me, ut dixi, accipere Evangelium, idest prædicationem Christi. De quo quidquid jam prærogare volueris, omittis generationibus, quare. Aut si, & de ipsis conferre est animus, non equidem recuso, cum sit mihi magna, & de his ad respondendum copia. Sed tu discite interrogare, quod primum est: Videris enim mihi nunc scire velle, non utrum Evangelium accipiam, sed utrum generationes.

Cumque Augustinus ineptissimis hisce censuris absolutissimè satisfecisset; rursus Faustus interrogans dixit. Accipis ergò generationem? Equidem conatus diù sum hoc ipsum qualecumque est persuadere mihi, quia fit natus Deus; sed offensus duorum maximè Evangelistarum dissonantia, qui Genealogiam ejus scribunt, Luca, & Matthæi, hæsi incertus quemnam potissimum sequerer. Fieri enim posse putabam, ut quia præsciis non sum, quem ventiri existimarem, ipse diceret verum: & quem vera loqui, ipse forsitan mentiretur. Infinita ergò eorum prætermissa lite, & interminabili mihi, ad Joannem, Marcumque me contuli, nec impariter à duobus ad duos, & ab Evangelistis, ad ejusdem nominis professores. Quorum mihi principia interim non immeritò placuerunt, quia nec David, nec Mariam inducunt, nec Joseph: sed Joannes quidem: [In principio fuisse Verbum, dicit, & Verbum fuisse apud Deum, & Deum fuisse Verbum.] Christum significans; Marcus vero: [Evangelium, inquit, Jesu Christi Filii Dei.] Tamquàm Matthæum exprobrans, qui posuerit Filium David: Nisi fortè alterum hic, & alterum ille annunciet Jesum. Hac ergò ratio est, qua non accipio Christum natum. Tu verò, si tantus es, ut hanc mihi adimas offensionem, effice, ut inter se ipsi conveniant, & utcumque succumbam; quominus nec sic quidem dignum erit ex vero natum credere Deum, & Deum Christianorum.

Et inferiùs libro septimo rursus: Faustus dixit. *Quare non credis in Genealogiam Jesu? Multa quidem sunt* cau-

*Ibid. ut sup. lib. 3
pag. 82. cap. 1.*

*Ut sup. lib. 7.
cap. 1.*

causa, sed palmaris illa, quia nec ipse ore suo usquam se fatetur Patrem habere, nec genus in terra: [Quia à Patre Deo processerit.] [Quia descenderit de Cælo.] [Quia non sibi sint Mater, & Fratres, nisi, qui fecerint voluntatem Patris sui, qui in Cælis est.] Et adhuc illi ipsi, qui has ejus genealogias describunt, non eum antè Nativitatem cognovisse videntur: sed neque statim ut natus est, quo crederentur ea scripsisse, quæ ergà eum oculis suis viderent gesta: sed juveni jam, & maturo conjuncti sunt, idest: Annorum fermè triginta: siquidem & atas ascribi Divinis non potest sine blasphemiam. Quare cum in omni testimonio veritatis hoc semper quæri soleat, utrumque quis audierit, an viderit: isti verò, nec audisse se fateantur ab ipso generationis hunc ordinem, ait quia omnino sit natus: nec vidisse oculis, quia longo post tempore, idest post baptismum cognoverunt eum: mihi, & omni rectè judicanti, tam stultum videtur hoc credere, quam si quis cæcum, & stultum testem in judicium vocet. Frequenter pari modo audire est Censores nostros, de rebus Genealogicis, & Chronologicis, præcipuè ad ea, de quibus agimus, Acta MM. pertinentibus, disferentes, hæc eadem una cum Fausto vociferantes: nullam se, scilicet, fidem Actorum MM. Conscriptoribus præbituros, nisi SS.MM. coævi, viderint, vel à se visa audierint, quæ gesta sunt. Quasi vera scribere quis non potuerit, nisi vel oculis, vel auribus, immediatus testis eorum fuerit, quæ circa illos sunt acta. Quæ censura certè si admittatur, ea Fausti quoque contrà Evangelium, haud spernenda erit. Sed cœtera prosequamur.

Lib. iv. cap. i.
748. 91.

2. Corinth. 5.

Pariter libro undecimo. Faustus dixit: Apostolum accipis? Et maximè: Cur ergò non credis Filium Dei ex semine David natum secundum carnem: Non equidem crederim Apostolum Dei contraria sibi scribere potuisse; & modo hanc, modo illam de Domino nostro habuisse sententiam. Sed quia vobis ita placet, qui numquam sine stomacho auditis aliquid esse in Apostolo cauponatum: nè hoc quidem vobis sciatis esse contrarium. Siquidem hæc vetus videatur esse, & antiqua opinio Pauli de Jesu, cum eum, & ipse David filium putaret, ut ceteri: quod tamen, ubi falsum dicit interpolat, & infirmat, scribensque ad Corinthios. [Nos, inquit, neminem

novimus secundum carnem, etsi cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc jam non novimus.] Quare consideres, oportet; quantum intersit inter hæc duo Capitula, è quibus unum perhibet Jesum Filium David secundum carnem, alterum verò jam se neminem nosse secundum carnem. Quæ, si utraque sunt Pauli, aut hac ratione erunt, qua dixi: aut unam ipsorum non erit Pauli. Prosequitur denique: [Itaque, inquit, si qua est in Christo nova Creatura, vetera transferunt: ecce facta sunt omnia nova.] Vides ergo eum veterem appellare, & transitoriam fidem illam priorem: idest Jesum credidisse ex semine David secundum carnem: novam verò banc secundam, & permanentem, qua neminem jam novit secundum carnem? Quapropter, & alibi: [Cum essem (inquit) parvulus, ut parvulus loquebar, ut parvulus sapiebam, ut parvulus cogitabam: cum autem factus sum vir, quæ parvuli erant evacuavi.] Quod si ita est, quid ergo, & nos indignum facimus, & si novam, & meliorem Pauli tenentes confessionem, veterem illam, ac deteriorem projiciamus? Aut, si vobis, secundum quod ad Romanos scribit, credere cordi est, nobis quare licitum non sit, secundum quod ad Corinthios scribit dogmatizare? Quamvis, & hoc ad duritiam vestram ita responderim, alioquin absit, Apostolum Dei, quod ædificavit, unquam destruere, ne se ipse prævaricatorem constituat, ut contestatus est. Veruntamen ejus est, & prior illa sententia, nunc emendata est: finis fas non est Paulum inemendatum dixisse aliquid unquam, ipsius non est.

1. Corinb. 13.

Libro quoque vigesimo tertio iterum: Faustus dixit: Disputanti mihi aliquando, quidam ex numerosa plebe respondens, ait: Accipis Jesum de Maria natum? Cui ego: Quemnam, inquam, dicis Jesum? Nam plures in Hebraismo fuerunt Jesus: unus quidem Nave filius Discipulus Moyfis: alter verò filius Josedech Sacerdotis magni: item alius, qui dictus est filius David, alius verò Filius Dei. Quemnam ergo illorum de Maria natum quaeris, utrum accipiam? Uti que, inquit, Filium Dei. Cui ego: Et quo auctore, quove Magistro docente istud accipiam? At ille Matthæo, inquit; Cui rursus ego; Quid enim Matthæus scripsit? Et ille: [Liber generationis Jesu Christi Filii David, filii Abraham &c.] Tum ego: Putaveram, inquam; quid esset dicturus, Liber gene-

Uti sup. hb. 23.
cap. 1. p. 167.

rationis Jesu Christi Filii Dei, & me paraveram ad præscribendum: sed quid nunc fideliter capitulum, memorasti, admonendus tantum es, ut id, quod recitasti, consideres. Neque enim Matthæus hic se Dei Filii generationem scribere fatetur instituisse, sed Filii David.

ibid. cap. 2.

Ut ergo huic interim dicenti credam, Filius David erit mihi de Maria natus, adhuc de Dei filio in hoc toto generationis textu nulla fit mentio, usque ad baptismum scilicet, frustra que calumniam vos ingeritis Scriptori, tamquam Dei ille filium in utero mulieris incluserit. At verò hic clamitat, ut videtur, & in inscriptione ipse sua se prorsus ab hoc sacrilegio vindicat, David Filium perhibens ex illa stirpe oriundum se scripsisse, non Filium Dei. Nam Jesum quidem eum, qui sit Filius Dei, si Scriptoris hujus mentem propositumque consideres, non tam illum de Maria Virgine vult nos accipere, procreatum, quam factum aliquando per baptismum apud fluentia Jordanis: Illic enim dicit baptizatum à Joanne eum, quem David in exordio Filium designavit, factum aliquando esse Filium Dei, post annos dumtaxat, secundum Lucæ fidem, ferme triginta, ubi, & vox tunc audita est dicens ad eum: [Filius meus es tu, ego hodiè genui te.] Vides ergò id, quod antè annos triginta, ut huic videtur, de Maria natum est, non esse ipsum Filium Dei, sed id, quod de Baptismo postè factum est ad Jordanem, idest hominem novum, tamquam in nobis, cum credimus ad Deum ex gentilitatis errore conversi, quod ipsum tamen nescio, utrum satis cum ea fide faciat, quam vos Catholicam nominatis: sed interim sic Matthæo videtur, si sunt ipsius hæc. Neque enim usquam in parturitionibus Mariæ dictum legitur illud: [Filius meus es tu, ego hodiè genui te;] aut: [Hic est Filius meus dilectissimus, in quo mihi benè complacui.] Sed in expiatione ejus apud Jordanem. Quod si, & tu credas ita ut scriptum est, eris jam quidem Matthæanus, sic enim mihi dicendum est, Catholicus verò nequaquam. Nam Catholicam fidem novimus; qua tantò longè abest ab hac professione Matthæi, quantò procul est, & à vero. Siquidem Symbolum vestrum, ita se habet, ut credatis in Jesum Christum Filium Dei, qui sit natus ex Virgine Maria: Vestrum est ergo de Maria accipere Filium Dei, Matthæi ab Jordane, nostrum ex Deo: ac per hoc
tame

tam vobis Matthæus, si hæc ejus præ certo sunt, contrarius est in professione ista sua: nisi quod paulò prudentior vobis inventus est, ut ortum ex femineo sexu, David Filio adscriberet magis, quam Filio Dei. Quapropter de duobus vos unum fateri oportet: aut hunc non esse Matthæum, qui hæc videtur asserere, aut vos non tenere Apostolicam fidem.

Nos verò quamvis de hac sententia nemo prorsus deiciat, ex Deo accipiendi Filium Dei, tamen, ut multum imprudentiæ concedamus, ut adigamur, & falsis credere, ex Jordane nobis erit factus Jesus Dei filius, quem natus ex utero mulieris: quamquàm nec ipse quidem ille, quem Maria peperit, si ullus erat, rectè David Filius appelletur, nisi cum constet ex parte Joseph seminatum. Quod quid negatis, illud etiàm fateamini necesse est, ne ipsum quidem esse David Filium; quoniam quidem generatio Abraham usque ad David, & à David Joseph ad usque deducitur per omnes scilicèt Hebræorum Patres; ex quo quid Jesus conceptus non est, ut legitur, nec Filius erit David: longèque demens est, qui, quæ sine coitu Joseph de Maria natum diciturus erat, hunc in principio posuerit esse Filium David. Cur ergò ne ipse quidem, qui sit ex Maria genitus, David rectè Filius appellaretur, quid non sit natus ex Joseph, quanto magis Filius Dei.

Ibid. cap. 3.

Proinde, nec Virginis ipsius origo, ex hac Tribu fuisse monstratur, undè constat esse David: dico autem Judam, de quo Judæi Reges: sed ex Tribu Levi, undè Sacerdotes: quod ipsum palam est, quid eadem Patrem habuerit Sacerdotem quendam, nomine Joachim, cujus tamen in hac generatione nulla usquam habita mentio est. Quomodo ergò ad hanc Dominicæ cognationis prosapiam Maria pertinere dicetur, in qua eam, nec Patrem habere videas, nec maritum? Ac per hoc, nec ille David Filius erit quisquis ex eadem nascitur: nisi ejus hanc genitricem sic admoveas Joseph, ut ejus, aut filia probetur, aut conjux. Sic apud Augustinum Faustus, ab eodem Augustino disertissimè confutatus.

Ibid. cap. 4.

Innumeras autem hujusmodi concertationes etiam offendes apud SS. MM. Actorum Pseudo-Censores; vel dum nuda verba sectantur, eorum interpretationibus plus æquo adhærentes; vel cum sententias inter se conferunt,

eaſque pro libito interpretantur, vel cum agnoſcere non valentes, quo pacto uni Martyrum plura, quæ narrantur contigerint; plures idcirco fuiſſe, quibus eadem evenerint (licet unius, vel alterius Scriptoris lapſu id accidere aliquando potuerit, ex ſuo cerebro effingunt; ut alias prætereamus, quas in peſſimè prolatis Fauſti ſententiis, Cenſores ſuos excogitationes depræhendere poterunt.

CAPUT XVIII.

Ex quatuor Evangeliftis: Sectariorum: alii unum, alii alium, cæteris rejectis, eligendum, & longè anteponendum arbitrati ſunt.

EVANGELIUM verò Matthæi, quod tam inſolenti cenſura Manichæorum adnotatur; illud ipſum (fortè ex eo, quod Hebraicè conſcriptum fuiſſet) cæteris aliis rejectis, dumtaxat amplexi ſunt Ebionitæ, ut ſcribit Epiphanius his verbis: *Etenim verò illud affirmare poſſumus, unum, ex omnibus Novi Teſtamenti Scriptoribus, Matthæum Hebraicè, ac litteris Hebraicis Evangelicam Hiſtoriam texiſſe.*

D. Epiph. adv. Hæref. Hæref. 30. pag. 127.

D. Iren. adv. Hæref. lib. 2 c. 26. pag. 242. Bibliot. PP.

Et Irenæus de iifdem agens. *Solo autèm eo (inquit) quod eſt ſecundum Matthæum Evangelio utuntur, & Apoſtolum Paulum recuſant, apoſtatam eum legit dicentes &c.*

Euseb. Hiſt. Eccl. lib. 3. cap. 21. pag. 54.

Ac demùm Eusebius. *Iſti porrò (dicit) Epistoſas Pauli Apoſtoli penitèns rejiciendas ducant, eumque nominant Legis deſertorem, proditoremque; Evangelio ſolo, quod ſecundum Hebræos dicitur utentes, cætera Evangelia non magni æſtimant.* Matthæum autem Hebraicè ſuum conſcripſiſſe Evangelium, Hieronymus in Cathalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum docet. Ex Cenſoribus pariter Actorum Martyrum, qui magis linguarum peritia gloriantur cæteris propemodum Actis abjectis, aliis idiomatibus conſcriptis; ea tantummodo, quæ idiomate, (in quo, præ omnibus ſe inſtructos arbitrantur) genuina potiffimùm, ac legitima jactari, paſſim animadvertes.

D. Hier. de Scrip. Eccleſiæ in Adarib. 20.

Alii verò Hæretici, præfato Irenæo teſte, ſoli, aliis abje-

abjectis, Marci Evangelio adhæserunt. *Qui autem* (inquit) *Jesum separant à Christo, & impassibilem perseverasse Christum, passum verò Jesum dicunt, id quod secundum Marcum est, præferentes Evangelium, cum amore veritatis legentes illud, corrigi possunt* &c. Cerinthi asseclas hujusmodi fuisse, Bellarminus putat.

D. Iren. ut sup.
lib. 3. cap. 11.
pag. 235.

Marcion autem (ipsius Irenæi sunt verba) *id, quod est secundum Lucam, circumcidens, ex his, quæ adhuc servantur penès eum, blasphemus in solam existentem Deum ostenditur*. Et Tertullianus de ipso Marcione agens: *Ex his Commentatoribus, quos habemus* (inquit) *Lucam videtur Marcion elegisse, quem caderet* &c. Tandem Epiphanius: *Et quidem* (dicit) *Marcionis ille liber, Evangelium secundum Lucam stylo ipso referre videtur: ut autem ab eo mutilatus est, initio, medio, & sine decurtatis, corrosi à tineis undique vestimenti simillimus est*. Etenim &c. Et sic pari modo ex hodiernis Censoribus nonnulli se gerunt. Abjectis siquidem in universum SS. MM. Actis, quia tantam suam impietatem eos prodere pudet; aliqua, ex illis seligunt, quæ recipere videantur. Cum tamen ea, nonnisi decurtata, ac mutilata pro arbitrio præferunt; haud dubio, tamquam corrosi à tineis vestimentum exhibent. Tantum verò nefas cum committant, Acta ipsa nihilominus, à mendis, quibus scatebant, ut diligentissimè expurgata præbere gloriantur.

Ibid. ut sup.

Tertull. lib. 4.
cont. Marcion.
pag. 81.

D. Epiph. advers.
Hæc. lib. 1. 10. 3.
Hæres. 42. pag.
311.

Alii autem fuere, qui tres Evangelistas Matthæum, Lucam, & Marcum recipiunt, Joannem verò, tamquam illis contrarium, rejiciunt. De illis ista idem Epiphanius. *Hæc igitur Alogorum est opinio. Nam ejusmodi eis nomen imponimus, nec à nobis deinceps aliter vocandi sunt*. Et vos mecum, à carissimi, Alogos illos nominate. Quorum hæresis Joannis libros repudiat. Quamobrem cum Verbum à Joanne prædicatum respiciant, Alogi, hoc est à Verbo alieni, nuncupandi sunt. Ergo illi à doctrina veritatis funditus abhorrentes, sinceram fidem abnegant, nec Joannis Evangelium, aut Apocalypsim approbant. Atqui si Apocalypsi dumtaxat rejecta Evangelium admitterent, dici id possent subtili quodam, & accurato judicio fecisse, ut Apocrypha respuerent, quod pleraque in Apocalypsi altissimos, & obscuros sensus habeant.

Ibid. lib. 2. tom 1.
Hæres. 51. 5. 3.
pag. 23.

beant. Sed cum universos Joannis Libros propriè rejiciant, dubitare nemo potest, quin ii, eorumque similes, illi ipse sint, quorum in Catholicis Epistolis Joannes meminit. [*Novissima hora est (inquit), & audistis, quoniam Antichristus venit; & nunc ecce Antichristi multi &c.*]

Horum meminit etiam Philastrius de Hæresibus cap. 17., & Augustinus Hæres. 30.

Resc. in Absisf.
pag. 17.

Ex recentioribus verò Hæreticis. Beza (inquit Rescius) Luca Evangelistæ solacismos objicit. Ubi enim Lucas loquitur de sanguine Domini, quod pro vobis effundetur, ait Beza: Cum hæc verba necessariò non ad sanguinem, sed ad poculum pertineant, neque tamen de vino, neque de poculo intelligi possunt, aut manifestum est Solacophantes, aut ex margine in scriptum irrepserunt. Et iterùm. Neque causam video, ait, cur Solacophantes Lucas usurparet.

Bez. in Annot.
Nov. Testam.
Geneva.

Anglici verò Rabbini (ipso Rescio, & Guilelmo Reynoldo testibus) longius progressi, totum planè Lucæ Evangelium reprobare ausi sunt, eò quod in Laodicæno Concilio receptum non fuerit.

Luth. in præfat.
Nov. Testam.

Lutherus etiam, primus totius impietatis fons, illam opinionem (quam tamen Irenæus, Epiphanius, Tertullianus, & alii constantissimè asseruerunt) quod quatuor nempe tantùm Evangelistæ extiterint, abolendam censuit; quin immò solum Joannis Evangelium cæteris præponendum duxit. Quoniam Joannes (inquit) valdè pauca Christi opera, multa verò de Concione illius scribit: Contrà reliqui tres, multa de ipsius operibus, pauca verò ipsius verba describunt; Joannis Evangelium unicum, delicatum, verum, & summum Evangelium est, atque aliis tribus longè anteponendum, & altius prædicandum.

In 2. præf. Nov.
Testam. p. 17.

Ioan. cap. 8.

Beza in Annot.
apud Resc. in
Absisf.

Beza, è contrà longè diversum à Luthero sensit; nam de historia Mulieris adulteræ, quæ ab eodem Joanne describitur dubitat, de illaque censuram hanc profert. Ad me quidem, quod attinet. Non dissimulo mihi meritò suspectum esse, quod veteres illi (innuit autem fidei quosdam inimicos, quos Augustinus oppugnat) rejecerunt. Et rursum. Quod narrat Joannes Jesum solum fuisse relictum cum muliere in Templo nescio quam sit probabile. Illud etiam: Jesum digito scripsisse in terra, novum mihi ait, & insolens.

vi-

detur, nec possum conijcere quis posset satis commodè explicare; tanta denique lectionis varietas facit, ut de totius Historiæ fide dubitem. Sic ille.

De quodam Czechovicii Lublinen. non malo Discipulo refert Rescius, quod indignos Evangelistas dixerit, quibus credatur: *Propterea quod veteris Testamenti, & Prophetarum verbis improprie utuntur*, sicut Matthæus Esaia loco: *Ecce Virgo concipiet: nec rectè, nec proprie utitur.*

Otto verò Bransfellius Evangelia quidem ab Apostolis scripta non negat; *Sed ea pluribus in locis, vel secum, vel cum veritate pugnare contendit; propterea quod Apostoli, partim ut homines interdum erraverint, partim studiosè Magistri sui gloriam confictis narrationibus ornare non dubitaverint.* Quibus in Sacrosancta Evangelia censuris, illæ penè consonant, quibus MM. Acta hodierni Censores impetere consueverunt. Modo enim illis sollacismos, fandi que imperitiam objiciunt. Modo Conciliorum Decreta contrà ea afferre student. Modo Acta eadem Actis aliis, recentè à se repertis postponunt; vel quod pauca MM. verba, plura eorundem opera referant, vel è contrà. Modo quod sibi haud probabile videtur oppugnant, suspectumque totum id, quod sibi ipsis minimè arridet, judicant. Modo, ex Divinæ Scripturæ locis, in Actis ipsis citatis, relatisque, rationes nuncupantur, quibus iis detrahant. Modò demùm pluribus in locis, secum pugnare contendunt, Conscriptoresque Actorum, eorundem MM. studio abreptos, confictis narrationibus, ac paraphrasis, in immensum exigua illorum gesta dilatare studuisse, autumant. De quibus singulis præter ea, quæ supra innuimus, inferiùs disseremus.

Ut supi

Cochleus cap. 3.
& 4. de Script.
& Eccl. aucto-
rit.



CA-

CAPUT XIX.

Quibus objectis Hæretici, cum Actis Apostolorum, tum verò cæterisque Canonicis Epistolis fidem abrogare conati sunt?

*Philast. advers.
Hærespog. 31.
cap. 36.*

Tertull. de praescript.

D. Aug. de utilit. credend. 10. 6. cap.

Euseb. Hist. Eccl. lib. 4. cap. 27.

D. Irenæus lib. 1. cap. 26.

D. Epiph. Hæres. 30.

*Ibid. Hæres. 42.
D. Hier. in præfat. ad eisdem Epistol.*

Apud Bellarm. lib. 1. cap. 17.

CHERINTUS apud Philastrium. Librum Actuum Apostolorum rejicit. Idipsum apud Tertullianum Cerdon. Manichæi apud Augustinum, & demùm Tatianus apud Eusebium, qui de illo, ejusque Sectatoribus ista habet: *Hi lege, Prophetis, & Evangelis utuntur. De Paulo autem Apostolo malè loquuntur, ejus Epistolis fidem abrogant: Acta quoque Apostolorum minimè recipiunt. At præter Tatianum, Ebionitæ quoque omnes Pauli ejusdem Epistolas rejecerunt, & ipsum Paulum Græcum, atque Apostatam vocare (uti Epiphanius, & Irenæus referunt) veriti non sunt. Marcion verò Epistolas ad Timothæum, & Titum respuit, ut Epiphanius ipse, ac Hieronymus testantur.*

At Epistola ad Hebræos severa etiam censura notata est à Magdeburgensibus, & Erasmo; & primum quidem, quia prudens vetustas de hac Epistola dubitavit. Secundò, quia nomen Pauli (ut ejusdem Apostoli cæteræ) *initio minimè præsert.* Tertio, quia *stylum Pauli non vedolet, sed longè diversum, utpotè graviolem, copiosorem, ornatorem, quàm cætera habeant.* Cui quidem censuræ minimè satisfaceret, qui responderet Epistolam hanc Hebraicè fuisse conscriptam, & Apostolum propria lingua melius loqui potuisse, quam aliena, idest Græca. Non; inquam, satisfaceret; Nam Epistolam hanc non Hebraicè fuisse scriptam, sed Græcè, tum ex eo apparet, quod in hac Epistola testimonia secundum versionem Septuaginta citantur; tum etiam quia Auctor Epistolæ cap. 7. Hebraicum nomen interpretatur Melchisedech, idest Rex justitiæ, & Rex Salem, idest Rex pacis; quod haud fecisset, si Hebraicè locutus esset. Quartò, quia hujus Epistolæ Auctor cap. 2. se in numero eorum ponit, qui ab Apo-
sto-

stolis ad fidem conversi sunt , nam dicit : *Quomodo nos effugiemus , si tantam neglexerimus salutem : quæ cum initio cepisset enarrari per Dominum ab eis , qui audierant , confirmata est in nos , contestante Deo signis , & virtutibus &c.* Verùm Paulus ad Galatas graviter affirmat , se , non ab homine , nec per hominem , sed à Christo per revelationem , Evangelium didicisse : non igitur Paulus Epistolæ hujus Auctor extitit.

Cap. 1. v. 1.

Quintò . Epistolæ hujusmet Auctor , cum doctrina Domini pugnat : nam Christus Matth. 11. *Venite (inquit) ad me omnes &c.* hic autem eos excludit , qui semel peccaverunt ; nam cap. 6. *Impossibile (scribit) est eos , qui semel sunt illuminati , iterum renovari ad pœnitentiam .* Et cap. 10. idipsum affirmat . *Non relinqui hostiam pro peccato iis , qui voluntariè peccant , post acceptam notitiam veritatis .* Et 12. *Esau non invenisse locum pœnitentiæ .*

Sextò . Eiusdem Epistolæ Auctor cap. 1. Christum esse Filium Dei probare contendit , ex illis lib. 2. Reg. cap. 1. verbis : *Ego ero illi in Patrem .* Quæ , videlicet , verba , ad litteram de Salomone intelliguntur ; ideòque cum ex solo litterali sensu firma argumenta sumenda sint ; vel hunc Auctorem non Paulum fuisse , vel Paulum haud solidè argumentatum esse dicendum erit .

Septimò . Afferit ipsius Epistolæ Auctor : in Arca urnam habentem manna , & virgam Aaron , quæ fronderat , & Legis tabulas extitisse ; cum tamen lib. 3. Regum cap. 8. *sola tabula in Arca fuisse referantur .* Quapropter , aut Paulus mentitur , aut hujus Epistolæ Auctor Paulus non est :

Cap. 9. 4.

Hujus Epistolæ Auctor demùm cap. 9. de testamento propriè dicto loquens , quod testatoris morte confirmatur , verba Exod. 24. affert : *Hic sanguis testamenti , quod mandavit ad vos Deus &c.* Atqui in Exodo , secundum Hebraicam veritatem , nulla fit mentio testamenti , sed pacti , nullumque alium sensum , præter hunc habere possunt , *Ecce sanguis fœderis , quod pepigit Dominus vobiscum super omnibus verbis istis .* Igitur , vel Paulus Hebraicam linguam minimè noverat , vel ipsi immeritò Epistola ipsa tribuitur . Sic perfidi Censores Magdeburgenses .

Apud Ref. Lu-
iber. in V. edit.
Nov. T. 1. 1.

In Epistolam quoque Jacobi haud minori, vel mi-
tiori censura animadversum est. *Verè stramineam cam-
esse, si ad alias compareretur, pronunciavit Lutherus: neque
habere Evangelicum genium; quinimmodò contentiosam esse, ac
tumidam, aridam, & Apostolico spiritu indignam.*

Idem confirmavit Erasmus potissima ea ipsa censura,
quâ hodierni passim Censores in libris effutandis utun-
tur; non redolere nempè, eam, dicens, Apostolicam
gravitatem.

Insuper, si hæc Epistola est ullius Jacobi (addit Eras-
mus) illius certè erit, qui primus Hierosolymorum Epi-
scopus extitit, & de quo tam multa in Apostolorum Actis,
& in Epistola ad Galatas dicuntur: sed hunc, ex duode-
cim Apostolis minimè fuisse, Hieronymus in Comment.
cap. 1. ad Galatas, scribit: ibi enim eos, qui dicunt Ja-
cobum istum, unum ex duodecim fuisse, errare asserit.

Solita etiam salutatione hujusmet Epistolæ Auctor mi-
nimè utitur, sed prophanò dumtaxat more incipit. *Jacobus
Dei, & Domini nostri Jesu Christi Servus, duodecim tribu-
bus, quæ sunt in dispersione salutem. Quæ quidem saluta-
tionis formula, prophanum aliquid redolere apparet. Et
hæc quidem in hanc Epistolam, Erasmi censuræ capita.*

Magdeburg.
cent. lib. 2. c. 4.
col. 54. Euseb.
Hist. Eccl. lib.
2. cap. 23.

Magdeburgensium verò ea sunt, quæ sequuntur.
Eusebius, in primis, Epistolam hanc, & Judæ alteram,
adulterinas nuncupat; idè firmam auctoritatem minimè
habere convincuntur.

Ab Apostolicæ doctrinæ Analogia, multum etiam Epi-
stola ipsa aberrare cognoscitur. Capitè enim 2. Justifica-
tionem, non soli fidei, sed operibus insuper adscribit. Cui
manifestè ea contraria agnoscuntur, quæ Paulus Roman. 3.
docet: Hominem, videlicet, fide, absque operibus justi-
ficari.

Muta pariter, de opere Christi, & fidei doctrina hæc
Epistola cernitur; in eoque tantum esse deprehenditur,
quòd sola opera commendet. Quod certè Apostolorum
non fuit; hi enim in Epistolis suis semper aliquid de fidei
doctrina interferere consueverunt.

Ejusdem Auctor cap. 1. & 2., Testamenti veteris Le-
gem, Legem libertatis vocat. Cui certè opposita sunt,
quæ

quæ Paulus ad Galatas scripsit : cap. 4. cum eam servitutis Legem appellavit . Non igitur utraque hæc Epistola Apostolica censenda est ; cumque Apostolo Paulo Epistola ad Galatas certissimè asseratur ; hinc ritè educitur alteram ei oppositam , falsò Jacobo Apostolo adscribi .

Cum ex Epistolis Petri , & Pauli , ejusdem Epistolæ Auctor plura testimonia in medium proferat : non quidem , & ipsum Apostolum , sed potiùs , ex Apostolorum Discipulis aliquem extitisse , æquius æstimatur .

Ad quod confirmandum illud quoque accedit , quod Epistolæ ejusdem Scriptor , ut Paulus facit , minimè se Christi Apostolum nuncupaverit ; ideòque , ex hoc , hujusmodi non fuisse , sed inferioris notæ potiùs Discipulum aliquem extitisse , meritò censerì potest .

Et hoc insuper præfati Magdeburgenses Judæ Epistolæ objecerunt ; quod , nempe se Christi Apostolum minimè nuncupaverit .

Secundò , quod se post Apostolos vixisse Judas ipse his verbis asseruerit . *Memores estote verborum , quæ prædicta sunt ab Apostolis Domini nostri Jesu Christi , qui dicebant vobis , quoniam in novissimis temporibus venient illusores &c.* Citans apertè quædam , ex secunda Petri Epistola .

Epist. Jud. v. 17.

Tertiò , quod Judas , non in Græcia , sed in Perfide prædicaverit : ideò non Græcè , sed Perficè scripsisset , si quid scripsisset .

Quartò , cum historiam altercationis , inter Michaellem Archangelum , & Diabolum , de Moyfi corpore : & vaticinium quoddam Henoch , Judas referat ; nihilve horum in probatis Scripturis habeatur : hinc sequitur Epistolam hanc inter Apocryphas rejiciendam . Nec obest quod Tertullianus librum Henoch canonicum esse contenderit ; & Beda in hanc Epistolam , dicat tempore Judæ librum Henoch verum , & canonicum fuisse ; nam etsi modo non extet , tamen (inquit Bellarminus) probabilius videtur librum apocryphum esse . Cum igitur in hac Epistola , non ut apocryphus , sed ut propheticus allegetur ; hinc sequitur Epistolam ipsam , inter canonicas minimè esse censendam .

Ibid. v. 9.

Ibid. v. 14.

*Tertull. lib. de
hab. mulieb.
Beda in Epist.
Juda.*

Bellarmino. ut sup.

Exquisitissimo Erasmi palato , secunda Petri Epistola

ab eodem Apostolo minimè conscripta probatur ; quod eundem stylum non sapiat alterius , nempe prioris , quam Petri esse certò constat . Sed quod vanitatem huiusmodi censurarum mirificè detegit , illud est , quod Magdeburgenses Petro Apostolo hanc asserere Epistolam non vereantur ; quod sibi valdè similis hujus Epistolæ stylus , illi prioris Epistolæ videatur . Sic cœcutientes humani intellectus in his dijudicandis , inter se opposita , eadem via , ac ratione videre sibi videntur . Posteriori nihilominus huic B. Petri Epistolæ hoc deesse ad auctoritatem affirmant , quod testimonio antiquitatis carere dicant .

Apud Refe.

Cent. 1. lib. 2.

cap. 4.


Euseb. Hist. Eccl.

lib. 3. cap. 39.

D. Hieronym. de

Vir. Illust.

Ad comprobandum demùm , secundam , & tertiam Joannis Epistolam , Apostoli , ac Evangelistæ esse , nil aliud iidem Magdeburgenses proferunt , quam quod stylum habeant , Apostolico non dissimilem . Alii verò auctoritatem Papiæ , apud Eusebium , & Hieronymi de Viris illustribus objiciunt : duos siquidem fuisse Joannes , unum Apostolum , alterum verò , qui Senior dicebatur , ut Papias tradidit . Quod igitur harum Epistolarum Auctor , non quidem se Apostolum , sed Seniore nomine nominet ; verisimile idcirco illis videtur , duas has brevissimas Epistolas , non ab Apostolo Joanne , sed ab altero Seniore fuisse conscriptas . Censuras has omnes , quas memoravimus , Catholici Scriptores absolutissimè retundunt . At in Acta MM. ipsas à nostris Pseudo-Censuris fuisse renovatas , inferiùs monstrabitur , cum illas , videlicet , repellere conabimur .



CAPUT XX.

*Oppugnationes Hetherodoxorum adversus Apocalypsim.
Erasmus novi Testamenti impiissimus
Censor confixus.*

CENSURA Lutheri in Librum Apocalypsis hujusmodi est. *Quæ ego in Apocalypsi desidero, non sunt unius generis: ut nec Apostolicam, nec Propheticam esse putem. Initio, & potissimum quidem, quod Apostoli, non occupentur circa visiones: sed claris, atque aridis verbis variocinentur; quemadmodum Petrus, Paulus, Christus etiam in Evangelio facit: nam & Apostolici muneris est, clarè, & sine imaginibus, aut visionibus de Christo, ejusque rebus loqui. Neque ullus est Propheta in veteri Testamento, ut de novo taceam, qui ita planè, & per totum imaginibus, & visionibus agat: ut hunc librum apud me similem reputem quarto libro Esdra; neque ullo modo deprehendere possum, quod à Spiritu Sancto confectus sit. Et post pauca. Domùm sentiat de hoc libro quislibet, quidquid ipsi Spiritus suus ingerit: meus Spiritus ad eum sese accomodare nequit: Atque ea causa mihi sufficit, ne eum magni faciam, quod in eo Christus, neque docetur, neque agnoscitur.*

*Luth. in præfat.
in Apocalypsi.
apud Ruse.*

Idem in Prologo dicit se aliquid in Apocalypsi desiderare, cum asserit beatos fore, qui servant ea, quæ in ipsa scripta sunt: *Cum tamen nemo intelligat, quæ in illa scripta sunt.*

Sed videnda Erasmi hodiernorum Censuram antesignani, apud Bellarminum censura. Objicit primò, igitur; *Auctores quosdam, qui libri hujus non meminerunt* (argumentum, usque ad nauseam, ab imperitis Criticis refricantur), uti Dorothæum, & Anastasium; quosdam etiam, qui, *an esset Joannis Apostoli, dubitarunt*, ut Dionysium, & Eusebium.

*Apud Bellarm.
ut sup. cap. 19.*

Secundò, quod passim nomen suum inculcat, dicens: *Ego Joannes, ego Joannes, perindè, inquit, quasi syngrapham scriberet, non librum.* Cum alioqui Joannes modè

fio-

fiora de se narrans, nomen suum nusquam in Evangelio exprimat.

*Apud Rest. ut
sup.*

Postremo, quod in Græcis Codicibus *titulus non sit Joannis Apostoli, sed Joannis Theologi.*

Vittacherus tandem (Rescio teste) Joanni Apostolo Idololatriæ crimen affingit, quasi Angelum tamquam Deum adorare voluisset; ait enim in responsione ad Campanum: *Joannem Angelus semel, atque iterum, ab hoc cultus genere revocavit.*

*Ab. Pi. Sentent.
Moræ discuss.
lib. 3. pag. 83.*

Sed in hac censurarum contrâ novum Testamentum ratione, nemini certè secundus habendus est, quem memoravimus, impiissimus Erasmus, cujus iterum alia, ex innumeris, hic inferere sat sit, à piissimo Alberto Pio Carporum Principe, contrâ ipsum scripta, dum ait. *De religione, inquam, & Christo Domino, hæc inter cætera scribis. Neque verò temerè est, quod Christo (stulti) tam impensè placuerunt; opinor propterea, quod quemadmodum summi Principes nimium cordatos suspectos habent, & invidiosos, ut Julius Brutum, & Cassium, cum ebrium Antonium nihil metueret: utque Nero Senecam, Dionysius Platonem; contrâ crassioribus, ac simplicioribus ingenii delectantur. Itidem Christus æquè istos, suæque nitentes prudentia, semper detestatur, ac damnat &c. Hæc autem verba, suæ innitentes prudentia, adjecisti in hac postrema editione. Non enim erant in priori. Sed parum tibi vitulari valent, si quis diligenter præcedentia, subsequentiæque verba expendat. Nam paulò post subjicis. Huc pertinet, quòd passim in Evangelio Phariseos, ac Scribas, ac legum Doctores incessit. Quid enim aliud est: *Væ vobis Scribæ, & Pharisei; quam, Væ vobis Sapientes, & Docti? At parvulis, mulieribus, ac piscatoribus, potissimum delectatus esse videtur. Et hic immutasti verbum morionum, à prioribus editionibus, cum piscatoribus. Subjungis deindè, ac ne ea, quæ sunt infinita persequar, utque summam dicam, videtur omninò Christiana Religio, quandam habere cum stultitia cognationem, minimeque cum sapientia convenire. Addidisti autem, & in postrema editione, quod non erat in prima, hanc vocem aliqua cum stultitia &c. Et prosequeris. Cujus rei si desiderassis argumenta, primum illud animadvertite, pueros, senes,**

mu-

mulieres, ac fatuos, sacris, ac religiosis rebus præter cæteros gaudere: eosque semper altaribus esse proximos, solo, nimirum, natura impulsu. Præterea videtis illos religionis auctores, mirè simplicitatem amplexos, acerrimos litterarum hostes fuisse. Postremò nulli moriones magis despere videntur, quam ii, quos Christiana pietatis ardor semel totos arripuit, aded sua profundunt, injurias negligunt &c. quod quidem, quid aliud est quam insanire? &c.

Quibus adjicis. Sed postquam semel τὴν λευτὴν induimus, Age doceamus & illud, felicitatem Christianorum, quam tot laboribus expetunt, nihil aliud esse, quam insaniam, stultitiæque genus quoddam. Absit invidia verbis, rem ipsam potius expendite &c. Ad quod astruendum insinuatione quadam niteris persuadere, felicitatem Christianorum sumptam esse ex placitis Platonis, illam conferens furori naturali, quo, ais, homines vaticinari, futura prædicere, & variis loqui linguis, de litterisque differere, quas antè numquam didicerant. Quod &, inquis, quibusdam morti vicinis quiddam simile accidere solere: subjungens felicitatem Christianam auspiciantibus usu venire, quod juxta Platonicum figmentum accidit bis, qui in specu vinculi rerum umbras mirantur; & fugitivo illi, qui reversus in antrum, veras res se vidisse prædicat &c. Quibus dictis, obsecro, quidnam ad confodiendam religionem dici potuisset atrocius? Primum felicitatem Christianam, quæ totius religionis summam, & finem continet, nil aliud esse quam insaniam, stultitiæque genus quoddam? Sumptamque, ex placitis Platonis, fabulantiumque figmentis, dormientium somniis, & rerum umbris persimilem, furorique naturali comparandam? Sanè Porphyrius, aut Julianus, illius professi hostes, tam execranda adversus illam numquam scripserunt. Si enim figmentis, umbra, & somniis, insaniamque, & furori persimilis Christiana felicitas: non igitur vera res, sed commentitia, deliriumque quoddam, & insaniam genus esse concluditur. Si enim non minus desipiunt ii, quos totos Christiana pietas semel arripuit, morionibus quibuscumque desipientibus: sequitur illos, non minus insanos esse eo in negotio, morionibus insanissimis. Cui, & astipulatur dictum subsequens, videlicet, pueros, senes, mulierculas, fatuos gaudere præ cæteris sacris rebus. Constat enim hos omnes, cæteris viris sensu imbecilliores esse,

esse, natura, aetatis, aut sexus vitio, hacque de causa plus ipsos in rebus sacris oblectari. Quapropter & illis plus iube-
rere, nimirum natura simili semper gaudente.

Idem Alb. Pius
de Script. Sac.
& ear. autib.
lib. 11. pag.
180.

Et alibi. Quam pratered inconsulta, prava, & erro-
nea sint illa verba? Apostolum Paulum multa torquere, vel
in Judaeorum pertinaciam, vel in favorem Evangelii; ipsique
hoc peculiare esse, & nonnumquam aliud sentire, quam elo-
quatur; tempori, & causae servire, lubricum esse in dispu-
tando, pia vafricie uti, dissimulare, & alia hujuscemodi: quae
quam male sonent, quam piorum mentes offendant, aliis ver-
bis explicare non opus est, cum ipsa verba plus nimio sese ex-
plicent. Si enim haec omnia agit Paulus, fatearis oportet, cum
ipse, ex Divini Spiritus bucca, cujus tantummodo praeo est,
illa eloquatur. Divinum Spiritum vafrum, lubricum, men-
dacem, tortorem Scripturarum, dissimulatoremque esse: quod
tamen, vel dumtaxat cogitare blasphemum est. Cum igitur
tantum ab his Divinus Spiritus abhorreat, nec Paulo illius ora-
cula propalanti ullo pacto tribuenda sunt: num enim egebat
divina sapientia, ad Evangelium promulgandum istiusmodi
technis, calliditate, humanave vafricie? Num ipsi quicquam
torquendum erat, lubriciterque agendum, ut suum perageret
negocium? Num adminiculis astu repertis, & ope artis, ad
fallendum inventa illam oportebat muniri? Insinuavit quidem,
& expressit divina Sapientia, ex arcanis suis profundissimis,
quae à mortalibus cognosci statuit, admirando, incomprehensibi-
lilique consilio abyssus suae majestatis, simplicibus verbis, sin-
cera oratione, nihil falsi, nihil fucati, nihil simulati, aut
ficti continente. Aperta quidem, & nitida cute, gravida ta-
men sensibus, fecunda mysteriis, profunda spiritu, nihil tortu-
tum, nihil vafrum, nihil obliquum, aut lubricum, sed recta,
omnia, sinceraque habente. Et si enim multa insunt altè ab-
strusa, tantummodò ab eodem spiritu explicanda, qui primo
illa insinuavit, nullum tamen in Scripturis mendacium, nul-
la vafricies, nulla fraus, nihilque ad fallendum inductum.
Quamvis enim quodam loco rotum id non exprimitur, quod
sentitur, vel quia res, de qua agitur, id non poscat, vel quod
locus, ratione id suadente, non patiat: non tamen ulla id va-
fricie fit, sed prudentia. Tu autem, ad imminuendam verbo-
rum, quibus licentius uteris pravitatem, aliquod epitheon,
aut

aut verbulum illis adjungis, magis pugnans, quàm accomo-
datum, ut cum vaftriciam piam dicis: quod ità convenit, ac
fi diceres, asperitatem lenem, saxa mollia, tempestatem seren-
nam, & similia. Et si authorem proferas Poetam, qui non
accipiat illam in malam partem; perindè, ac si liceat te in
soluta oratione uti, adversus communem authorum usum, quod
Poetis pangendi carminis licentia permittitur. Erroneum est
ergo dicere Apostolum, pia vafritie uti, aut torquere quicquam:
cum torquere sit in diversam partem trahere ab eo, ad quod
institutum est, quod nihil aliud est, quàm illo mendaciter uti.
Qui enim torquet verba, mendax est in verbis, uti qui diver-
sum sentit ab eo, quod eloquitur: quamvis enim alia sentire
possit præter ea, quæ profert, citrà mendacium; cum quispiam
loquitur; (non enim omnia, quæ sentit tenetur exprimere); ac
etiam diversa cum utatur concessis ab adversario, contrà quem
decertat: semper tamen mendax est, cum quicquam docet con-
trariam ab eo, quod sentit. Tu autem non obhorres mendacem
facere Apostolum cum dicas, eum aliud sentire quàm eloquatur.
Rem enim non immutas, licet verba commutans rem ipsam
delinire videaris.

Demum prætereundum non est eundem Erasmmum, Anomæorum (quorum meminit Epiphanius, aliorumque Hæreticorum, quos Hieronymus memorant, & Augustinus) hæresim renovasse, cum in Annot. suis ad 2., & 27. Matthæi caput, non obscurè scripsit. *Metuendum non esse, nè totius Scripturæ auctoritas corruat, si levis aliquis error in ea deprehendatur: cum præsertim Evangelistas, interdum memoria lapsos, Sanctus Augustinus concedat. Hac siquidem ratione, cum ad impunè mordendos ipsos sacratissimos libros sibi viam stravit; mirum non est, quod deteriora in aliorum scriptis lacerandis, aggressus fuerit; Minusque idcirco mirandum Censores etiam nostros, ab ipso edoctos, vel sacras, Cœlestesque visiones, in MM. Actis relatas, pro figmento habere: vel verba, gesta que MM. trutinantes, Martyres ipsos criminibus obnoxios ostendere: vel humanæ sapientiæ supèrcilio, simplicitatem, ac imperitiam eorum, qui illa exararunt, exaratifque fidem præbuerunt, irridere consuevissè. Solemne in-
super eis esse (uti Erasmo), ad adstruendum quod dicunt,*

K

per-

- D. Epiph. Hæ-
res. 76.
D. Hieronym. in
Cap. 5. Mi-
chæ, & Pra-
satis. com. Epist.
ad Pbilem.
D. August. lib. 2.
cont. Advers.
Ley. & Propb.
cap. 2.

perperam Sanctorum Patrum auctoritatem afferre, quisquis illorum censuras percurrerit, facile intelliget.

CAPUT XXI.

Nonnulla adducuntur Sacrarum Scripturarum loca, quae sibi adversari videntur: undè ea criminandi cavillosa hominum ingenia occasionem arripuerunt. Mirandum propterea non esse, si ob eandem rationem hac quoque detrahendi prurigo Actorum SS. MM. Censores affecerit.

TANDEM, ut ostendamus, nil tam Divinum, tamque Sanctum, ac verum reperiri, cui audacissima hominis censura detrahere nequeat; hic quaedam Scripturae loca apponere duximus, à sapientissimo, ac piensissimo viro Joanne Driedonio collecta, quae inter se pugnare videntur; ut ex his appareat non mirandum, quod Sanctorum gestis hodierni Censores falsitatis notam tam facile inurant; cum Divinis ipsis Voluminibus, quod ritè objicerent se reperisse, impiissimi Viri audacissime putaverint.

*Joan. Dried. de
Script. contra-
niel. lib. 3. cap.
4. pag. 165.*

Salomon in Proverb. docet, ut respondeamus stultò juxta stultitiam: & item prohibet, ne respondeamus stulto juxta stultitiam suam.

In viam gentium ne abieritis (præcepit Christus Apostolis), sed ite potius ad oves, quae perierunt domus Israel; videtur contrarium ei, quod post resurrectionem dicit: Ite in mundum universum, & docete omnes gentes.

Moyfes ait. *Obsecro Domine, mitte, quem misurus es: tamquam dicat: provide alium, quem mittas.* Hieremias quoque mitti recusans, ait: *A, a, a Domine nescio loqui.* Contrà verò Isaias mitti desiderabat, dicens: *Ecce ego Domine, mitte me.*

Apostolus Paulus, dum Antiochiæ Petri simulationem reprehendit, subtrahentis se à communione Gentilium, *propter metum Judaeorum*: videtur fecisse illi doctrinae contrarium, dum *propter ipsum Judaeorum metum*, & circumcidit Timothæum, & rasit sibi caput, & legis sacrificia obtulit.

Præ-

Præceptum item, quo jubetur: *Nolite eradicare zizania, sed finite crescere* &c. videtur contrarium, quod dicitur: *Expurgate vetus fermentum.*

Illud pariter: *Si vos persecuti fuerint in una Civitate, fugite in aliam.* Et illud: *Ego dico vobis non resistere malo. Qui voluerit tecum in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei, & pallium.* Cohærere non videntur.

Quod scriptum est. *Non est currentis, neque volentis, sed miserentis Dei:* & aliud: *Deus cuius vult miseretur, & quem vult indurat:* & illud: *Sicut lutum in manu figuli, ita vos in manu mea, dicit Dominus.* Iis contraria esse videntur, quibus asseritur. *Deum velle omnes homines salvos fieri. Nolo mortem peccatoris, sed magis ut convertatur, & vivat* &c.

Ea pariter: *Mea doctrina non est mea, sed ejus, qui misit me Patris.* Et: *Qui edit meam carnem, & bibit meum sanguinem habet vitam æternam.* Contrarium videtur ei, quod paulo post loquitur: *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam.*

Alibi, cum dixisset Judæis: *Et me scitis, & undè sum, scitis.* Mox velut à seipso dissentiens dicit: *Verus est, qui me misit, quem vos nescitis.*

Alicubi dicit Christus: *Ego non iudico quemquam.* Alibi autem de Christo Scriptura testatur; *Pater omne iudicium dedit Filio.*

Uxorem etiam, excepta fornicatione dimitti non posse, Christus pronunciat; & alibi, ut dimittatur, hortatur: *Omnia, inquit, qui reliquerit uxorem &c. propter me centuplum accipiet.*

Scriptura docet Patrem, Matrem, & Uxorem esse diligendam; alibi dicit eos odio habendos.

Marcus ait: *Erat hora tertia, & crucifixerunt eum.* Joannes autem dicit: *Erat autem Parasceve Pascha hora quasi sexta, & dicit Pilatus, ecce Rex vester.*

Apud Matthæum Christus loquitur Pharisæis: *Qui non est mecum, contra me est.* Apud Marcum autem, de quodam, qui in nomine Jesu ejiciens Dæmonia, nolebat sequi discipulos, ait: *Nolite prohibere eum. Qui non est adversus vos, pro vobis est.*

De libello quoque repudii, inter Evangelistas contrarietas videtur. Nam apud Matthæum, cum Christus non esse dimittendam uxorem docet, Pharisei eum interrogasse leguntur: *Quid ergo Moyses mandavit dari libellum repudii, & dimittere?* Quibus Christus, non ait Moysen mandasse, sed ad duritiam cordis permisisse, ut uxores dimitterent. Apud Marcum autem Phariseis dicentibus Moysen permisisse libellum repudii; respondit Christus: *Ad duritiam cordis permisit Moysen præceptum hoc.*

Contrarietates item videntur, inter Matthæum, & Lucam in genealogia Christi. Non enim videtur posse stare juxtà Matthæum, quod Joseph Mariæ vir, fuerit filius Jacob ex Salomonis stirpe: & quod juxtà Lucam, fuerit filius Heli, ex stirpe Nathan, qui frater Salomonis extiterit. Simili modo, quod apud Joannem Evangelistam, Præcurzor Domini Joannes Baptista dicit: *Prior me erat, & ego nesciebam eum: sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem, & manentem, hic est qui baptizat in Spiritu Sancto: & ego vidi Spiritum Sanctum descendentem, & testimonium perhibui,* Quo videtur Joannes Baptista dicere se non novisse secundum faciem Christum, priusquam videret Spiritum Sanctum descendentem, tamquam columbam super ipsum: ei contrarium esse apparet, quod apud Matthæum dicit ad Jesum, sanctum ipsius verticem tangere non audens: *Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? &c.*

Pariter Matthæus, & Lucas præcepisse Dominum commemorant, Discipulis suis, ut nec virgam ferrent. Marcus verò, dicit eum mandasse, ne quid tollerent, præter virgam tantum.

Insuper; quomodo Dominus apud Matthæum præcepit, ut neque calceamenta possiderent; cum apud Marcum, ut essent calceati sandalis iusserit?

Item apud Matthæum, Dominus Discipulis mandavit, ut nemini dicerent, quod ipse esset Jesus Christus; hoc autem contrarium ei videtur, quod ad prædicandum adventum suum eosdem ipse Discipulos miserit.

Amplius autem, & hic considerandum (inquit Driedonus), quod interdum diversi Evangelistæ, & Prophetæ unum,

unum, & idem factum recitare voluisse videntur, qui tamen diversas res recitarunt: uti apud Matthæum, interdum in diversis locis, & temporibus gesta, & miracula ita similia recitantur, ut si à diversis Evangelistis scripta forent, non diversa, sed eadem esse viderentur. Hinc apud Matthæum ipsum, de multis hominum millibus in deserto, ex paucis panibus, & pisciculis saturatis miracula referuntur; & primum quidem cap. 14. in quo quinque millia virorum, ex quinque panibus, & duobus piscibus in deserto satiati leguntur, duodecim cophinis plenis fragmentorum reliquiis collectis. Et cap. 15. in deserto pariter quatuor millia virorum, ex septem panibus, & paucis pisciculis saturati referuntur, septem sportis reliquiarum plenis collectis. Sub eodem autem contextu utrumque miraculum factum cap. 8. Marcus recitat, & quia hic sub ordine, & temporum differentia ab eodem Evangelista recitantur; procul dubio diversis temporibus facta miracula cognoscuntur; quæ tamen si à diversis Evangelistis separatim recitarentur, legentibus occasio daretur existimandi unum, idemque factum eosdem recitare voluisse; & ita alterum, vel non integrè, & veraciter recitasse, sed vel oblivione deceptum pro quinque panibus, septem posuisse.

Sæpè etiã Christum, & dixisse eadem, & fecisse similia reperimus: Undè Matth. 12. Scribis, & Pharisæis signum de Cœlo petentibus respondit: *Generatio mala, & adultera signum querit, & signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ Propheta*. Idemque alibi, àlioque tempore, eundem Dominum ad Scribas, & Pharisæos ipsos dixisse, ex cap. 16. apud eundem Matthæum apparet.

Sic verbum quoque illud: *Multi sunt vocati, pauci vero electi*; parabolam Salvatoris de operariis denario diurno in vineam conductis, concludit Matth. 20.: & tamen est itidem finis parabolæ alterius, quæ est de invitatis ad nuptias venire nolentibus. Matth. 22.

Deindè Mariam Magdalenam bis unxisse pedes Jesu, primo in domo Pharisæi, cujus nomen Simon, ubi remittebantur ei peccata, antequam Lazarus esset mortuus, ut patet Luc. 7., & Joan. 11. Iterum in domo Simonis Leprosi, qui alius à Simone Pharisæo fuisse videtur: quod nem-

nempè antè sex dies Paschæ Lazaro jam mortuo accidit.

Sic & parabola, quam Salvator assumit Matth. 22. de homine Rege, qui fecit nuptias filio suo, mittente servos suos invitare ad nuptias; eadem esse videtur, cum parabola de homine, qui fecit Coenam magnam, quam Lucas recitat.

Item Lucæ quinto: Petrum cum filiis Zebedæi per totam noctem piscatum fuisse, nihilqueprehendidisse refertur. Et Joannis 21. tota nocte nihilprehendidisse pariter narratur.

Joannes idem, Jesum Discipulis apparuisse, & dixisse illis refert: *Sicut misit me vivens Pater, & ego mitto vos: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remisistis peccata, remittuntur eis.* Matthæus verò Jesum apparuisse narrat, & Discipulis dixisse tradit: *Data est mihi omnis potestas in Cælo, & in terra: Euntes ergò docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

Quod Paulus dicit: *Sicut ego per omnia omnibus placeo:* videtur illi esse contrarium, quod dixit; *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.*

Super his, quæ circa tempus Resurrectionis acciderunt, contrarietates etiàm inter Evangelistas videntur. Primum. Quod Matthæus dixerit: Vespere Sabbati illucescente, in una Sabbati Dominum resurrexisse; cum Marcus resurrectionem ejus, manè esse factam commemoret, ita scribens: *Surgens autèm manè prima Sabbati apparuit primo Maria Magdalena, de qua ejecerat septem Dæmonia &c.* Secundo. Quomodo secundum Matthæum Angelus super lapidem sedebat, foris scilicèt revolutum à monumento; secundum Marcum autèm, Angelus in specie juvenis, sedit intus in dextris coopertus stola candida? Prætereà, quomodo singuli Angeli visi sunt sedentes, unus secundum Matthæum foris super lapidem; alter secundum Marcum intus à dextris; cum, secundum Lucam, Angeli in specie Virorum in veste fulgenti secus mulieres stetitisse leguntur? Tertio. Quomodo, secundum Marcum mulieres exeuntes, fugerunt de monumento, invaserat enim eas timor, & nemini quicquam dixerant; cum dicat Matthæus easdem mulieres, cum timore, gaudioque magno exiisse, cur-

currentes nunciare Discipulis? Quarto. Contrarietas super hora videtur, qua mulieres ad monumentum venerunt; cum Matthæus dicat: *Vespere Sabbati. qua lucefcit in primo Sabbati, venit Maria Magdalena, & altera Maria videre sepulchrum.* Et Marcus dicat: *eas venisse valde manè cum orto Sole.* Joannes autem dicat, eas venisse manè, cum adhuc essent tenebræ, quæ non fiunt cum orto Sole. Quinto. Videntur esse contrarietates super Magdalena: nam Joannes describit Mariam Magdalenam venisse ad monumentum, & nondum Angelo viso, cucurrisse ad Simonem Petrum, ac indicasse Jesum esse sublatum. Matthæus autem indicat Magdalenam vidisse Angelum, & exiisse de monumento cum gaudio, & cucurrisse ad Apostolos, ac nunciasse ipsis Dominum surrexisse. Sexto. Apud Joannem dictum est eidem Magdalene: *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum.* Matthæus autem describit Jesum occurrisse Magdalene, aliisque mulieribus, & easdem tenuisse pedes ejus, & adorasse. Si enim Magdalena secundum Matthæum admittitur, pedes Domini tangere; quomodo secundum Joannem prohibetur, & audit à Domino: *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum?* Septimo. Quomodo Christus Matthæi 12. dixit: *Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corda terræ tribus diebus, & tribus noctibus.* Cum tamen Christus, solum una die, & duabus noctibus fuerit in sepulcro? Octavo. Quomodo Matthæus, & Marcus scribant Apostolis mandatum esse per mulieres, ut irent in Galilæam Dominum revisuri: cum ipsum, Lucas, & Joannes Hierosolymis ab illis visum esse perhibeant? Si Matthæus insinuat Dominum, post Resurrectionem, primum in Galilæa esse visum à Discipulis; cur Lucas, & Joannes testantur Jesum esse à Discipulis visum ipso die Resurrectionis? Rursus. Quomodo Joannes, & Lucas testantur Jesum in Hierusalem illo die, scilicet Resurrectionis, stetit in medio Discipulorum, & dixisse: *Pax vobis,* & juxta Joannem ostendisse eis manus, & latus, & insufflasse, atque dixisse: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittantur eis.* Cum Matthæus nihil

ta-

tale dicat , sed cum infinuasset , quod ab Angelo , & à Domino Jesu fit mulieribus dictum , & illis abeuntibus subjecisset , quid de corruptis ad mentiendum Custodibus fit gestum , continuo subjecit : *Undecim autem Discipulis abierunt in Galilæa in montem , ubi constituerat illis Jesus , & videntes eum adoraverunt : quidam autem dubitaverunt : & accedens Jesus locutus est eis dicens : Data est mihi omnis potestas in Cælo , & in terra . Euntes ergo docete omnes gentes , baptizantes eos in nomine Patris , & Filii , & Spiritus Sancti , docentes eos servare quaecumque mandavi vobis . Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi ?* Ità Matthæus suum Evangelium conclusit ; ex quo videtur consequens esse , Dominum post Resurrectionem in Galilæa primum esse à Discipulis visum ; quod contrarium est his , quæ Lucas , & Joannes docent : ipso , nempe Resurrectionis die , Dominum à Discipulis in Hierusalem visum esse ; quæ videlicet Hierusalem ità longè à Galilæa est , ut uno die , ab ipsis in utroque loco videri minimè potuerit . Si ergo Jesus , juxtà Lucam , & Joannem sub noctis initio ipsa Resurrectionis die à Discipulis visus est ; non igitur eadem , qua resurrexit , die Dominum in Galilæa viderunt , neque in sequentibus octo diebus undecim Apostolis in Galilæa apparuit . Joannes enim dicit Dominum Discipulis octavo die apparuisse , ubi primum eum Thomas vidit , qui cum aliis Discipulis , dum ipso resurrectionis die eis Dominus , apparuit minimè fuerat .

Nono . Quomodo Joannes docet Jesum ad mare Tyberiadis à septem piscantibus esse visum ; & hoc ipso jam tertio se suis Discipulis manifestasse : cum ex aliis Evangelistis constet , hanc posteriorem manifestationem non duabus tantum , sed pluribus aliis apparitionibus posteriorem fuisse ? Patet enim ex Evangelio , quod eadem die , qua resurrexit ; præter quod à mulieribus visus est , ter se manifestavit : semel , videlicet Petro : iterum duobus Discipulis in Emaus euntibus : tertio pluribus , inter quos Thomas non erat . Quomodo ergo manifestat se tertio , & hoc juxtà mare Tyberiadis ?

Demum . Qua ratione , qua via , ea , quæ de manifesta-

statione resurrectionis Evangelistæ recitant, iis coherent, quæ Paulus 1. ad Corinth. 15. tradit dicens : *Christus resurrexit tertia die, & apparuit Cephæ, & postea duodecim. Deinde apparuit plusquam quingentis fratribus simul, ex quibus quidam manent usque adhuc, quidam autem dormierunt. Postea apparuit Jacobo, deinde Apostolis omnibus, novissimè autem omnium, tamquam abortivo mibi ?* Hunc ordinem Evangelistarum nemo tenuit ; imò adversari eorundem Evangelistarum contextui videtur. Neque enim quingentis fratribus simul sese manifestare antè suam Ascensionem Christus, & præcipuè antè apparitionem, qua Jacobo, & omnibus Apostolis sese ostendit potuit : cum nondum tantus esset credentium numerus : nam Actorum primo, centum, & viginti hominum fuisse narratur.

Hæc pauca, ex pluribus apparentibus Sacræ Scripturæ contrarietatibus, protulisse sufficiat, ut illud dumtaxat, ut diximus, manifestum appareat, nil tam sanctum, tamque verum dari posse, cui humana curiositas, nisi pietatis, ac fidei fræno moderetur, detrahare nequeat. Ex iis autem, quæ adedè irrationabiliter semper manenti veritati objecta sunt ; deprehendere quis facile poterit, cujus ponderis illa sint censenda, quæ cæteris Historiis Ecclesiasticis à Pseudo-Criticis objiciuntur ; cum primùm animadverterit, eadem ipsa, sive ejusdem indolis cum iis esse, quæ superba admodum vanitate, spirituque contradictionis, & impietatis linguas, & calamos afflante, Sacris ipsis Voluminibus objecta fuere ; id quod inferius (Deo opitulante) ostendetur. Catholicorum siquidè nemo, cum quibus de his disserendis negotium sumere credidimus, veritatis præcipuum Privilegium Sacris Literis denegare poterit ; sed eorum quisque, impiis, quas proposuimus, censuris falsitatis notam palam inurendam esse dijudicabit.



A C T A
 SANCTORUM CHRISTI
 MARTYRUM
 VINDICATA,
 LIBER II.

In quo de Censuris, in generali contra Acta
 Sanctorum Martyrum agitur.

* * *

C A P U T I.

*Quis scopus scribendi, qua superiori Libro continentur.
 Cujusvis Historia quodnam proprium
 sit fundamentum.*



INVENTA sunt specula, ut homo ipse se nosceret (inquit Seneca), multaque ex hoc consequuta. Primò, sui notitia, deindè ad quædam consilium. Formosus, ut vitaret infamiam: deformis, ut sciret redimendum esse virtutibus quidquid corpori deesset: juvenis, ut flore ætatis admoneretur, illud tempus esse discendi, & fortia audendi: senex, ut indecora canis deponeret, & de morte aliquid cogitaret.

Quam igitur humana industria nobis præbuit nosmetipsos videndi facultatem; eam ipsam Actorum Sanctorum hodiernis Censuris tribuere satagemus, cum superiori, nempe, Libro quoddam quasi speculum elaboravimus, in

L 2

quo

*Senec. Moral.
 quest. lib. 2.
 cap. 17. p. 359
 edit. Romana*

quo impiorum tum Gentilium, tum Judæorum, atque Hæreticorum, immò ipsius Diaboli ingenium conspiceretur; ut inde hodierni ipsi Censores id consilii caperent, quod sibi magis, ac animarum suarum utilitati expedire cognoscerent. Sed quia fortè contingere posset, quod quidam canendo narravit.

*Pedrus Fab. 47.
Sror. ad Frat.*

*Habebat quidam Filiam turpissimam,
Idemque insigni, & pulchra facie Filium.
His speculum in Cathedra Matris suppositum fuit.
Pueriliter ludentes fortè inspexerant.
Hic se formosum jactat s. illa irascitur,
Nec glorientis sustinet fratris jocos,
Accipiens (quid enim?) cuncta in contumeliam.*

Idèò, nè quis ritè irascatur, quod sic præ oculis propriam ei turpitudinem proposuerimus. (In apposito à nobis siquidè speculo, qui à falsis hujusmodi opinantibus abhorret, ingenii sui pulchritudinem ab omni macula alienam intueri potest; secus alii.) Quisquis (inquam) ipse sit

Tu faciem, ut istam moribus vincas bovis,

ac inutilibus curiositatibus abjectis, faniori conatu Sanctorum narrationes inquirat, rem tibi enucleandam suscepimus: & primùm quidè Historiæ quid præcipuum sit fundamentum, ostendemus.

Lucianus, non minus verè, quam luculenter tradit, proprium Historiæ esse, illicque sacrificandum, ut vera omnia dicat. Sicut enim, si quis animati alicujus effoderit oculos, quidquid corporis superest inutile remanet: ita, ex historiâ, veritate ademptâ, narrationem omnem inutilem evadere pronunciat.

Et quidè qui ab historia veritatem detrahit, quidquid præcipuum in historia est, imò id omne, ad quod historiæ munus institutum est, labefactat, ac destruit. Cùm enim, juxtà Tullium, nil aliud ea sit, quam testis temporum, vita memoriæ, magistra vitæ, nuncia vetustatis: & juxtà Cornelium Agrippam, rerum gestarum cum laude, aut vituperatione narratio; utpotè quæ magnarum rerum consilia, actiones, exitus, Regumque, & magnorum Virorum actus, cum temporum, locorum ordine, atque descriptione, tamquam viva quædam pictu-

*Cicer. 7. de in-
vent. Rhetor.*

*Cornel. Agrip. de
Vanis. Scient.*

ctura , antè oculos ponat ; quamobrem hanc tamquam vitæ magistram , & ad ejus institutionem utilissimam , omnes meritò censent : eo quod multarum rerum exemplis , tum optimos ob laudis , nominisque immortalẽ gloriam , ad præclara quæque facinora accendat : tum impios quosque , ac pravos , perpetuæ infamiæ metu à vitiis deterreat . Nemo certè his inspectis non videt , hanc memoriæ vitam , hanc vitæ magistram , hanc vetustatis nunciam , hanc temporum testem , hanc humanarum actionum picturam , in eo præcipuè absolutissimam esse debere , ut vera sit , ac vera proferat . Cùm enim veritas nil aliud sit , juxtà Philosophum , quàm adæquatio rei ad intellectum ; neque bonorum , neque malorum profectò intellectum adæquare ea historia unquam poterit , quæ cum veritate careat ad eum finem , ad quem instituta est , ut nempè ad præclara facinora accendat , & à criminibus arceat , prorsus inutilis erit .

*Aristot. lib. 2.
Mor.*

Neque aliquid innuere voluisse Strabo videtur , cum scripsit . *Historiæ finis est veritas , nec ostentationi , sed fidei , ac veritati historia componitur .* Et Vives idipsum affirmans : *Haud ignoro (inquit) satis esse historiæ si sit vera : quæ , ut reliqua habeat omnia , si veritatem non habet , obtinere nomen suum non potest .*

*Strab. lib. 6.
Geograph.*

*Vives lib. 2. de
caus. comp.
art.*

Demùm (ut innumera hac de re data opera missa faciamus) Phocas Grammaticus laudes profecutos historiæ , nil de ea , ac in ea magis commendandum duxit , quam veritatem , proindeque cecinit :

*Sola fucatis variare dictis
Paginas nescis ; sed aperta quidquid
Veritas prodit , recinis per ævum
Simplice lingua .*

Phoc. de Hist.



CAPUT II.

*Historiam Sacram, quæ in Divinis Voluminibus habetur
summè veram habendam, omnique
prorsùs labe expertem.*

EX eò autè quod historiæ, & finem, ac totum
fundamentum, firmissimamque basim veritatem
esse nemo planè ignoraverit; ille apud Romanos
(Svetonio teste) mos inolevit, ut ob veritatem dicen-
dam, historiæ non nisi ab honestissimis, & ingenuis viris
scriberentur. Verum, qui historiarum sacrorum Libro-
rum præcipuus Auctor fuit, adèd cæteris præstantior ex-
titit, quod solus ipse omnis veritatis fons verus fuerit,
juxtà Dominicum illud. *Spiritus veritatis docebit vos om-
nem veritatem. Non enim voluntate humana (inquit Petrus)
allata est aliquando Prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati
loquuti sunt Sancti Dei homines.* Spiritus Sanctus enim Scri-
ba fuit: Prophetæ autem ejus calami fuere, quibus ipse
Spiritus Sanctus (ut Cyprianus docet), scribenda dictavit.
Licèt enim Sacrorum Voluminum Scriptores nonnulli, ea,
quæ scripsere, naturaliter scirent; puta Joannem, qui,
quæ vidit, & audivit (ut ipsemet fatetur) de Verbo vitæ
monumentis mandavit &c.; eos tamen in illis conscribendis
à Spiritu Sancto incitados, specialiterque motos eò modo,
& ratione scripsisse, nihilque aliud exarasse, quam quod
ipse Spiritus Sanctus voluit, satis superque penès fideles
compertum est.

Spiritus, igitur veritatis sacrorum Voluminum Au-
ctor, cum Deus ipse veritatis sit, nil præter veritatem
effari potuit. Cumque prima historiæ lex ea sit, nè quid
falsi dicatur; altera verò nè quid veri, quod aperire oporteat
taceatur: hinc in sacris historiis, non modò nil falsi
dictum, verum etiam, vel oblivione, vel memoriæ lapsu
nil prætermissum firmissimè censendum est. Undè meritò,
ut alibi diximus, impia Erasmi censura exploditur, qua
non esse metuendum, nè totius Scripturæ auctoritas cor-
rue-

*Svet. de Pbst. &
Cornel. Nepos.*

Joan. 16. v. 13.

*2. Petri cap. 1.
p. 21.*

*D. Cyprian. de
Elemos.*

Joan. 1.

rueret, si levis aliquis error in ea depræhenderetur, non obscure significavit. *Omniem autem* (inquit Augustinus) *falsitatem abesse ab Evangelista decet, non solum eam, quæ mentiendo promitur, sed etiam eam, quæ obliuiscendo.* Ità ut aliquid, vel minimum in sacris Historiis veritati, quavis ratione, vel dicendo scilicet, vel reticendo, contrarium irrepsisse, excogitari omninò nequeat. Si enim hoc credere fas esset, quod, sive imperitia, sive oblivione, sive alia quacumque humana imbecillitate, ab iis, qui sacras Historias exararunt, committi potuerit; quicumque earundem narrationum locus in medium proferretur, de eo quæstio esse pariter posset, an videlicet in eo scribendo Auctor non dormitasset. Quare Augustinus idem. *Admisso* (inquit) *in tantum auctoritatis fastigium aliquo mendacio; nulla particula horum Librorum manebit, quæ non possit in dubium revocari.*

Et alibi de loco quodam Matthæi, in quo error putabatur, disserens, ostendit, vel Evangelistam non errasse, vel si in eo, quod dixit, error deprehenditur, non alii certè, quàm Spiritui Sancto tribuendus. Spiritum Sanctum verò labi, aut errare potuisse, nemo sanæ mentis umquàm, nè dùm dixit, sed nè excogitavit quidem. Hinc Chrysoströmus meritò scripsit. *Nihil temerè, vel fortuito laquitur divina Scriptura, sed, & syllaba, & apiculus unicus reconditum habet thesaurum.*

Et quidem decebat, ut qui in hoc natus erat, & ad hoc in mundum venerat, ut testimonium veritati perhiberet, tales sibi rerum suarum Historicos compararet, qui & ipsi à veritate deficere minimè possent; alioquin, qui ex veritate fuissent, quomodo tutò audire vocem ejus per illos potuissent, si falsa aliquandò in eorum narrationibus irrepsissent?

D. Aug. de Conf.
Evang. lib. 2.
cap. 12. tom. 4.

Bellar. m. de Verb.
Dei lib. 1. c. 6.

Idem Epist. 8. ad
D. Hieronym.

De Confess.
Evangelist.

D. Jo. Chrysostr.
Homil. 19. in
cap. 4. Genes.
tom. 1. pag. 50.

Joan. cap. 19.



CAPUT III.

Licet plures significationes habeant, quæ in Sacris Litteris narrantur; veritatem tamen Historicam in iis immobilem, certissimamque remanere.

HABET igitur Sacra Historia fundamentum immobile veritatem, tum quod Spiritus veritatis præcipuus ejusdem Auctor sit; tum quod veraces ejusdem Scriptores effecerit; tum demum quod per ipsos iis, qui ex veritate fuissent, nonnisi veritas tradenda foret. Hinc est quod licet plures divina pagina sensus, ac interpretationes admittat, immobilis nihilominus Historica semper in illa veritas perseveret. Quare Augustinus de Paradiso agens, cujus historia in libro Genesis habetur: *Nonnulli (inquit) totum ipsum Paradisum, ubi primi homines parentes generis humani Sanctæ Scripturæ veritate fuisse narrantur, ad intelligibilia referunt, arboreque illas, & ligna fructifera in virtutes vite, moresque convertunt; tamquam visibilia, & corporalia illa non fuerint, sed intelligibilium significandorum causa ed modo dicta, vel scripta sint. Quasi propterea non potuerit esse Paradisus corporalis, quia potest etiam spiritualis intelligi: tamquam ided non fuerint dua mulieres Agar, & Sara, & ex illis duo filii Abrahæ, unus de Ancilla, & unus de Libera, quia duo Testamenta in eis figurata dicit Apostolus: aut ided de nulla petra Moyse percutiente aqua defluxerit, quia potest illud figurata significatione etiam Christus intelligi, eodem Apostolo dicente: Petra autem erat Christus. Nemo itaque prohibet intelligi Paradisum, vitam Beatorum, quatuor ejus flumina, quatuor virtutes, prudentiam, fortitudinem, temperantiam, atque justitiam: & lingua ejus omnes utiles disciplinas: & lignorum fructus, mores piorum: & lignum vite, ipsam bonorum omnium matrem sapientiam: & lignum scientiæ boni, & mali, transgressi mandati experimentum. Penam enim peccatoribus bene utique, quondam justè constituit Deus, sed non bono suo*

*D. Aug. de Civit.
Dei lib. 13 cap.
21. pag. 421.
tom. 5.*

suo experitur homo. Possunt hæc etiam in Ecclesia intelligi, ut ea melius accipiamus, tamquam Propheica iudicia præcedentia futurorum. Paradisum, scilicet, ipsam Ecclesiam, sicut de illa legitur in Cantico Canticorum: Quatuor autem Paradisi flumina, Quatuor Evangelia: Ligna fructifera, Sanctos: fructus autem eorum, opera eorum: Lignum vite, Sanctum Sanctorum, utique Christum: Lignum scientia boni, & mali, proprium voluntatis arbitrium. Nec se ipso quippe homo, divina voluntate contempta, nisi perniciosè uti potest: atque ita discit, quid intersit, utrum inhaereat communi omnibus bono, an proprio deleatur. Si quippe amans donatur sibi, ut inde timoribus, maroribusque completus cantet in Psalmo, si tamen mala sua sentit: Ad me ipsum anima mea conturbata est: correctusque jam dicat: Fortitudinem meam ad se custodiam. Hæc, & si quæ alia commodè dici possunt, de intelligendo spiritualiter Paradiso, nemine prohibente dicantur; dùm tamen, & illius historiae veritas, fidelissima rerum gestarum narratione commendata, credatur.

Psal. 41.

Nota:

Et in libro de Genesi ad Litteram idipsum confirmans. Non ignoro (inquit) de Paradiso multos multa dixisse; tres tamen de hac re, quasi generales sunt sententia. Una eorum, qui tantummodò corporaliter Paradisum intelligi volunt. Alia eorum, qui spiritualiter tantum. Tertia eorum, qui utroque modo Paradisum accipiunt, aliàs corporaliter, aliàs autem spiritualiter. Breviter ergo ut dicam, tertiam mihi fateor placere sententiam; secundum hanc suscepi nunc loqui de Paradiso, quod Dominus donare dignabitur, ut homo factus è limo, quod utique corpus humanum est, in Paradiso corporali collocatus intelligatur: ut quemadmodum ipse Adam, etsi aliquid aliud significat, secundum id, quod eum formam futuri dixit esse Apostolus: homo tamen in natura propria expressus accipitur, qui vixit certo numero annorum, & propagata numerosa prole, mortuus est, sicut moriuntur cæteri homines: etsi non sicut cæteri ex parentibus natus; sed sicut primitus oportebat, ex terra factus est: ita & Paradisus, in quo eam collocavit Deus, nihil aliud quam locus quidam intelligatur, terra scilicet, ubi habitaret homo terrenus.

Et notanda, quæ statim subjungit. Narratio quippe in his libris, non genus locutionis figuratarum rerum est, sicut

Idem lib. 3. cap. 1
de Gen. ad Litteram p. 229.
tom. 3.

Rom. 5.

Nota:

M

in.

ibid. ut sup. ” in Cantico Canticorum, sed omninò gestarum rerum est, sicut in Regnorum Libris, & hujuscemodì cæteris. Et inferius. ” Sanè si nullo modo possent, salva fide veritatis, ea, quæ hîc corporaliter nominata sunt, corporaliter etiam accipi; quid aliud remaneret, nisi ut ea potiùs figuratè dicta intelligeremus, quam Scripturam Sanctam impiè culparemus? Porrò autem, si non solùm non impediunt, verùm etiam solidiùs afferunt divini eloquii narrationem, hæc etiam corporaliter intellecta: nemo erit, ut opinor, tam infideliter pertinax, qui cum ea secundum regulam Fidei exposita propriè viderit, malit in pristina remanere sententia, si fortè illi visa fuerant, nonnisi figuratè posse accipi.

Quod quidem nonnullos ex hodiernis Pseudo-Censoribus forsàn ignorantes, cum cœteròquin eos minimè lateat plures Sacram Scripturam habere sensus, duobus illis vulgatis verficulis comprehensos.

Apud Salmer.
Prolegom. 7.
pag. 74.

Littera gesta docet: quid credas, allegoria:

Moralis quid agas: quo tendas anagogia.

Ex Sacris Historiis petita exempla, ad alias Historias comprobandas, illos rejicere, multotiès animadvertimus; ac si eò, quod plures sensus, ac interpretationes, sanctæ narrationes accipere possunt, cœterarum historiarum legibus, ac terminis minimè ipsæ continerentur, earumque fines excederent, idèdque nil cum aliis commune haberent. Quod certè, quàm sit à veritate alienum, præter Augustinum, alii quoque docuerunt. Viderunt siquidem hoc, caveruntque sedulò, qui è Patribus allegoriam maximè versarunt, qui & ipsi in majorem Dei gloriam, & Christianifidelium instructionem intenti, non ad plausus, suosque conceptus astruendos, ubi arridere videretur, temerè eam obtrudunt, aut inconcinnè fronti ocream (quod vulgò dicitur,) tibix galeam applicant; sed rei ità eam devinciunt, ut aptè per omnia consentiat. Sicut enim Sacræ Litteræ in historico sensu res gestas denotant; ita in allegorico res gestæ, alias magis arcanas significant: ut nisi Allegoria Historiæ respondeat, falsam eam protinùs, & evanidam judicent. Ea de causa Hieronymus in Osee scribens, quod de Rege Assyrio passim dicitur, juxtà tropologiam ad Christum deducere (quod aliquando non bene

LIBER II. CAP. III. 91

nè consideratus antea ipse fecerat), impium esse docet. Et Prologo in Abdiam, semetipsum arguit, quod allegoricè Prophetam hunc explicavisset, nondum assecutus ejus intelligentiam Historicam, quæ immobilis semper est basis, super quam sensus cœteri fundari, ac construi possunt, ipsa integra, ac inviolata permanente.

CAPUT IV.

Nullius Historiæ veritatem, & auctoritatem, cum illa Sacrarum Scripturarum esse conferendam.

SICUT autem ex eo, quod Sacra Historia plures interpretationes, ac sensus admittat, in sua historiæ ratione, nil optimi, atque perfecti, quod in laudatis aliis historiis requiritur, amittit; immò quidquid perfectissimum est, in se cumulatissimè continet; ita licèt (ut innuimus, & mox dicetur) ad comprobendam Historiarum cœterarum probitatem, fat esse videatur, ut perfectissimo, tantoque exemplari assimilentur; tamen ex hoc minimè sequitur historiæ alicujus auctoritatem, cum Sacræ Scripturæ auctoritate esse conferendam. *Major est enim (inquit Augustinus) Scripturæ Sacræ auctoritas, quàm omnis humani ingenii capacitas.*

D. Aug. de Gen. ad Litt. cap. 1.

Et ad rem alibi clariùs, agens contrà Faustum Manichæum, de Epistola quadam Pauli. *De his libris (inquit) dici potest aliquid eos habere non consonum fortassè occultiori, & ad dignoscendum, difficiliori veritati, quod, aut sic remanserit, aut in posterioribus correctum sit, qui non præcipiendi auctoritate, sed proficiendi exercitatione scribuntur à nobis. Inter hos enim sumus, quibus idem Apostolus dicit: [Et si quid aliter sapitis, id quoque vobis Deus revelabit.] Quod genus litterarum, non cum credendi necessitate, sed cum judicandi libertate legendum est. Cui tamen nè intercluderetur locus, & adimeretur posteris, ad quæstiones difficiles tractandas; atque versandas linguæ, ac styli saluberrimus labor, distincta est à posteriorum libris, excellentia Canonica auctoritatis, Veteris, & Novi Testamenti, quæ Apostolorum con-*

Idem cont. Faust. lib. 11. cap. 5. pag. 94.

Philip. 3.

fracta temporibus, per successiones Episcoporum, & propagationes Ecclesiarum, tamquam in sede quadam sublimiter constituta est, cui seruiat omnis fidelis, & pius intellectus. Ibi, si quid velat absurdum moverit, non licet dicere, Auctor hujus libri non tenuit veritatem; sed, aut Codex mendosus est, aut interpretas erravit, aut tu non intelligis.

Nota.

” In Opusculis autem posteriorum, quae libris innumerabilibus continentur, sed nullo modo illi sacratissimae Canonicae Scripturarum excellentiae coaequantur; etiam in quibuscumque eorum invenitur eadem veritas, longè tamen est impar auctoritas. Itaque in eis, si qua forte propterea dissonare putantur à vero, quia non ut dicta sunt, intelligantur: tamen liberam ibi habet Lector, auditorve judicium, quo vel approbet, quod placuerit, vel improbet, quod offenderit: & ideo cuncta ejusmodi, nisi vel certa ratione, vel ex illa Canonica auctoritate defendantur, ut demonstretur, frivè omninò ita esse, frivè fieri potuisse, quod vel disputatum ibi est, vel narratum; si cui displicuerit, aut credere noluerit, non reprehenditur. In illa verò Canonica eminentia Sacrarum Litterarum, etiam si unus Propheta, seu Apostolus, aut Evangelista aliquid in suis Litteris posuisse, ipsa Canonis confirmatione declaratur, non licet dubitare, quod verum sit: alioquin* nulla erit pagina,

* Nota.

” quae humanae imperitiae rogatur infirmitas, si librorum Canonice saluberrima auctoritas, aut contempta penitus aboletur, aut interminata confunditur.

* Nota.

Ac adversus Cresconium Grammaticum agens, de Epistola quadam Sancti Martyris Cypriani ad Jubajanum. Verba ejus (inquit) ex Epistola ad Jubajanum inseruisti Litteris tuis, quibus ei placuisse monstares baptizandos eos esse in Ecclesia Catholica, qui fuerint in Haeresi, vel Schismate baptizati. Ego hujus Epistolae auctoritate non teneor, quia Litteras Cypriani, non ut Canonicas habeo, sed eas ex Canonicis considero: & quod in eis Divinarum Scripturarum auctoritati congruit, cum laude ejus accipio; quod autem non congruit, cum pace ejus respicio. Ac per hoc, si ea, quae commemorasti ab illo, ad Jubajanum scripta, de aliquo Apostolorum, vel Prophetarum canonico recitares; quod omninò contradicerem, non haberem. Nunc verò quoniam canonicum non est, quod recitas; eà libertate, ad quam nos vocavit Dominus,

D. August. lib. 2.
cont. Crescon.
tom. 7. cap. 32.
pag. 151.

nus, ejus viri, cujus laudem consequi non valeo, cujus multis Litteris mea scripta non comparo, cujus ingenium diligo, cujus ore delector, cujus charitatem miror, cujus martyrium venerar; hoc, quod aliter sapit, non accipio. Non accipio, inquam, quod de baptizandis Hæreticis, & Schismaticis B. Cyprianus sensit, quæ hæc Ecclesia non accipit, præ quæ B. Cyprianus sanguinem fudit. Sed quid dicitis eum præ hac sententia legalia documenta firmasse, quamquam non ille documenta legalia documento firmare potuit, sed eis potius quæcumque rectè sensit, ille firmavit: relinque ergo scripta Cypriani, & ea ipsa legalia documenta, quibus eum dicitis usum esse, commemora. Si ea non demonstravero nostram causam adjuvare, vicisti. Quapropter ita hoc Cypriani non accipio, quamvis inferior incomparabiliter Cypriano, sicut illud Apostoli Petri, quod gentes judaizare cogebat, nec accipio, nec facio, quamvis inferior incomparabiliter Petro.

Hæc Augustinus, de eminentissima Sacrarum Scripturarum authoritate, alteri cui vis, nec postponenda, nec æquanda. Quod autem ipsemet de Sancto Propheta Moyse alibi dixit, de cunctis, qui Sacras Litteras exararunt, meritò etiam pronuntiandum esse, sanæ fidei, nemo ibit inficias. *Quod Deus (scribit) mundum fecerit, nulli tutius credimus, quam ipsi Deo. Ubi eum audivimus? Nusquam interim nos melius, quam in Scripturis Sanctis, ubi dixit Propheta ejus: In principio fecit Deus Cælum, & terram. Nam quidnam ibi fuit iste Propheta, quando fecit Deus Cælum, & terram? Non; Sed ibi fuit Sapiencia Dei, per quam facta sunt omnia, quæ in animas etiam sanctas se transfert, amicos Dei, & Prophetas constituit, eisque opera sua, sine strepitu intus enarrat. Loquuntur eis quoque Angeli Dei, qui semper vident faciem Patris, voluntatemque ejus, quibus oportet, annunciant. Ex his unus erat iste Propheta, qui dixit, & scripsit: In principio fecit Deus Cælum, & terram. Qui tam idoneus testis est, per quem Deo credendum sit, ut eodem Spiritu Dei, quo hæc sibi revelata cognovit, etiam ipsam fidem nostram futuram tanto ante prædixerit.*

D. Aug. lib. 11. de Civ. Dei cap. 3.
pag. 340.

Ibid. de Civ. Dei lib. 11. cap. 4.
p. 341.

Noti;

* * *

CA-

CAPUT V.

*Sacrorum Voluminum auctoritate, & exemplo, alia scripta
tuentur, ac defenduntur.*

TANTA igitur est Scripturæ Canonicae auctoritas, ut de illa dubitare nefas sit, nec cum eâ aliorum, quorumvis sanctissimorum hominum sint conferendæ Scripturæ. Nihilominus id minimè officit, quin, quantò magis perfectissimo huic exemplari, quantum ad rectam historicæ descriptionis ideam scripta hominum alia assimilantur, tantò hinc majorem auctoritatem consequi valeant. Quapropter nemo adedò mentis expertus erit, ut ritè in scriptis cæteris se coarguere possit, tamquam historicè erroneum, ac mendosum censeat, quòd eodem in genere historicæ narrationis, in absolutissima Scripturæ Sacræ descriptione mordere, ac reprehendere minimè audeat. Non minùs siquidem ad Spiritum Sanctum, qui per os Prophetarum, Evangelistarum, ac hujusmodi hominum locutus est, perfectio ea pertinet rerum, quæ Evangelistæ ipsi, ac Prophetæ effati sunt, vel scripsere; quàm modus, ac ratio ipsa scribendi, vel narrandi; ità ut quòd hâc ratione potiùs quam alterà usi sint; quòd illud dixerint, hoc reticuerint: quòd hic compendio narrauerit, ille fusiùs explicaverit; quòd rerum hic circumstantias significaverit, alter eas præterierit, & cætera his similia: spectare ad eundem veritatis Spiritum, fidelium nemo negare queat.

*Cic. lib. 1. Re-
stor.*

Exemplum verò (ut vult Tullius) est, non ut totum ad totum, neque ut totum ad partem, sed pars ad partem: quandò videlicet utraque sub eodem genere sunt, sed unum altero magis perspicuum. Uti nempe in eo, de quo loquimur, in quo Sacræ Scripturæ exemplum, cum cæteris hominum descriptionibus conferimus, non tamquam totum ad totum, ità ut has cum illa comparare plenè audeamus, vel etiam illius totum harum parti æquare velimus; sed dumtaxat partem ad partem, in quantum
sci-

scilicet, ad perfectissimæ, ac veracissimæ historiæ regulas, atque veritatis indicia, historias alias evocamus: salva semper magis perspicua, nullique comparanda divinorum voluminum auctoritate.

Ipsa autem Sacra Scriptura, quæ tamquam in sublimi sede constituta, scriptis cœteris dignitate præcellit, in quibus etiamsi inveniatur eadem veritas, longè tamen eorum ab illius est impar autoritas; autoritate eadem suâ cœtera pia scripta defendit, ut paulò antè his verbis dixisse Augustinum commemoravimus. *Itaque in eis* (nempe in humanis scriptis) *si quæ fortè propterea dissonare putantur à vero, quia, non ut dicta sunt, intelliguntur; tamen liberum ibi habet Lector, auditorve iudicium: quò, vel approbet, quod placuerit, vel improbet, quod offenderit: & idè cuncta ejusmodi; nisi vel certa ratione; vel ex illa Canonica Autoritate defendantur, ut demonstretur sivè omninò, ità esse, sivè fieri potuisse. quod, vel disputatum ibi est; vel narratum; si cui displicuerit, aut credere noluerit, non reprehenditur.* Quibus verbis Augustinus perspicuè docet, quænam hominum scripta dijudicare, respuere, aut indubium evocare liberum sit: nempe ea, quæ vel certâ ratione, vel Canonicâ autoritate minimè defendantur. Canonicam verò autoritatem, cùm non modo obtineant omnia, quæ in sacris Voluminibus continentur, verum etiam ratio ipsa, modusque scribendi: hinc pia scripta, alia, quæ sic exarata agnoscuntur, ut defendi possint scripta ea ratione, ac modo, quò sacri Libri exarati sunt, improbanda non erunt: Non quod scriptis hominum ea auctoritas tribuenda sit, quam sacra Volumina eminentissimam, ac divinam habent; sed quod ipsa Divina autoritas, quantum ad istam historicè scribendi rationem à se adhibitam, horum autoritatem tueatur, & protegat, ne cui liceat isto prætextu fidem eis historicam denegare.

Eadem etiam ratio, ob quam de Canonica Scriptura dubitare minimè licet, quamque Augustinus ipse adfert, credendum pariter esse scriptis cœteris, ubi ab illius autoritate defendantur, perspicuè suadet. *Nulla* (inquit Augustinus) *erit pagina, qua humana imperitiæ regatur infirmitas, si Librorum Canonicorum saluberrima autoritas,*
aut

D. August. lib. 17:
contra Faust.
cap. 5. pag. 94.
tom. 6.

Nota:

Ibid. ut sup.

aut contempta penitus aboletur, aut interminata confunditur. Nam si humanæ imperitiæ infirmitas id exoptulat, ut regi possit, quod firmissimam habeant sacra Volumina auctoritatem, cui nemini detrahere liceat, cuique omnis pius, & fidelis intellectus seruiat: ex hoc certè sequitur, Sanctam Scripturam auctoritate sua, humanæ infirmitatem imperitiæ regentem, & verbis, & exemplis à se mutuatis, cœtera quoque hominum pia scripta tueri debere: alioquin, vel plenissimam illam auctoritatem, quæ ei tribuitur non habere dicenda esset; vel eam saltèm non exercere plenissimè videretur, uti hominum imperitiæ exigat, si eadem auctoritate suâ, quid iudicandum, quid credendum, quidvè respuendum in cœteris scriptis non doceret.

At sicut Augustinus ipse, ex eo tantùm, (ut suprâ dictum est) Cypriani dicta, ac scripta respuenda censuit, quod sacræ Paginæ dictis, & scriptis minimè concordarent: cum contrariorum eadem sit disciplina; ità iis, vel scriptis, vel dictis, in quibus nil eorum, quæ Sanctæ Scripturæ adversarentur, reperiretur, vel eorundem sacrorum Voluminum auctoritate defendi possent, credendum esse prorsùs existimavit. Quod quidèm expressè sic docuit, ubi de verbis à Præcursores Domini Joanne Baptistâ prolatis disseruit. *Si ergò queritur, (inquit), quæ verba potius Joannes Baptista dixerit; utrum quæ Matthæus, an quæ Lucas eum dixisse commemorat: an quæ Marcus in ipsis paucis, quæ illum dixisse, posuit, tacens cœtera; nullo modo hic laborandum esse judicat, qui prudenter intelligit, ipsas sententias esse necessarias cognoscenda veritati, quibuslibet verbis fuerint explicata. Quod enim alius alium verborum ordinem tenet, non est utique contrarium &c.* Et post nonnulla: *Quisquis autem dicit, Evangelistis certè per Spiritus Sancti potentiam id debuisse concedi, ut nec in genere*
verborum, nec in ordine, nec in numero discrepant; non intelligit, quantum amplius Evangelistarum excellit auctoritas, tantò magis per eos fuisse firmandam cœterorum hominum verarum loquentium securitatem: ut pluribus eandem rem fortè narrantibus, nullo modo quisquam eorum de mendacio ritè arguatur, si ab altero ità discrepaverit, ut possit etiam Euan-
 ge-

D. Aug. de Conf.
 Eoang. lib. 2.
 cap. 12. p. 161.
 tom. 4.

Notæ:

gellistarum exemplo precedente defendi. Cum enim fas non sit Evangelistarum aliquem mentitum fuisse, vel existimare, vel dicere: sic apparebit, nec eum fuisse mentitum, cui recordanti tale aliquid acciderit, quale illis accidisse monstratur. Et
 „ quanto magis ad mores optimos pertinet covere mendacium;
 „ tanto magis tam eminenti auctoritate regi debemus, ne p-
 „ tatem esse mendacia, cum sic inter se variari aliquorum
 „ narrationes inveniremus, ut inter Evangelistas variata sunt.
 „ Sineul etiam, quod ad Doctrinam Fidelem maximè pertinet
 „ intelligimus, non tam verborum, quam rerum quærendam,
 „ vel amplectendam esse veritatem, quando eos, qui non eadem
 „ locutione utuntur, cum rebus, sententiisque non discrepant, in
 „ eadem veritate constitisse approbamus.

Nota.

Ex his apparet, quod auctoritas Canonicarum Scripturarum, cæteris Scripturis, quæ Canonicae non sunt, defensionem præbeat, hisque eredendum quotiescumque illarum exemplo tuentur; non ea credendi necessitate, qua illis creditur: sed non absimili pietate, qua ipsæ, utpote his conformes, credibiles agnoscuntur; liberumque cuique minimè esse de illis, quidquid voluerit, judicare, cum consonæ, ac exemplis Scripturarum, munitæ deprehendentur.

Cœterum, cum haud semel, contra Actorum Martyrum obtretractores aliquos, firmissimam hanc Augustini doctrinam proferremus, cui, quod objicerent, non haberent, ad illud confugisse responsum audivimus: [Martyrum Acta, Canonicam Scripturam non esse. Huic enim, captivato in obsequium fidei intellectu, esse acquiescendum; de Actis verò Martyrum, Censores libere differere posse, quod ipsis fidem adhibere nullus præcipiat.] Quibus nos præter alia, quæ diximus, hoc quoque addidimus. Vel culpæ Scripturam non licet, ex eò dumtaxat extrinseco motivo (velut obsequio erga Principem minùs vera loquentem, sive scribentem); quod Dei verbum sit; vel quod verè, nec mendacium, nec error ullus in ea sit; vel ob utrumque. Si ex eo tantùm, quod Verbum Dei sit, illi detrahere Censores non audent, ideòque linguæ parcunt, non quod sinè lapsu Scripturam putent, sed ex eo quod ejusdem lapsus reprehendere non præsumant; non Christiani dicendi sunt, quia non totum id, quod credendum est,

N

est,

est, credunt, dum omni nempe errore expertem Scripturam ipsam non credunt, quæ nonnisi sine errore esse potest. Si verò credunt, quod in illa, nullus prorsus error irreperere potuerit; illius & auctoritate, & exemplo aliorum quoque Scriptorum, qui in verborum genere, in ordine, & hujusmodi cœteris, eadem ferè ratione, qua in sacra Pagina narrantur, res retulere; illorum quoque auctoritatem firmatam esse fateri coguntur. Nam cum verissimum illud sit quodcumque sit, quod in sacra Historia narratur, licet illud, vel alius præterierit, vel alius verbis dixerit, vel quid simile; sic, ex exemplo, & auctoritate ejusdem, falsitatis ritè coargui nequit, quisquis eosdem narrandi modos inter scribendum adhibuerit: cum scriptio- nis istius modus, & ratio illi cohæreat, quæ verissima est, & in qua mendacium irrepsisse, credere nefas est.

Qui igitur intrà se ipsum cogitat (quod avertat Deus à Catholico) in Sacræ Scripturæ Historiis, mendosa plura reperiri, à censura tamen ex eo dumtaxat abstinere, quod verbum Dei, & tamquam verbum Dei illam accipiat; meminisse debet, quod interrogatus Solon, quid esset Lex? Respondit: *Aranea tela: quia si in eam inciderit, quid debile, retinetur; grave autem pertransit tela rescissa*. Sic enim ipse sese gerere agnoscitur: Scripturæ siquidem parcit, quod gravis ponderis tantum existat; Sanctorum vero Acta tenet, ut corrodatur, quod auctoritatis tam grave pondus non habeant. Judex autem verus, faciem potentis non respicit, sed illum æquè, ac pauperem judicat, ut ubi parem culpam deprehenderit, parem etiam in illum damnationis sententiam ferat. Credere igitur oportet, & sacram Paginam Dei verbum esse, ac insuper in ejusdem sacrae Paginae scriptione, nullum prorsus errorem reperiri; & sicut ea, quæ mendosa in ea fortè putavit, certissimè verissima sunt, licet à veritate aliena sibi visa fuerint; ita quæ his consona in Sanctorum Actis agnoverit, ea nequaquam falsa esse, uti sibi videntur.

*Laer. Diogen. de
Vis. & morib.
Philosop.*

CA-

CAPUT VI.

*De Sanctorum Martyrum Actis, Censura
Cardinalis Baronii.*

SED jam in medium prodeat justissima illa, ac universalis omnium penè Ecclesiasticorum Scriptorum querela simul, ac censura, de pluribus SS. Martyrum corruptis Actis; quam, æterna memoria dignus, magnus Ecclesiasticæ Historiæ Pater (ut innumeros alios, qui eadem, ut plurimum, ab eo surrepta recinere solent) Cardinalis Baronius his verbis expressit. *Haud pepercit (inquit) Actis Sanctorum Martyrum, malis perpetrandis semper invigilans astutia Sathana, quæ per pravorum hominum mentes, ea labefactare curavit. Nam impietas omnium malorum Auëtrix, quod veris Actis Martyrum à Christianis exscriptis, Christiana fidei certitudo, & Christi gloria effulgerent, Gentiliumque Deorum falsitas, colentiumque ipsos stultitia, & Hæreticorum nugacitas perspicuè haberentur expressa, atque convicta: interdum Sanctorum Martyrum vera Acta corrupit, ac falsa odidit, suppressis veris, vel igni traditis. Id quidem caca malitia de Actis Pilati primum, quæ de Christi Domini Nostri mortis sententia (ut dictum est superius) fuisse conscripta, temerario conatu presumpsit; quod ipsum quoque falsitatum est de quibusdam Actis Martyrum. Ad hæc spectat justa illa querela Arnobii, qui Diocletiani temporibus vixit, qua ait in Gentiles, hæc de Christianis Scriptoribus garrientes: Sed Conscriptores nostri mendaciter ista prompserunt (de Christo scilicet, atque ejus præconibus), extulere in immensum exigua gesta, & angustas res satis ambitioso dilatavere præconio. Atque utinam cuncta referri in scripta potuissent, vel quæ ab ipso gesta sunt, vel quæ ab ejus præconibus pari jure, & potentia terminata: magis vos incredulos faceret vis tanta virtutum: aut apprehendere locum fortasse possētis, quod videretur esse simillimum veri; & incrementa rebus apposita, & inditas scriptis, & commentariis falsitates. Sed neque omnia conscribi, aut in aures omnium pervenire potuerunt gesta, gentibus in ignotis,*

Baron. Ann. to. 3.
art. 290. p. 686.

Arnob. lib. 1. ad
vers. Gent.

Et usum nescientibus litterarum: aut si qua sunt litteris, conscriptionibusque mandata, malivolentia Damorum, quorum cura, Et studium est, banc intercipere veritatem, Et confimilium his hominum interpolata quadam, Et addita, partim mutata, atque detracta verbis, syllabis, litteris, ut Et credentium tardarent fidem, Et gestorum corrumpere auctoritatem. Hac Arnobius: Præstiterunt hæc Gentiles pariter, Et Hæresici.

Indèque illa prudens Gelasii Papæ animadversio dimanavit, qua in Romano Concilio, ubi Scriptorum Christianorum salubris facta est cribatio: [Gesta Sanctorum Martyrum, qui multiplicibus tormentorum cruciatibus, Et mirabilibus confessionum triumphis irradiant: quis ista Catholicorum dubitet, Et majora eos in agonibus fuisse perpeffos, nec suis viribus, sed gratia Dei, Et adiutorio universa tolerasse? Sed idèd, secundum antiquam consuetudinem, singulari cautela in S. Romana Ecclesia non leguntur: quid, Et eorum qui conscripsere, nomina pessis ignorantur; Et ab infidelibus idiotis superflua, aut minus apta, quàm rei ordo fuerit, scripta esse putantur. Sicut cujusdam Quiriaci, Et Julite, sicut Georgii, aliorumque hujusmodi passiones, quæ ab Hæreticis perhibentur compositæ. Propter hoc (ut dictum est) ne vel levis subsannandi oriretur occasio, in Sancta Romana Ecclesia non leguntur.] Hac ipse. Sed habito delectu postèd complura fidelia inventa sunt Acta Martyrum, quæ in eadem Ecclesia, sicut in cæteris, publicè recitantur.

Ibid. us sup.

Sic Baronius, qui cum ibidem Acta SS. Martyrum Traci, Probi, & Andronici retulisset; ista demùm adnotaverat. Hac autem ipsa Acta Metaphrastes, quod prolixiora fortassè sint visa, redacta in compendium edidit, magno præjudicio Ecclesiastica antiquitatis, nec sine aliquo dispendio veritatis. At licèt fufiora videantur, jucundum tamen illa ipsa audire Martyrum verba, à Notariis tunc fideliter scripta, quæ postèd à Fidelibus pacis tempore magno redempta pretio sunt, Et exscripta: gratiora quidem hæc, Et clariora, aliis quibusdam licet veris, pigmentis tamen eloquentiæ circumlinitis. Etenim omne, quod fucatum est, suspectam redditur; Et veram non semper creditur, quod magna artis industria concinnatur; contenta namque nitore suo veritatis pura simplicitas, eò pulchrior, quò incaltior rectè sentientibus esse solet. Sic igitur, ex omnibus

bus memoria commendatis Actis Martyrum, illa fideliora, atque in omnibus magis integrā (quod sæpè dicere solemus) esse noscuntur, quæ à Fidei hostibus scripta, & in publica relata sunt Proconsulum monumenta. Adeò namque execrandum erat, in publicis tabulis falsum quid scribere, vel ex eis aliter, ac scripta essent recitare; ut hoc ipsum crimen primo capite Legis Majestatis (ut Ulpianus tradit) includeretur. Ac proinde, quæ sic scripta ab illis, & exscripta à nostris veneranda prodit antiquitas; post tot naufragia Scripturarum, facie pura, sincera, & decora, sunt eadem cupide à veritatis cultoribus amplectenda, atque avidius osculanda.

L. 2 ff. ad Leg.
Jul. Majest.

Et inferiùs, de præfatis SS. Traci, Probi, & Andronici Actis à se relatis loquens: *Vides Lector*, (inquit) & in his consilium nostrum, ut ex multiplicibus Actis Sanctorum Martyrum, illa ferè solùm hic describamus Proconsularia, quæ omnium fidelissima esse noscuntur: non quod reliqua improbemus; sed ut ex iis, quæ ex publicis accepta tabulis, sincera, ac pura, omnique fide dignissima esse sciantur; reliquorum omnium Martyrum res gestas, quæ perierunt, vel corruptæ, atque aliter depravatae sunt, in horum imagine contempleris. Hucusque Baronius.

CAPUT VII.

Ex eo, quod Acta Martyrum à Gentilibus, atque Hæreticis corrupta dicantur; præcipiti judicio falsa passim pro libito judicari.

VERUM ex hac, licet justa, admodum tamen severa, tanti Scriptoris in SS. Martyrum Acta censura, cum plus æquo ipsis Actis detrahendi animum moderni Pseudo-Censores sumpserint: idè cursim prætereunda illa ipsa nobis minimè visa est; quinimò serius ponderanda, ut, an in ea excefferit Baronius, agnoscat; vel ex his, quæ idem protulit, præter illa, quæ verè intendit, deteriora plura Pseudo-Censores iidem eduxisse censendi sint.

Et in primis certè explodendum est Pseudo-Censorum hu-

hujusmodi commune quoddam, ac universale iudicium; quò passim pro libito, ubi forte inter legendum aliquid occurrerit, quod vel intelligere ipsi nesciant, vel aliqua alia quavis ratione illis haud placeat; Martyrum Acta conspuere, & tamquam vitata, & adulterina rejicere soleant, illi dumtaxat principio, fundamentove innixi, quod Acta ipsa à Gentilibus, atque Hæreticis corrupta fuerint. Quod enim de Martyrum Actis, indistinctè accidisse unus Gelasius tradidit, tamquam universale habentes, vel omnia fuisse depravata censeri volunt; vel saltè ex aliquorum certa contaminatione (quam omnes fortè fatentur), aliorum quoque certam corruptionem educere satagunt; vel tandem, ex incerto horum, illorumve Actorum corruptionis indicio; ista, & illa certò corrupta esse comprobare contendunt.

Quæ quidè iudicii absurdissima planè forma est. Quis enim rectè ratiocinari diceretur, si diceret: Homines, exempli gratia, Gentiles pluribus vitiis corruptos, sed præcipuè rapinis, ac furtis esse obnoxios; atque ex hoc educeret, vel Gentilium neminem hujus sceleris fuisse expertem; vel eorum potiore partem, eodem fuisse vitio foedatam? Vel tandem cum aliquem (quem nesciret) Ethnicum memorari audiret; statim de illo hoc iudicium proferret, vel saltè in suspicionem criminis hujus traderet? Non enim quod universaliter enunciatur, ob multos, statim omnes comprehendere intelligitur; nec quod de multis in hisce rebus contingentibus prædicatur, de singulis pariter accipiendum est; multòque minùs, quod indistinctè dicitur, & neque multos, neque paucos exprimit, vel de pluribus, vel de paucis asseri potest, ac longè minùs singulis prò libito aptari debet. Audi Augustinum de ipsa Dei Ecclesia disserentem. *Nemo vos fallat Fratres, (inquit) si non vultis falli, & vultis amare Fratres, scitote omnem professionem in Ecclesia habere fictos; non dixi omnem hominem esse fictum, sed omnem professionem habere fictas personas. Sunt Christiani mali, sed sunt & boni. Quasi plures malos vides, quia palea sunt, & te ad grana pervenire non permittunt. Sunt ibi, & grana, accede, tenta, excute, adhibe oris iudicium.*

D. Aug. in Psal.
99. pag. 403.

Et

Et certè nullum planè differtorem Scriptorem legimus, licèt rigidè admodum Martyrum Acta cribrantem, qui àserere auderet, quod (proh dolor!) ipsimet haud semel audivimus; illa, nempè, omnia vitiata esse, quod Gentiles, & Hæretici ipsa corruperint; ideòque iis minimè credendum. Si enim, ex hoc id educere liceret, id ipsum sanè de sacris Litteris asserendum: corrupta, nempè omnia sacra esse Volumina, quod Hæretici ea olim corrumpere contenderint; & sic Lucae Evangelio minimè acquiescendum esset, quod illud (Epiphanio, Ireneo, & Tertulliano testibus) Marcionitæ corruperint, ac mutilaverint: sic liber Job rejiciendus, ob appendicem in Græcis Codicibus ei appositam, & ab Ecclesia rejectam: sic Threni Jeremiæ non admittendi, ob præfatiunculam illis præfixam, & ab Ecclesia expunctam; & sic demùm de aliis pluribus. Sed quis, quæso hujusmodi ratiocinationis levitatem non irrideat? Certè Baronius ista non sensit, cum Sanctorum Acta à Gentilibus, & Hæreticis corrupta scripsit.

D. Epiphan.
Heres. 42.
D. Iren. lib. 3.
cap. 11.
Tertull. contra
Marcion. lib. 4

CAPUT VIII.

Arnobii testimonium expenditur, ac ex ipso Arnobio explicatur.

VALIDISSIMUM nihilominùs, ad Acta Martyrum deji-
cienda illud Arnobii, quod Baronius affert, testi-
monium, illis videtur; quod Dæmonum nempè
malevolentia, & consimilium ei hominum, in Christianis
scriptis interpolata quædam, eis addita fuerint, quò prò-
dentium tardarent fidem, & gestorum corrumperent au-
thoritatem. Quod quidem de Martyrum quibusdam Actis
dixisse Arnobium, ut ex ejus verbis apparere videtur, pu-
tavit Baronius ipse. Verùm si cùm Arnobius dicit: *Sed
Conscriptores nostri mendaciter ista prompserunt &c.* De Chri-
sto, atque ejus præconibus scripta hæc, quibus mendacii
notam Gentiles inurebant, loquebantur; (ut educitur ab
Arnobio ipso, sic scribente: *Imò quid hæc omnia, & ab ipso
cer-*

cernebant geri, & ab ejus præconibus &c.) Certum idcirco est Martyrum Acta ista non fuisse; hæc enim Christi gesta minimè comprehendebant. Insuper, quamvis dicat, & gesta Christi, & ejusdem præconum ea scripta continuisse, Martyrum tamen Acta intellexisse nequaquam censendus est; cum enim Præcones Christi, de quibus ipse loquitur, per Orbem totum missos asseveret; eos nonnisi duodecim Apostolos fuisse evidentissimè apparet. Omnes verò Martyres pro Christo quidem mortui perhibentur; sed licet eum confessi sint, non ideò tamen præconum illius nomen meruerunt. Aliud nempè est, & fuit pro Christo mori, aliud Christum prædicare. Apostoli omnes *Martyres* quidem fuerunt, sed non è contrà Martyres omnes, *Apostoli*. *Numquid omnes Apostoli?* clamat Paulus.

1. Corint. 12.

D. Hieronym. de
Scrip. Eccl. in
Luc. Evang.

Quæ idcirco Arnobius dicit, in Christianorum scriptis, de Christo, ejusque præconibus signanter agentibus, malevolentia Dæmonum, eisque similibus hominum, falsa irrepisse: Acta Martyrum comprehendere nullatenus existimandum est; sed apocrypha potiùs quædam scripta alia, uti illa, quorum Hieronymus his verbis meminit, cum ipsa rejicit. *Periodos Pauli, & Tecla, & totam baptizati Leonis fabulam, inter apocryphas Scripturas computamus. Quale enim est, ut individuus Comes Apostoli, inter cæteras ejus res, hoc solum ignoraverit? Sed & Tertullianus vicinus eorum temporum refert, Presbyterum quemdam in Asia amatorem Apostoli Pauli, convictum à Joanne, quod Auctor esset libri, & confessum se hoc Pauli amore fecisse, & ob id loco excidisse; vel alia his similia, quæ ad Apostolos, ac Christum dumtaxat, non verò ad Martyres pertinerent, quæ, nempè in suo Canone Gelasius recenset, eaque ab Hæreticis composita scribit; cujusmodi sunt. Actus nomine Andrea Apostoli. Actus nomine Philippi Apostoli. Actus nomine Petri Apostoli. Actus nomine Thoma Apostoli. Evangelium nomine Thaddæi; & hujusmodi, de quibus antè Gelasium, etiam Leo Papa ad Turibium Asturiensem Episcopum. Apocryphæ autem Scripturæ (inquit), quæ sub nominibus Apostolorum multarum habent seminarium falsitatum; non solum interdiciendæ, sed etiam penitus auferendæ sunt, atque ignibus concremandæ.*

D. Leo Epist.
Decret. Epist.
93. cap. 15.
pag. 167.

Sed

Sed posito etiam quod Arnobius cuncta Christianorum scripta comprehendere voluerit ; cum tacitam tamen Gentilium objectionem , quâ falsitatis scripta nostra redarguebant , propulsare voluit , non omne , quod Censores hodierni contendunt , sed minimum aliquid concessit , quod pluribus etiam deindè , validissimisque rationibus , & argumentis evertere studuit . Id totum , ex ejusdemmet verbis perspicuum apparet , quibus Christianæ Historiæ veritatem tuetur .

An unquam dicemus (inquit) illius temporis (quò videlicet Christus inter homines conversatus est) homines , usque adeò fuisse vanos , mendaces , stolidos , brutos , ut quæ numquam viderant , vidisse se fingerent ? & quæ facta omninò non erant , falsis proderent testimoniis , aut puerili assertione firmarent ? Cumque possent vobiscum & unanimiter vivere , & inoffensas ducere conjunctiones , gratuita susciperent odia , & execrabilis haberentur in nomine ? Quod si falsa , ut dicitis , Ibid. ut sup.

Historia illa rerum est ; undè tam brevi tempore totus mundus ista religione completus est ? Aut in unam coire , qui potuerunt mentem , gentes regionibus distita , ventis , Cælo , convexionibusque dimota ? Aseverationibus illecta sunt nudis , inducta in spes cassas , & in pericula capitis immittere se spontè , temeraria desperatione voluerunt ; cum nihil tale vidissent , quod Nota .

eas in hos cultus novitatis suæ possit excitare miraculo ? Imò quid hæc omnia , & ab ipso cernebant geri , & ab ejus præconibus , qui per orbem totum missi beneficia Patris , & munera sanandis animis , hominibusque portabant ; veritatis ipsius vita , & dederunt se Deo , nè in magnis posuere dispendiis membra vobis projicere , & viscera sua lanianda præbere . Nota .

Differtissimis his sermonibus certum est Arnobium nil aliud comprobare , ac ostendere connixum esse , nisi Christianæ historiæ veritatem ; tum ex eo , quod homines , qui Christi , ejusque præconum opera vidisse testati fuissent , adeò mendaces , stolidi , bruti , vani credendi non essent , ut quæ numquam viderant , se vidisse finxissent , & quæ facta omninò non erant , falsis testimoniis prodidissent , aut puerili assertione firmassent : cumque cum Gentilibus possent unanimiter vivere , & inoffensas ducere conjunctiones ; hac tantummodo de causa , gratuita susci-

O

pe-

pere odia , & execrabilis nominis haberi maluisse minimè sentiendum esset . Tum etiam , quod si falsa (ut Gentiles insimulabant) Christiana Historia fuisset , tam brevi tempore , mundus totus Christianam Religionem minimè complexus esset , nequè in unum coire potuissent gentes , regionibus distitæ , ventis , Coelo , convexionibusque dimotæ : quas asseverationibus illectas nudis , in spes cassas inductas , & in capitis pericula , se spontè temeraria desperatione immittere voluisse (cum nihil tale vidissent , quod eas in hos cultus novitatis suæ posset excitare miraculo) , existimandum non esset . Imò , è contrà , quia illa omnia , & à Christo , & ab ejus præconibus gesta conspexerant , qui per Orbem totum missi , beneficia Patris , & munera sanandis animis , hominibusque portaverant ; veritatis ipsius victæ , & se Deo dederant , nec in magnis dispendiis posuerant , ut membra sua projicerent , Gentilibusque lanianda præberent .

Post hæc opponit sibi Arnobius , quæ Gentiles passim Fidelibus objicere solebant ; Conscriptores , nempe , nostros , mendacitè , quæ in nostris narrabantur Historiis , prompsisse , atque exigua gesta , in immensum extulisse , angustasque res , ambitioso valdè præconio dilatasse . At falsò opposita statim obtundit , dicens : quod utinàm cuncta referri in scriptum potuissent , vel quæ à Christo gesta sunt , vel quæ ab ejus præconibus pari jure , & potentia terminata ; nam sic magis eos incredulos vis tanta virtutum reddidisset ; aut apprehendere locum fortassè potuissent ; quo videretur esse simillimum veri , & incrementa rebus apposita , & inditas scriptis , & commentariis falsitates . Verùm (subjungit) omnia minimè conscribi , aut in aures omnium pervenire potuerunt gesta , gentibus in ignotis , & usum litterarum nescientibus . Notandum est autèm , quod addit , nempe : quod si aliqua tamèn litteris , conscriptionibusque mandata fuissent , malevolentia Dæmonum , quorum cura , & studium fuisset , hanc interciperè veritatem , & consimilium his hominum interpolata quædam , & addita , partim mutata , atque detracta , verbis , litteris , syllabis , ut , & prudentium tardarent fidem , & gestorum corrumperent auctoritatem , (quibus bene esse non vult) ; numquam

quam tamèn futurum , ut ex illis testimoniis litterarum , Christus , qui fuisset , colligeretur : cujus in id solum dimissa essent causa , ut si ea esse vera , quæ fideles dicerent , constitisset , omnium confessione Christus ipse Deus monstraretur . Quod quidèm ab Arnobio dictum apparet , ex suppositione , & ut dici consuevit , Gentilibus datum , & non concessum , quod interpolata in Christianorum Historiis , & addita , vel mutata , atque detracta quædam fuissent , ut Ethnici calumniabantur ; non quod verè , ac palàm id factum concesserit .

Et revera , statim contra easdem Gentilium calumnias , quibus Historias nostras , tamquàm sic interpolatas insimulabant , subjungit . *Non creditis scriptis nostris ? & nos vestris non credimus . Falsa de Christo compingimus ? & vos de Diis vestris inania , & falsa jactatis . Nequè enim Cælo Deus aliquis lapsus est , aut suis res vestras commentatus est manibus , aut ratione consimili , nostris rebus , & religionibus derogavit . Ab hominibus hæc scripta ? Et illa sunt ab hominibus scripta , mortalibus edifferta sermonibus . Et quidquid dicere de nostris Conscriptoribus intenderitis , & de vestris hæc dicta paribus sumite , atque habetote momentis . Vultis vera esse , quæ in vestris comprehensa sunt scriptis ; & quæ in nostris consignata sunt litteris , confiteamini necesse est esse vera ; Falsitatis arguistis res nostras ? Et nos vestras arguimus falsitatis &c.* Hæc ille , qui quidèm dum aded acriter objectum à Gentilibus , nostris Scriptis refellere studet falsitatis crimen ; minimè concessisse , vel concedere voluisse cognoscitur eadem scripta nostra eà labe fuisse infecta ; sed ex suppositione tantùm , quod ex Dæmonum , malignorumque hominum iniquitate id factum fuisset , ea , quæ audisti , proposuisse . Quæ certè ad res Martyrum , illorumque Acta nullatenùs pertinere , omnibus perspicuum esse posse arbitramur .

Ibid. ut sup.



CAPUT IX.

Gelasii censura, quomodo intelligenda. Non omnia Martyrum Acta rejecta. Mos ea legendi.

QUOD in Gelasii Censura, dicitur, Sanctorum, videlicet, Martyrum Acta, singulari cautela legi minimè in S. Romana Ecclesia consuevisse: quia, & eorum, qui conscripserant nomina penitus ignorabantur: & ab infidelibus idiotis superflua, aut minùs apta, quam rei ordò voluisset, scripta esse putarentur; sicut cujusdam Quiriaci, & Julittæ, sicut Georgii, aliorumque hujusmodi passionès, quæ ab Hæreticis compositæ perhibebantur: minimè accipiendum est, ut adversarii contendunt. Ex hoc enim fas sibi esse existimant, ut Martyrum Acta quæque (vel quod eorum Auctores ignorentur; vel quod in eis superflua quædam, ac minùs apta, se animadvertisse, perspicaci, quo, ut sibi videntur, præ cæteris, pollent ingenio, putent, vel quod demùm ea ab Hæreticis, sicut illa Quiriaci, Julittæ, Georgii, aliorumque scripta censeant), simul omnia fuisse rejecta arbitrentur. Quæ quidè illatio, eò evidentiùs, eò securiùs falsitatis arguitur, quò magis ipsius Gelasii censuræ adversari cognoscitur. Si enim Sanctorum Acta hujusmodi, quibus superflua, ac minùs apta ab infidelibus addita fuerant, vel ab Hæreticis composita perhibebantur, nè levis subsannandi oriretur occasio, in Romana Ecclesia antè Gelasium, & Gelasii tempore non legebantur; necessariò hinc sequitur alia omnia; quæ non ab infidelibus idiotis conscripta, nec ab Hæreticis composita judicabantur, legi consuevisse. Exceptio siquidem firmat regulam in contrarium.

Quod verò reperirentur Acta Martyrum, quæ legebantur; nec universè omnia ea, quorum etiam Auctor ignoraretur, tum antè Gelasium, tum post, Romanam Ecclesiam rejecisse; manifestè apparet, tam ex Damaso, & Leone, qui Gelasium eundem in Apostolica Sede præceferunt, quàm ex Magno Gregorio, qui Gelasio eidem
suc-

successit . Et Damafus quidem Sanctum Martyrem Euty-
tychium , his carminibus , quæ etiam modò in Ecclesia
Sancti Sebastiani ad Catacumbas leguntur , prosequutus
est .

*Eutyebius Martyr crudelia iussa Tyranni ,
Carnificumque vias pariter tunc mille nocendi
Vincere quod potuit , monstravis gloria Christi .
Carceris inluviem sequitur nova pœna per artus .
Testarum fragmenta parant , ne somnus adiret ,
Bis seni transire dies , alimenta negantur ,
Mittitur in barathrum , Sanctus lavat omnia sanguis
Vulnera , quæ intulerat , mortis metuenda potestas .
Nec te soporifera turbant insomnia mentem
Ostendit latebra insonis , quæ membra teneret .
Quaritur , inventus , colitur , fovet , omnia præstat
Expressit Damafus meritum venerare sepulchrum .*

*Et inter ejus
Opera Carm.
31.*

Et de Sancto Martyre Tarsicio , Sanctissimum eundem
Pontificem hæc cecinisse reperimus .

*Par meritum quicumque legis cognosce duorum .
Quis Damafus Rector titulos post præmia reddit .
Judæicus populus Stephanum meliora monentem
Perculerat saxi , tuleratque ex hoste trophæum .
Martyrium primus rapuit Levita fidelis .
Tarsicium Sanctum Christi Sacramenta gerentem ,
Cum malefona manus peteret vulgare prophæis .
Ipse animam potius voluit dimittere cæsus ,
Prodere quam canibus rabidis cœlestia membra .*

*Ibidem , ut sup.
Carm. 35. pag.
93.*

Pariter de Sancto Martyre Saturnino .

*Tempore , quo gladius secuit pia viscera Matris ,
Sanguine mutavit patriam , vitamque , genusque
Romanum Civem Sanctorum fecit origo .
Mira fides rerum , docuit post exitus ingens ,
Cum lacerat pia membra , fremit Gratianus ut hostis ,
Posteaquam fellis vomuit concepta venena ,
Cogere non potuit Christum te Sancte negare .
Ipse tuis precibus meruit confessus abire .
Supplicis hæc Damasi vox est , venerare sepulchrum
Solvete vota licet , castasque effundere preces
Sancti Saturnini tumulus , quia Martyris hic est .*

*Id. sup. Carm.
25. pag. 89.*

Et

Et demùm, ut alia data opera missa faciam: de Sancto Martyre Marcello.

*Ut sup. Carm.
20. p. ag. ead.*

*Veridicus Rector, lapsus quid crimina flere
Prædixit miseris, fuit omnibus Hostis amarus.
Hinc furor, hinc odium sequitur, discordia, lites,
Seditio, cades, solvantur fœdera pacis:
Crimen ob alterius, Christum, qui in pace negavit,
Finibus expulsus patriæ est, feritate Tyranni.
Hæc breviter Damasus voluit comperta referre,
Marcelli, ut populus meritum cognoscere possit.*

Qua igitur ratione Damasus hæc Marcelli, & alia Martyrum, quæ memorat gesta, si in universum Sancta Romana Ecclesia Acta Martyrum rejecisset, populo proponere potuisset? Si enim censura illa Gelasii, quam perperam Adversarii interpretantur, omnia Martyrum Acta comprehendisset; quo pacto, secundum antiquam ejusdem Romanæ Ecclesiæ consuetudinem, non legi Gelasius ipse asserere potuisset, dum certè non ignoraverit, quæ Damasus centum ante annos conscripserat, sed & perpetuis lapideis monumentis mandaverat, ac fidelibus cunctis legenda proposuerat?

Post Gelasium, habito delectu, complura fidelia habita fuisse Martyrum Acta, quæ in eadem Romana Ecclesia, sicut, & in cæteris publicè recitarentur, putat Baronius; cui pariter in universum in Gelasii censura cuncta Martyrum Acta comprehensa visa sunt. Verùm antè Gelasium recepta fuisse in eadem Romana Ecclesia Acta Martyrum, præter Damasum, etiam Homiliæ indicant Leonis primi, in quibus, quæ de iisdem Martyribus dicuntur, non aliundè procul dubio, quam ab eorum Actis, licet horum Auctores ignorarentur, accepta noscuntur. Homiliam siquidè de Martyre Vincentio, licèt nonnulli Augustino potiùs, quam illi adscribant, alteram tamen Laurentii ab eo fuisse prolatam, nullus est, qui rationabiliter dubitet.

Gelasio verò, è vivis sublato, Magnus Gregorius, undè accipere potuit, nisi à Martyrum Actis, in Romana Ecclesia servatis, quæ in suis sæpè Homiliis recitavit? Undè profectò habuit, quod de Martyribus Nereo, & Achilleo di-

dixit. Quod hi, nimirum, florentem mundanae mentis de-
spectu calcaverint; quod illorum aëvo vita longa esset,
salus continua, in rebus opulentia, in propagine foecun-
ditas, in diuturna pace tranquillitas; nisi hæc eum antiqua,
& recepta ipsorum Martyrum Acta docuissent?

Neque huic obstat, quod ad Eulogium Alexandrinum
Episcopum, qui cunctorum Martyrum gesta, quæ Con-
stantini aëvo, ab Eusebio Cæsariensi conscripta fuerant, à
Gregorio petierat, Gregorius ipse his verbis scripsit. *Hæc*
(inquit) *neque si collecta non sint, neque si sint, autè vestra*
beatitudinis scripta cognovi. Ago ergò gratias, quia sanctissi-
mæ vestrae doctrinæ scriptis eruditus, cæpi scire, quod nescie-
bam. Præter illa enim, quæ in ejusdem Eusebii Libris, de ge-
stis Sanctorum Martyrum continentur, nulla in Archivo hujus
nostræ Ecclesiæ, vel in Romanæ Urbis Bibliothecis esse cognovi,
ni si pauca quedam in unius Codicis volumine collecta. Nos
autem penè omnium Martyrum distinctis per dies singulos pas-
tionibus, collecta in uno Codice nomina habemus, atque quoti-
dianis diebus, in eorum veneratione Missarum solemnior agimus.
Non tamen in eodem volumine quis, qualiter sit passus, indi-
catur, sed tantummodò nomen, locus, & dies passionis ponitur.
Undè fit, ut multi ex diversis terris, atque Provinciis, per
dies, ut prædixi, singulos cognoscantur Martyrio coronati.
Sed hæc habere vos beatissimos credimus. Ea verò, quæ tran-
smitti voluistis, quærentes quidem non invenimus, sed adhuc
non inveniētes quarimus, & si potuerint inveniri, transmitt-
temus. Quæ Gregorii verba, licet fortè ostenderent, quod
per pauca fuerint Sanctorum Martyrum Acta, quæ in Ro-
manæ Ecclesiæ Archivo, ac Bibliothecis asservarentur;
tamen illud etiam magis demonstrant, quod proposuimus,
videlicet, haud sic cuncta Sanctorum Martyrum Acta, ex
Gelasii censura fuisse in Romana Ecclesiæ rejecta, ut eorum
nonnulla non superfuerint. Pauca autem ea dixisse Grego-
rium censemus, non tam quod reverà pauca extiterint;
sed ex comparatione dumtaxat omnium Martyrum, quo-
rum nomina, locus, & passionis dies solum in altero Co-
dice adnotabantur,

Sed magis perspicuum redditur Martyrum Acta
(quamvis inter ea nonnulla fortè corrupta irrepererint)

ta-

D. Greg. Homil.
28.

D. Greg. Registr.
lib. 7. Epist.
26. pag. 226.
tom. 4.

D. Greg. Homil.
in Evang.
tom. 3.

Nota:

tamen in Romana Ecclesia servata fuisse, ex his, quæ Gregorius ipse in Homilia tertia ad populum, in Basilica Sanctæ Felicitatis, die natalis ejus habita, dixit. *Ad quam rem nobis idoneè confirmandam* (ejus sunt verba) *adeſt B. Felicitas, cujus hodiè natalia celebramus, quæ credendo extitit ancilla Cbristi, & prædicando facta est Mater Cbristi. Septem quippe filios, sicut in gestis ejus emendatioribus legitur, sic post se timuit vivos in carne relinquere, sicut carnales parentes solent metuere, nè mortuos præmittant. In persecutionis enim labore deprehensa, filiorum corda in amore supernæ Patriæ prædicando roboravit. Et parturivit &c.* Inferre autem, ex his, & aliis necesse est procul dubio, quod legere in Ecclesia licebat, quæ Damaso, Leoni, ac Gregorio licuit prædicare, vel scribere; nam si id unum, ob quod legere Acta Martyrum à Gelasio inhibitum est, dumtaxat extitit, quod Acta ipsa omnia à Gentilibus, & Hæreticis corrupta fuissent; eadem ratione, ob quam ea legenda non erant, nec erant etiam prædicanda, nec marmorì cælatura tradenda. At in verbis Gregorii, undè erubescat, ac confundatur, in super abundè habet hodiernorum Pseudo-Censorum licentia; dum enim audit emendatiora illum Acta memorare; procul dubio fateri cogetur, antiquos, tam solidos, ac stupidos non fuisse, ut passim sine delectu Acta Martyrum reciperent; adeò ut quæ, inter alia, selecta nobis tradidere, immoderata recenti censura egere, ut mendis expurgentur, putanda sint.

Apud Baron. in
præfat. ad
Martyrol.
cap. 2.

Et Avingb.
Rom. Subter.
lib. 1. cap. 30.

Coeterum Acta Martyrum, in Ecclesiis legi consuevissent, ab earumque more Romanam pariter post Gelasium, & Gregorium non discrepasse, educi posse videtur à scripta ad Carolum Magnum, ab Hadriano Papa Epistola, in qua: *Vita Patrum* (inquit) *sine probabilibus Auctoribus, minime in Ecclesia legantur: nam ab Orthodoxis titulata suscipiuntur, & legantur. Magis autem Passiones Sanctorum Martyrum, Sancti Canones censuerunt, ut liceat eas etiam in Ecclesia legi, cum anniversarii dies eorum celebrantur &c.* Quibus verbis, cum ab aliarum (ut innuimus) Ecclesiarum consuetudine, Romanam discrepasse haud dicat: facile intelligere est, & illam pariter, juxtà *Sanctorum Canonum Decreta*, eundem morem servasse. *In Ecclesia autem Africa-*

na

na (inquit Baronius) in sacris conventibus posse legi Acta Martyrum decretum est in Concilio Chartaginensi , celebrato post Consulatum Stiliconis , anno Domini quadringentesimo primo , ut habet ejus Canon 13. bis verbis . Liceat etiam legi Passiones Martyrum , cum anniversarii dies eorum celebrantur . Sic Canon . Et post multa subjungit : In Ecclesia Gallicana eandem viguisse de legendis Actis Sanctorum Martyrum in Ecclesia consuetudinem , satis significant ea , quæ Gregorius Turonensis lib. de Glor. Martyr. cap. 86. testatur his verbis : Dies Passionis erat Polycarpi Martyris magni , & in Ricomagensi vico Civitatis Arverna ejus solemnia celebrabantur . Lecta igitur Passione , cum reliquis Lectionibus , quas Canon sacerdotalis invenit &c. Quæ omnia evidentissimè ostendunt universalem prorsus usum in Ecclesiis sacra Martyrum Acta legendi ; nec aded ea cuncta existimata esse corrupta , ut ex illis plura sincera , quæ legerentur , æstimata non sint , eoque sinceriora , quod præ aliis , severissima censura , ab Ecclesiis selecta .

Ibid. ut sup.
cap. 2.

Ibid. ut sup.

Demùm haud prætereundum , quod de hac Gelasii in Acta Martyrum censura nonnulli in Notis animadvertere , ad ea verba : *Item gesta* , ex quibus in Acta ipsa , Canon incipit ; nempe hinc usque ad finem capituli , omnia abesse à plerisque vetustis Gratiani Codicibus ; quod etiam Archidiaconus adnotavit . Esse tamen ejusdem Gelasii verba , usque ad vers. *Cæterum , qui libri* , & apud Burchardum , & Ivonem , proximè post superiora , referri , observavit . De Gelasiano verò hoc Canone , quia non semel pluribus alibi egimus , in præsens ista satis sint dicta .

Decret. part. 1.
dist. 15. cap. 3.
C. Sancta Rom.



P

CA-

CAPUT X.

Acta Martyrum rejicienda non sunt, quod ab Anonymis conscripta fuerint. Ea à Gentilibus, & Hæreticis corrupta, haud satis à Baronio probari. Acta potiùs Apocrypha, quam sincera periisse probabilius credendum.

*Bellar. de Verb.
Dei lib. 1. cap.
20. pag. 59.*

IN præfata autem Gelasii constitutione, ut vidimus, non modò cuncta Acta Martyrum, ex eo improbata existimantur, quod, & ab infidelibus corrupta, & ab Hæreticis conscripta putarentur; sed etiam, quod illorum Conscriptorum, & Auctorum nomina penitùs ignorarentur. Verùm nomina Scriptorum ignorasse, minimè sat esse censet Bellarminus, ut scripta aliqua inter Apocrypha recenseantur. Sic enim dicit: *Quod autem Glossa in Canone distinct. 15., dicit apocryphos vocari eos libros, quorum Auctor ignoratur; non est probabile: nam tunc multi libri sacri essent apocryphi, ut Liber Judicum, Ruth, Job, primus Machabæorum, & permulti alii, quorum Auctores ignorantur; quod tamen abhorret ab usu loquendi Ecclesiæ. Quis enim umquam audivit Librum Canonicum, esse apocryphum? Sic ille.*

*Baron. de Mar-
tyrol. cap. 3.*

Ut prosequamur interim, quæ ad corruptionem eorundem Actorum SS. Martyrum pertinent; postquam Baronius, ex Gelasii censura in Ecclesia Romana ea penitùs non legi, existimavit, quod adeò collapsa, deperdita, ac depravata fuissent, ut fidelibus haud proponenda essent; nihilominùs, neque ex his, quæ Gelasius statuit, neque ex illis, quæ Arnobius (ut suprà vidimus) monumentis tradidit, in eam tamèn sententiam se ritè descendere posse faretur, ut eadem Acta, vel omninò esse sublata, vel ab Hæreticis penitùs adulterata credat. *Romæ siquidè (inquit) Catholicis semper vixere Pontifices, nec alterius sectæ illie aliquandò sedit Episcopus, Quod, si vel sub Constantio Augusto Ariano, vel sub Odoacre Herulo, Theodorico, aliisque Gothorum Regibus itidem Arianis, Romana Ecclesia negotium*

fa-

factum est: non tamen fuit hujusmodi, ut illi Sanctorum memoriis vim inferrent (de Sanctis enim, eorumque cultu cum Catholicis sentiebant), aded ut nec cum Urbs obsideretur, his, quæ foris extrâ mania erant Basilicis, irrogarent injuriam: nec Urbe capta in eas, quæ intus erant, more Barbarorum sævirent, prophanarent, vel ad sua sacra peragenda sibi vendicarent: sed samquàm sacra septa, atquè asyla divinitus instituta, ab illis fuerint existimata: aded ut, & iis etiàm, (licet hostes haberentur) qui ad ea confugissent, pepercerint. Sunt de his fideles testes Scriptores illorum temporum, Orosius lib. 7. Augustinus de Civitate Dei, & Procopius de bello Gotbico. Unam illam, quam sub Gotbis Regibus Ariani sibi vendicarunt Ecclesiam, dictam S. Agarba in Suburra, vix credi potest, quam sumptuose, ac piè, licèt impii ornaverint, liberalitate Gotbi hominis Ricimeri V. C. ut suo loco pluribus in Notationibus dicemus inferius.

Istà Baronius, qui sic eruditissimè disserens, id, quod proposuimus, comprobare videtur; aded, nempe, ab Hæreticis ingentem Actorum Martyrum adulterationem factam esse nequivisse; ut propterea Gelasius eorum omnium Lectionem in Ecclesia Romana penitus interdictam significare, apposito Canone, voluerit. Quod igitur ab Hæreticis nequaquam factum ipse comperit, (quod tamen, Gelasii auctoritate commotus, factum esse abique dubio censuit), qua ratione effici potuerit, sapiens investigator inquirens, subjungit. *Ad alios potius tanta est referenda clades: quam quidè non aliundè manasse credimus, quam ex injustissimis, atquè sævissimis illis Diocletiani Imperatoris Edictis, quibus omnes Christianæ Religionis Codices, incendio damnati sunt. Meminit ejusmodi feralis sanctionis Eusebius lib. 8. cap. 2. & 3. Quando, inquit, divinas, & Sanctas Scripturas medio foro in rogam impositas oculis nostris aspeximus. De eodem Edicto plura habet Arnobius, Optatus, & S. Augustinus, quoties agit de Schismate Donatistarum, occasione traditionis Sacrorum Librorum conflato: nosque de eodem pluribus inferius in Notationibus agimus. Tunc temporis, in tanto Christianarum Scripturarum naufragio, factam esse lacrymabilem illam Actorum Martyrum jacturam, nulla est penès nos dubitatio; tuncque sublata illa nobilissima rerum gestarum monu-*

Ibid. ut sup.

menta tanto labore collecta, tot cognitoribus comprobata, ac tanto denique studio custodita: vixque, ex tam immenso naufragio perpaucas tabulas remansisse, putamus: tabulas, inquam, quoniam haud integra, atque perfecta, & omnibus numeris absoluta illa esse putamus, quae titulo *Notariorum Romanae Ecclesiae Acta Martyrum*, à quibusdam edita habeantur: cum, si vel ad exactam censuram rerum, ac temporum eas adducas, vix perpaucas reperias, quae aliqua saltem ex parte non arguantur erroris, ut perinde sit aliqua ex his reperiri, quae emendatione non indigeant, ut post vindemiam esse solet racemus unus, vel aliter; & sicut (quod est apud *Isaiam cap. 7.*) excussio *Olea duorum*, vel trium olivarum in summitate rami, sive quatuor, vel quinque in cacuminibus ejus.

Ibid. ut sup.

Et post pauca. *Objiciet fortasse prudens Lector: Quidnam causa fuit, ut cum Edicto Diocletiani Christianorum libri damnati sunt igni, Sacrae Scripturae Codices, utriusque Testamenti volumina remanserit illibata; ea etenim integra, atque sincera, ut Patres nostri olim ante Diocletiani tempora, possidemus. Ad haec perfacilis est responsio, si utriusque Scripturae diversa ratio attendatur: Sacra enim volumina, non tantum penes unam, vel alteram erant Ecclesiam, sed praeterquam plurima illa, quae privato usui Episcoporum, Presbyterorum, ceterorumque Ministrorum, vel aliorum ex populo, inserviebant; apud cunctas Orbis Ecclesias, ob necessitatem Sacrarum functionum custodiri solita certum est. Esse enim consueverant in Ecclesia duo Secretaria, à dextro, sinistroque latere apsidis posita, in quorum altero Sacra Eucharistia, in altero Divinae Scripturae sacri codices aservabantur &c. Non sic quidem de ceteris libris, licet Ecclesiasticis, licet pernecessariis; nam immensam raritatem illorum fuisse constat. Exemplo sit vulgatus ille per Orbem liber Eusebii Caesariensis, de temporibus, unicus eo argumento conscriptus, quem Alipius vir eruditus Episcopus Tagastensis in Africa non inventum, à Paulino apud Nolam commorante, quaesivit; qui cum non tantum apud se non haberet, sed nec nomen Auctoris agnosceret (appellat enim eum Eusebium Episcopum Constantinopolitanum), Romae quaesitum, ac tandem apud Domnionem inventam, ad eum misit, ut constat ex Epistola ejusdem tunc ad Alipium scripta, apud *Aug. Epistol. 35.* His itaque in exemplum, de raritate aliorum Librorum addu-*

His,

his, hæc inferas. Si liber ad supplicanda rerum sacrarum tempora, quæ in Divina Scriptura continentur, unicus, atque adeò Ecclesie pernecessarius, eaque de causa à S. Hieronymo latinitate donatus, tanto labore quaesitus, vix tandem repertus fuit; quid de scriptis aliis dicendum, quæ alicujus Ecclesie viderentur esse peculiaris, quæ nec uno, vel parvo Codice continebantur, sed permultis, iisdemque pergrandibus, ut par est credere (Acta enim unius tantum Martyris, multas impleffe chartas, si accuratè scripta essent, certissimum est) quorum, nec facilis esset describendi facultas, ut videmus accidere in his, quæ in Archivis summa diligentia aservantur; itemque impensa nimia deterrerent, & labor immensus averteret? Quid ergò mirum, si talium perpauca, quæ erant exemplaria, tanto terremoto Orbis Christiani fuerint obruta, universalique incendio concremata; ità ut ex busta perpauca vix reliquia superfuerint? At quis numerare sufficet aliorum Ecclesiasticorum Librorum funera, qui licet ubique gentium sparsa (ut taceam de aliarum Ecclesiarum peculiaribus Actis Martyrum), tamen eadem sunt conflagatione consumpti? Hæc Baronius.

Verùm, tam insignis Scriptoris bona venia, hæc omnia, quæ affert, ostendunt quidem immensam Actorum Martyrum factam esse jacturam; sed nullatenus probant, vel ab Hæreticis, vel à Gentilibus Acta eadem corrupta fuisse; ità ut Gelasius constitutione sua, non Acta jam igne absumpta, sed alia potius, quæ existerent, sed vitiatà ab Hæreticis, vel Ethnicis damnare voluisse censendus sit.

At licet Arnobii auctoritas, ut ostendimus, ad rem non sit; minusque etiam ad illam Edictum Diocletiani pertineat; nihilominus aliqua Acta, tum ab Hæreticis, tum à Gentilibus corrupta fuisse, Gelasii constitutione commoti diffiteri non possumus. Qui enim, ut Baronius ipse dicit, plurium Apostolorum, ut Andreæ, Petri, Pauli, Thomæ, Joannis Acta confingere, vel corrumpere præsumperunt; nequaquam ergà Sanctorum Martyrum Acta modestiores fuisse putandi sunt; non adeò tamen, ut Sancta Romana Ecclesia ab omnibus, uti omninò corruptis, penitus abstinere consultius aliquandò putaverit, ut ipse existimavit; sed quod ea dumtaxat interdixerit, quæ à Gentilibus, aut

Ut sup. cap. 2.

idio-

idiotis conscripta putarentur, vel ab Hæreticis perhiberentur composita. Ab universis enim se minimè temperasse, quæ proposuimus, ex Damaso, Leone, & Gregorio perspicuè demonstrant.

Verùm, sicut post Gelasii Decretum, in quo signanter, quæ Hæretici de Apostolis Acta confixerant, prohibita fuere (licet ipsa, eò, præ cæteris, in pretio habita fuisse credendum sit; quò cæteris Sanctis, Apostoli ipsi præcellere agnoscebantur); Acta eadem de ipsis conficta, ac corruptè exarata, tanto persecuti sunt odio Fideles, ut penè cuncta perierint. Pari modò, post ejusdem Gelasii in Martyrum Acta Censuram, existimandum planè videtur, sic ab eis Fideles eisdem abhorruisse, ut cum adulterinis Apostolorum Actis, ipsa quoque interierint. Et id quidem, quòdam Romanam, aliasque Occidentales Ecclesias.

Ut sup. cap. 2.

Quò ad Orientales verò, extat Canon 63. Sextæ Synodo attributus; his verbis apud eundem Baronium conscriptus. *Quæ à veritatis hostibus falsò confictæ sunt Martyrum Historiæ, ut Dei Martyres ignominia afficerent, & quæ eas audituri essent, ad infidelitatem deducerent, in Ecclesia non publicari jubemus, sed eas igni tradi. Hæc Sancta Synodus: cujus auctoritate Græci Episcopi (inquit Baronius) exactiorem curam adhibere consueverunt, ut dum suas Ecclesias visitarent de Sanctorum Actis conscriptis subtilius inquirerent. Undè Theodorus Bals. eo in loco, hæc de Nicolao Muzalo Patriarcha testatur: Cum ille (inquit) vitam S. Parasceves, quæ in quodam Callistratia vico colebatur, à quodam vicano ineptè, ac indoctè, & Sancta Angelica vivendi ratione indignè compositam invenisset, eam igni mandari jussit: & Diacono illi Basílico mandavit Deo gratam, & acceptam ejus vitam conscribere. Hæc ille.*

Si autem fatemur perpauca, ex penè innumeris, Martyrum vera Acta remansisse, quod ea igni tradi Diocletianus imperaverit; & reluctans, licet, ac persæpè mortem potius oppetientibus Christianis, quam sacros Codices proderent, immensam nihilominus illorum cladem, ac jacturam factam fuisse. Cur non idem, de apocryphis, ac corruptis Actis censendum est, cum, & Canone ea Gelasius prohibuit, & antè Gelasium Leo Magnus, ac post, Sex-

Sexta Synodus ipsa igni tradi mandavit? Par certè non erat, nec Leoni, aut Sextæ Synodo, nec Gelasio, cum Diocletiano autoritas, nec eadem vi, ac robore, ut iste, ad sibi obtemperandum fideles cogere potuerunt. Tamen longius impar erat etiam animus in his, qui parere Diocletiano compellebantur, ab aliis, qui Leoni, Gelasio, & Sextæ Synodo spontè, fideliter, atque alacriter obtemperandum censuerunt. At de his dicendum etiam inferiùs.

Demùm, denuò notandum, quod licet Baronius, ex Gelasii censura Romanam Ecclesiam Martyrum Acta legere aliquandò non consuevisse putaverit; non ideò tamen omnia Martyrum Acta, tamquam non sincera improbase se minimè credidisse significavit. *Periisse funditus* (inquit) *numquam dixerimus, sed imminuta*. Quod idem pluribus locis confirmat.

Us sup. cap. 3.

C A P U T XI.

Martyrum Actorum sinceritati nihil officere, concinnè, ac eloquenter esse conscripta.

ALTERA Baronii in Acta Martyrum censura, qua asserit sibi gratiora esse Acta à Notariis fideliter conscripta, aliis quibusdam, licet veris, pigmentis tamen eloquentiæ circumlinitis; nam omne quod fucatum est, suspectum redditur, & verum non semper creditur, quod magna artis industria concinnatur; quod contenta nitore suo veritatis pura simplicitas, eò pulchrior, quò incultior; rectè sentientibus esse solet; hac, inquam, censura Pseudo-Censores similiter abutuntur, cum videlicet, pluribus Sanctorum Martyrum Actis detrahere sibi liberum esse contendunt, quod eloquentiæ pigmentis circumlinita, & fucata ipsa arbitrentur.

Verum id, quod ad dicendi rationem spectare dumtaxat cognoscitur, haud facile in falsitatis suspensionem traduci debere manifestum est: ex eo nimirum, quod una, simplexque veritas, æquè ab eloquenti Scriptore, ac à rudi, perspicuè narrari possit. Quid enim? Si Christi Do-

mi-

mini Evangelia, exempli gratia, à Cicerone, à Demostene, à Livio, & his similibus, qua pollebant, eloquentia conscripta fuissent; idè in suspicionem adulterationis, ex hoc tantum vocanda essent, vel respui ut falsa? Igitur commentitia, ac corrupta censenda erunt, quæ Ambrosius in Libro de Virginitibus refert de Sancta Agnete, aliisque, quod tanta eloquentiæ ubertate ea sit profecutus? *Ipsa vitæ præcepta* (dicebat Fabius), *etiamsi sint natura honesta, plus tamen ad formandas mentes valent, quoties pulchritudinem rerum, claritas orationis illuminat.* Non igitur censendum uni, ac soli historicae veritati eloquentiam obesse, quæ cæteris rebus admodum professe deprehenditur. *Haud ignoro* (inquit Vives) *satis esse Historiæ si sit vera; quæ, ut reliqua habeat omnia, si veritatem non habet, obtinere nomen suum non potest. Sed tamen jucunditas orationis desinet lectorem, ut res illas gestas velis cognoscere, neque id semel. Cui lectio una sufficit, vel Livii, vel Taciti, vel Thucydidis? Quis non auctores illos sapius sumit in manus; & sapius perlegit?* Fuisse igitur aliqua Sanctorum Acta industriè, ac eloquenter concinnata; quid quæso damni illis intulit, cum per sermonis jucunditatem, salva veritate, potiùs ad ea sæpiùs perlegenda, qui ipsa conscripsit, fideles Lectores allexit?

Tab. lib. 2. cap.
87.

Ludovic. Vives
lib. 2. de caus.
corrupt. art.

Certè contrà Cresconium Augustinus scribens, haud ferendam putavit injuriam, qua idem Grammaticus dicendi facultatem affecerat. Eloquentiam siquidem tamquam veritatis inimicam pronunciabat; cavendumque admonerat ab Augustino, quod ea præditus esset. *Ac primò illud* (inquit) *quod tibi ipse contrariùs eloquenter eloquentiam vituperare voluisti, tamquàm esset veritatis inimica, & patrona potiùs falsitatis, ut eo modo me, quasi eloquentem cavendum, atque fugiendum ostenderes imperitis. Si reverà tanta esset eloquentia mea, quantum mihi, quamvis accusatoriè tribuis: nonnè recitato Decreto Concilii Bagajensis, quo sicut ibi scriptum est: [Maximianum fidei annulum, veritatis adulterum, Ecclesiæ Matris inimicum, Datan, Chore, & Abiron ministrum, de pacis gremio sententiæ fulmen excussit.] Laudare eloquentiam cogereris? Porro si mihi materies illa proponeretur, quandò postremò dicere. [Licet viperci feminis nostros par-*
tus,

D. August. cont.
Cresc. lib. 4.
cap. 2. pag. 168
tom. 7.

22 *tas, venenati uteri alveus diu teneat, & concepti sceleris uda*
 22 *coagula, in aspidum membra tardo se calore vaporaverint; ta-*
 22 *men conceptum virus, evanescente umbraculo, occultari non*
 22 *potuit; Nam etsi sero, publicum facinus, & parricidium,*
 22 *suam fata scelerum vota pepererunt.] Quando me in hac verba*
exquirenda coarctarem? quando in exprimenda provolverem?
quando tanto impetu, tanto sonitu in odium noxiorum, lectoris,
vel auditoris animum concitarem? Num ideo hac, in quos
dicta sunt, minus veraciter dicta sunt? Num hac eloquen-
tia tanti Concilii fides minuitur, vel labefactatur autoritas?
nempe illud, quod visum est eloquentius, eo potissimum electum
est, quod omnes esse suum vellent, quo uno trecentorum, &
decem ora tacentia personarent. Ecce eloquentiam, quam vi-
tuperasti, quam velut seditiosam, & Græco etiam nomine ma-
lissosè artificiosam, detestandam, vitandamque monuisti, tan-
tum permulsi tot Episcopos tuos, ut in plenario Concilio suo,
vollet suam quisque proferre sententiam, sed unam, quæ ab uno
dici disertius, ornatusque potuit, eam cuncti facerent suam.
Liceat igitur nobis sine invidia, non usquequaque impolitè con-
trà errores hominum disputare, si licuit tot, ac tantis Epi-
scopis vestris ipsos homines, tam disertè, ornatèque damnare.
Sic Augustinus pro eloquentia veritatem defendente, ac
tuate. Nunc videnda, quæ scripsit pro eloquentia vera
narrante; & primum, quid de falso docuit.

22 *Ipsum falsum (inquit) definitur cum dicimus, falsum esse*
 22 *significationem rei, non ità se habentis, ut significatur, siue*
 22 *aliquo alio modo. Quæ definitio vera est, quamvis falsum ve-*
 22 *rum esse non possit. Possumus etiam dividere, dicentes, duo esse*
 22 *genera falsi. Unum eorum, quæ omnino esse non possunt: alte-*
 22 *rum eorum, quæ non sunt, quamvis esse possint. Nam qui di-*
 22 *cit, septem, & tria undecim esse, id dicit, quod omnino esse*
non potest: qui vero dicit Kalendis; verbi gratia Januarii pluiv-
se, tamen factum non sit, id tamen dicit, quod fieri potuit.
Definitio igitur, & divisio falsorum potest esse verissima, quam-
vis falsa ipsa utique vera non sint.

D. Aug. de Doct.
 Christi lib. 2.
 cap. 35. pag.
 14 tom. 3.

Secundum hanc, igitur Augustini doctrinam, Censores
 nostros interrogandos censemus, in quorum alterutro falsi
 genere Acta Martyrum constituent, eloquenter, ac disertè
 concinnata? Si in primo, ità ut ea dicant tam falsa, ut
 Q. omni-

omninò aliter esse non possint; ab innumeris Historiis, tam Ecclesiasticis, quam prophanis affabrè conscriptis, quæ licèt hujusmodi sint, nihilominùs veræ sunt, & ut veræ ab omnibus agnoscuntur, falsitatis ipsi coarguuntur. Si verò in altero, dicent quidèm, quod esse potuit; at (ut probi Historiarum Judicis est, qui vera non possibilia exquirat), pronunciare nullatenùs possunt, quod fuit. Potuit siquidem, qui disertè Acta Martyrum exaravit falsa conscribere, sicut pluissè potuit Kalendis Januarii; tamen, etiam potuit vera conscribere, uti verùm esse potuit, quod non pluit. A potentia siquidem ad Actum, juxtà Philosophum, non est illatio.

*Ibid. ut sup.
cap. 26.*

Sed ad rem meliùs, proferamus ipsius Augustini sententiam alteram. *Sunt etiam (inquit) quadam præcepta uberioris disputationis, quæ jam ELOQUENTIA nominatur, quæ nihilominùs vera sunt, quamvis possint etiam falsa persuaderi. Sed quia, & vera esse possunt, non est facultas ipsa culpabilis, sed ea malè utentium perversitas. Nam neque hoc ab hominibus institutum est, ut veritatis expressio conciliet auditorem, aut ut facillè, quod intendit, insinuet brevis, & aperta NARRATIO, & cætera hujusmodi observationes, quæ sive in falsis, sive in veris causis, vera sunt tamen, in quantum vel sciri, vel credi aliquid faciunt, aut ad expetendum, fugiendumque animum movent, & inventa potius, quod ità se habeant, quam ut ità se haberent, instituta.*

Quamvis ergò per eloquentiam, secundum Augustinum, ejusque præcepta, quæ vera sunt, possint etiam falsa persuaderi; tamen quia, & vera suaderi etiam possunt, non est facultas ipsa culpabilis, sed ea malè utentium perversitas. Idcirco, ex eò tantùm, quòd aliquid eloquentiæ ornamentis concinnatum est, non statim falsùm est, vel respuendum; nam id nil aliud esset, quam laudabilem disciplinam culpæ, cum scribentis crimen in eo dum taxat esset, quòd illa uteretur. Quà tamen cum quisque, vel benè, vel malè uti possit, priusquam tamquam mala, eloquentia, verborumque compositio damnetur; non eloquentia tantum, sed mala eloquentia, ac falsa promens, ac narrans perspicuè agnoscenda est. Alioquin, qui quempiam judicat, damnatque, in quo crimen non est, injustus cen-

condendus est ; & qui damnat , in quo crimen quidem esse , tamen , & non esse potest , temerarius ipse judicandus est ; eum de illo , ac contra illum sententiam pronunciet , cujus meritum inexploratum habet , & incompertum .

Objicient fortè , quod Martyrum pleraque Acta , sic conscripta , falsitatis aliundè convincantur , idè de cœteris ità exaratis meritò suspicandum , quod pariter falsa sint . Verum , qui hæc opponunt , si in primo falsi genere cuncta hujusmodi Acta constituunt , falsi procul dubio ipsi sunt ; si verò in altero , cum plura ex illis falsa esse possint , & non possint , idcirco universali sententia omnia pariter complectenda non erunt , neque ex sola tali suspitione , quæ falsa esse potest cum alia argumenta desint , damnanda sunt ea , quæ vera esse queunt . Quis enim umquam audivit , ex solis indicis , & ipsis incertis , vagis , ac universalibus , Judicem ritè captis damnare hominem posse ? Cuinam fas erit indistinctè , & semper occidere virum , exempli gratia , Maurorum habitu incedentem , etiamsi ex lege sancitum sit , ut impunè Mauri interfici possint ? Nonne persæpè , vel necessitate , vel alia de causa Christiani ipsi sic incedere compelluntur ; undè præcipiti zelo pro hoste Fratrem occidi contingeret ? Non ex universali igitur , & ea quidem ancipiti , ut vidimus , ratione , vel suspitione res damnandæ , ac judicandæ agnoscuntur ; sed in singulis aliud certè inquirendum , quod ritè damnandum perhibeatur .

Plùs autèm placuisse Baronio Acta Martyrum , sine eloquentiæ fuco conscripta , èd pulchriora (ut ei visa sunt) quò incultiora ; nil efficit , nilque probat , cum in ipsa scribendi imperitia , eadem falsa esse possint , quæ eloquentiam aliquandò culpabilem officiant ; uti , non in solo rerum corporearum nitore , atque pompa , sed etiam in ipsis sordibus luctuosis esse posse jactantiam , & èd periculosiorem , quò sub nomine servitutis Dei decipit , ritè observat Augustinus idem .

Demum , ut ostendatur , quam congruum sit æstimare nonnulla Martyrum Acta studiosè , ac disertè elaborata à Christianis fuisse , hæud addere hic piguit , quod sapièntissimè Augustinus ipse adnotavit . *Sicut enim , dicit , Ægyptii , non solùm Idola habebant , & onera gravia , quæ populus*
Q *Israel*

*D. Aug. de Servit.
Dom. in Mont.
cap. 12. tom. 4.*

*De Doct. Christ.
ut sup. cap. 40.
pag. 15.*

Israel detestaretur, & fugeret, sed etiam vasa, atque ornamenta de auro, & argento, & vestem, qua ille populus exiens de Ægypto sibi prorsus, tamquam ad usum meliorem clanculo vendicavit, non auctoritate propria, sed precepto Dei, ipsis Ægyptiis nescienter commodantibus ea, quibus non bene utebantur; sic doctrina omnes Gentilium, non solum simulata, & superstitiosa figmenta, gravesque sarcinas supervacanei laboris habent, qua unusquisque nostrum, duce Christo, de societate Gentilium exiens debet abominari, atque devitare: sed etiam liberales disciplinas, usui veritatis aptiores, & quedam morum precepta utilissima continent, deque ipso uno Deo colendo, nonnulla vera inveniuntur apud eos, quod eorum tamquam aurum, & argentum, quod non ipsi instituerunt, sed de quibusdam, quasi metallis Divina Providentia, qua ubique infusa est, eruunt, & quo perversè, atque injuriosè, ad obsequium Dæmonum abutuntur, cum ab eorum misera societate sese animo separat, debet ab eis auferre Christianus, ad usum istum predicandi Evangelii. Vestem quoque illorum, idest hominum quidem instituta, sed tamèn accomodata humanae societati, qua in hac vita carere non possumus, accipere, atque habere liceret in usum convertenda Christianum; nam quid alii fecerunt multi boni fideles nostri? Nonnè aspiciamus, quanto auro, & argento, & veste suffarcinatus exierit de Ægypto Cyprianus Doctor suavissimus, & Martyr Beatissimus? Quanto Lactantius? Quanto Victorinus, Optatus, Hilarius; ut de vivis taceam, quando innumerabilis Græci? Quod prior ipse fidelissimus Dei famulus Moyses fecerat, de quo scriptum est, quod eruditus fuerat omni sapientia Ægyptiorum? Quibus omnibus viris superstitiosa gentium consuetudo; & maximè illis temporibus, cum Christi jugum decutiens Christianos persequeretur, disciplinas, quas utiles habebat, nunquam commodaret; si eas in usum anius Dei colendi, quod vanus Idolorum cultus excinderetur, conversum iri suspicaretur; sed dederunt aurum, & argentum, & vestem suam exeunti populo Dei de Ægypto, nescientes quemadmodum illa, qua dabant, in Christi obsequium redderentur.

Si igitur, secundum certissimam hanc Augustini doctrinam, quas utiles habuit disciplinas, persecutionum tempore superstitio, fidelibus commodavit; uti scripta Justiniani, Cypriani, Lactantii, Arnobii, & alia ostendunt;

cur

cur etiam inter illas, perpolitam, atque disertam Historias Martyrum conscribendi rationem minimè præstitisè censendum est? cui namque rationabili fundamento innixa Censura, Historias easdem, ex eo dumtaxat, quod ipsas eloquenter concinnatas repererit, respuere poterit? Vetitum forsàn Christianis fuit, Historias eleganter conscribere? Vel in sola Proconsularium Actorum rusticitate veritas stetit? Immo, quis ritè afabrè conscripta Acta MM. refellere poterit, cum inter Ecclesiasticos Scriptores (ut cœtera hujusmodi exempla, data opera missa faciamus), Hieronymus Poncium Diaconum recensendum existimaverit, ex eo tantum, quod Passionis S. Martyris Cypriani egregium volumen ediderit?

CAPUT XII.

Scriptio imperitiâ, nil veritati Actorum Martyrum officere posse. Oratoria Arti aliquid narranti, à veritatis finibus egredi minimè permissum.

QUÏ autem Acta Martyrum rejecerunt, quod eloquentiori, eo quem exoptassent, stylo conscripta essent: ii ipsi rursus alia, quæ inculto, ac rudi exarata legunt, pariter corrupta esse, contendunt; ipsaque simplicitatis dos, qua cum prima Acta careant, efficit, ut ab illis inter apocrypha recenseantur: tamquam grave quoddam crimen secundis objecta, eidem damnationis sententiæ ea reddit obnoxia.

Et quidè solidiori fundamento eo, cui altera, Censura hæc innixa videtur, dum, ex multotiès memorato Gelasii Decreto apparet, Acta Martyrum idè in Romana Ecclesia non legi consuevisse, quod non tam ab infidelibus, quam ab idiotis perhiberentur conscripta, in iisque superflua, aut minùs apta legerentur.

Sed eandem Censuram, in cuncta paritèr Christianorum scripta, ac dicta Gentiles adhibere consuevisse compertum est; quare apud Minucium Felicem ista habentur. *Quid, homines (sustinebitis enim me impetum susceptæ actionis libe-*

*Minuc. Felice lib.
Oſſerv. Biblicæ.
PP. to. 3. pag.
244.*

*liberius exercentem), homines, inquam, deplorata, illicita, ac desperata factionis grassari in Deos, non ingemiscendum est: qui de ultima fece collectis imperitioribus, & mulieribus credulis, sexus sui facilitate labentibus, plebem prophana conjurationis instituunt &c. Imperitos autem de ultima plebe collectos, ac mulierculas Christi præcones Christiana dogmata docere solitos fuisse insimulabant, quod rudes ipsos, & ignavos, nil nisi inepta, imperitis aliis tradere posse existimarent; prophana siquidem scientia inflati Ethnicorum Sapientes conspuere, ac irridere consuevisse, quæ nostri, vel voce prædicassent, vel scripto consignassent (ut mox videbitur) testatur Arnobius. Hinc celebris illa Juliani Apostatæ in Christianos, apud Gregorium Nazianzenum habetur contumelia. *Nostri sunt sermones, & nostrum Græcari, utpote quorum etiam sit Deos venerari. Vestra autem est infantia, & rusticitas; nec quidquam aliud, quam CREDE sapientiæ vestrae est.**

*Arnob. lib. 1. ad-
vers. Gentes.*

*D. Greg. Nazian.
Orat. 3. in Ju-
lian. pag. 97.*

Revocasse idcirco merito dicendi sunt insignem injuriam, à Gentilibus Christianis scriptis factam Pseudo-Censores nostri, cum eadem in universa Acta Martyrum proferunt, quæ in illa Ethnici jam protulerunt; ideòque non alia argumentandi vi eorundem libertas obtundenda cognoscitur, quàm ea, quæ veteres Patres usi sunt, ut ora malignantium obstruerent. Sed primum, ad eorundem Pseudo-Censorum nostrorum piam quamdam excusationem, quod tam facile in hoc id laudent, quod deinde in altero vituperare non erubescunt; illud afferamus, quod apud memoratum Minucium Felicem his verbis habetur. *Ut, qui rectam viam nescit, ubi, ut sit, in plures una diffunditur, quia viam nescit, hæret anxius, nec singulas audet eligere, nec universas probare; sic cui non est veri stabile judicium, prout infida suspicio spargitur, ita ejus dubia opinio dissipatur. Nul- lum itaque miraculum, si identidem in contrariis, ac repugnanti- bus jactetur æstu, & fluctuetur. Sed ad rem veniamus; igitur inter alios ista scribit Arnobius.*

U. sup. pag. 245.

U. sup. pag. 439.

Sed ab indoctis hominibus, & rudibus scripta sunt, (objecta à Gentilibus recitat) & idcirco non sunt facili auditione credenda. Vide, ne magis hæc fortior causa sit, cur illa sint nullis coinquinata mendaciis, mente simplici prodita, & ignara
le-

lenociniis ampliore. Trivialis, & sordidus sermo est. Numquam enim veritas sectata est fucum, nec quod exploratum, & certum est, circumduci se patitur orationis per ambitum longiorem. Collectiones, enthymemata, definitiones, omniaque illa ornamenta, quibus fides quaeritur assertionis, suspicantes adjuvant, non veritatis lineamenta demonstrant. Cæterum, qui scit, quod sit illud, quod dicitur, nec definit, nec colligit, neque alia sectatur artificia verborum, quibus capi consueti sunt audientes, & ad consensum rei circumscriptionis necessitate traduci. Barbarismis, solacismis obstrata sunt, inquit, res vesera, & vitiorum deformitate polluta. Puerilis asans, atque angusti pectoris reprehensio: quasi admitteremus, ut vera sit, abjiciamus ex usibus nostris quorundam fructuum genera, quod cum spinis nascuntur, & purgamentis alis, quæ, nec alere nos possunt, nec tamen impediunt perfrui nos eo, quod principaliter antecellit, & saluberrimum nobis voluit esse natura. Quid enim officit quæso, aut quam præstat intellectui tarditatem, utrumne quid grave, an hirsuta cum asperitate promatur? inflectatur quod acui, an quatiatur, quod oportebat inflecti? aut qui animus id quod dicitur, verum est, si in numero peccetur, aut casu, propositione, participio, conjunctione? Pompa ista sermonis, & oratio missa per regulas, concionibus, litibus, foro, judiciisque servetur, deturque illis imò, qui voluptatum delinimenta querentes, omne suum studium verborum in lumina contulerunt. Cum de rebus agitur, ab ostentatione submotis, quid dicatur spectandum est, non quali cum amantate dicatur, nec quid aures commulceat, sed quas afferat audientibus utilitates; maxime cum sciamus etiam quosdam sapientia deditos, non tantum abjecisse sermonis cultum; verum etiam cum possent ornatiùs, atque uberius elinqui, trivialem studio humilitatem secutos, ne corrumpere, scilicet gravitatis rigorem, & sophistica potius ostentatione jactarent. Enim verò dissoluti est pectoris in rebus seriis querere voluptatem: & cum tibi sit ratio cum male se habentibus, atque agris, sonos auribus infundere dulciores; non medicinam vulneribus admoveere.

Lactantius pariter in eandem sententiam scribens, ut Divinarum Litterarum authoritatem defenderet, suæ eloquentiæ robur nobis commodare videtur, ut Acta Martyrum incultè exarata, a Pseudo-Censorum detractationibus vin-

Lact. Instit. Divin.
lib. 5. c. 2.
pag. 590. Bibl.
PP. tom. 5.

dicemus . Dicitur siquidem , de Ethnico quodam (cujus alibi meminimus) disserens : *Tantum abest à Divinis Litteris repugnantia : quantum ille abfuit à veritate , & fide ; præcipue tamen Paulum , Petrumque carceravit , cæterosque Discipulos , tamquam fallaciae seminatores , quos eisdem tamen rudes , & indoctos fuisse testatus est : nam quosdam eorum piscatorio artificio fecisse quæstum : quasi agrè ferret , quod illam rem , non Aristophanes aliquis , aut Aristarchus commentatus sit .*

Id. cap. 3.

Abfuit ergò ab his fingendi voluntas , & astutia , quoniam rudes fuerunt . Aut quis possit indoctus apta inter se , & coherentia fingere , cum Philosophorum doctissimi Plato , & Aristoteles , & Epicurus , & Zenon ipsa sibi repugnantia , & contraria dixerint ? Hæc est enim mendaciorum natura , ut coherentia non possint &c. Sic Lactantius , ex cujus verbis firmissimum præsidium , ad Scriptorum veritatem tuendam , ipsam eorum ruditatem , illorumque Auctorum imperitiam præbere , manifestè monstratur .

Lact. Divin.
Inst. lib. 5. c. 1.
pag. 589.

Si verò Pseudo-Censores Sancta Martyrum Acta , tanquam incultè , & subrusticè scripta despiciunt ; quoniam modo Gentiles arguere poterunt , qui Divinam Scripturam conspuere , & pro nihilo habere eandem ob causam factu tumidissimo consueverunt ? si , ut idem scribit Lactantius . *Hæc in primis causa est cur apud Sapientes , & Doctos , & Principes hujus sæculi Scriptura Sancta fide careat : quod Prophecia communi , ac simplici sermone , ut ad populum sunt locuti . Contemnuntur itaque ab iis , qui nihil audire , vel legere nisi expolitum , ac disertum volunt ; nec quicquam inherere animis eorum potest , nisi quod aures blandiori sono permulcet . Illa verò , quæ sordida videntur ; anilla , inepta , vulgaria existimantur . Aded nihil verum putant , nisi quod auditu suave est ; nihil credibile , nisi quod potest incurere voluptatem : nemo rem veritate ponderat , sed ornatu . Non credunt ergò Divinis , quia suco carent ; sed ne illis quidem , qui ea interpretantur , quia sunt & ipsi , aut omninò rudes , aut certè parum docti . Nam , ut planè sint eloquentes , perrarè contigit : cujus rei causa in aperto est . Eloquentia enim sæculo servit ; populo se jactare , & in rebus malis placere gestit &c. Et enumeratis , qui inter Christianos dicendi facultate claruerant ; Minucium nempe Felicem , & Tertullianum , nec hos quidem Gentilibus satis placuisse*
af-

asserit. Et de Cypriano agens, cujus eloquentiam eximiam, ne Ethnicos quidem probasse affirmat, id infert. *Quod si accidit hoc ei, cujus eloquentia non insuavis est; quid tandem putemus eis accidere, quorum sermo jejunus est, & ingratus, qui neque vim persuadendi, neque subtilitatem argumentandi, neque ullam prorsus acerbitatem ad revincendum habere potuerunt?*

Et idipsum alibi confirmans. *Indè homines litterati (inquit) cum ad Dei Religionem accesserint, si non fuerint ab aliquo perito Doctore fundati, minus credunt. Assueti enim dulcibus, & politis, sive orationibus, sive carminibus, Divinarum Litterarum, simplicem, communemque sermonem pro fordido aspernantur. Aded enim illorum, qui Litteratorum nomen gererent proprium fuit sermonis aspernari rusticitatem, ut illud unum, à fide, ut abhorrerent, efficeret; ut non miremur hoc eodem nomine Pseudo-Censores nostros minus etiam iis credere, quibus priorum cœteri, absque ulla animi hæsitatione fidem adhibent:*

*Idem Ingt. lib. 6.
cap. 21. pag.
618.*

Hinc Augustinus in libro, quem de Catechizandis rudibus conscripsit, cum de iis agit, qui de Scholis usitatissimis Grammaticorum, Oratorumque veniunt, quos neque inter idiotas numerare audeas, neque inter illos doctissimos, quorum mens magnarum rerum est exercitata quaestionibus; inter alia sic cum eis agendum admonet. *Hi, qui loquendi arte cæteris hominibus excellere videntur, cum veniunt, ut Christiani fiant, hoc amplius, quam illis litterariis impertiri debemus; quod sedulo monendi sunt, ut humilitate induti, Christiana discant non contemnere, quos cognoverint morum vitia, quam verborum amplius devitare: & cordi casto, linguam exercitatum: nec conferre audeant, quam etiam proferre consueverunt &c. Et post pauca. His enim maxime utile est nosse, ita esse præponendas verbis sententias, ut præponitur animus corpori. Ex quo fit, ut ita malle debeant veriores, quam disertiores audire sermones, sicut malle debent prudentiores, quam formosiores habere animos. Noverint etiam non esse vocem ad aures Dei, nisi animi affectum: ita enim non irridebunt, si aliquos Antistites, & Ministros Ecclesiæ fortè animadvertent, vel cum barbarismis, & solacismis Deum invocare; vel eadem verba, quæ pronunciant, non intelligere;*

*D. August. tom. 42.
pag. 270. cap. 92.*

R

per-

perturbatèque distinguere. Non quid ista minimè corrigenda sunt, ut populus ad id, quod planè intelligis, dicat amen: sed tamen piè tolleranda sunt ab eis, qui didicerunt, ut sono in foro, sic voto in Ecclesia bene dici. Itaque forensis illa nunquam fortè bona dictio, nunquam tamen benedictio dici potest. De Sacramento autem, quod accepturi sunt, sufficit prudentioribus audire, quid res illa significet &c.

Sic Sciolis adèd semper difficilis, ac dura visa est sermonis ruditas incomposita, & inculta, ut animo jam Christiani (quippè qui Christianæ Fidei dogmata jam ediscere vellent, ut Christiani essent), nihilominus peculiari, admonitione indigerent, per quam à rudi, & simplici, vel sermone, vel locutione docerentur non abhorre-
re.

Tamen veritati, incultum, ac rudem sermonem nihil officere, tum ex Arnobio, & Lactantio supra allatis, tum ex aliis pluribus, quorum singulas sententias recensere piguit, adèd comprobatum est; ut alicui fortè videbitur, veritatem nonnisi sinè eloquentiæ fucò reperiri; ideoque, quæ proposuimus de Martyrum Actis, quod videlicet eleganter, ac disertè concinnata (salva historiæ veritate) fuerint, in dubium vocari posse videantur.

Verùm si veritas adèd cum eloquentia pugnaret, ut cum ea minimè stare posset; nec Lactantius, nec Arnobius, nec alii vera dixisse dicendi essent, quod tanta eloquentiæ ubertate illa pronunciansent; ipsiusque rudis, & inculti sermonis veritatem, ut verissimè propugnarent, non alias certè, quàm inculto sermone, qui falsitatis suspicionem omnem abjiceret, defendere; & historica ea, quæ ad confirmanda, quæ dicunt, vel ex prophanis, vel ex sacris Historiis deprompta, interponunt, ut sincerissimè proponerent, haud aliter, quàm rudi stylo profequi debuissent.

At Oratori (dices) aliud, quàm historico munus esse; *Habent siquidem (dicebat Plinius) Oratio, & Historia multa communia, sed plura diversa; in iis ipsis, quæ communia sunt, narrat illa, narrat hæc, sed aliter: huic pleraque humilia, & sordida, & ex medio petita: illi omnia recondita, splendida, excelsa conveniunt: hanc sapiùs ossa, musculi, nervi: illam Chori quidam, & quasi tubæ decent: hæc vel maximè vi, ama-*
ritu-

*Plin. lib. 5. ad
Capit. sui ad
Tacit.*

virtudine, instantia; illa tractu, & suavitate, atque etiam dulcedine placet: postremo alia verba, alius sonus, alia constructio.

Et quidem alia constructio, alia verba, alius sonus in historica tantum, ac in narratione Oratoria, vel Declamatoria, vel Rethorica; verum non alia veritas. Oratoris siquidem, quamvis sit nonnisi recondita, splendida, excelsa referre; ac numquam eum deceat humilia, & sordida, & ex medio petita narrare; nihilominus, ut veram, persuadendi vim habeat numquam falsa pro veris proferre convenit. Animos siquidem minimè umquam movere posset (quod Oratio contendit) fandi facultas, si vera referre non probaretur. Quare Cicero: *Exemplum* (inquit) *vitiosum est; si aut falsum est, ut reprehendatur; aut si improbum, ut non sit imitandum; aut majus, aut minus, quam res postulat.* Quod idem dicas, si ad aliud quodlibet, quam ad exemplum Orator, vel Rethor; vel Declamator aliquid narret; ut enim id, quod intendit, consequi possit, è veritatis finibus egredi nequit.

Cic. Rethoric.
lib. 3.

Sed quorsum ista? Quænam enim reperire est Martyrum Acta tam exquisitæ eloquentiæ fuce concinnata, ut ex eo in probabilem suspicionem adduci quis possit, non fuisse veridicè asserpta? Ubinam in eis Enthymemata, collectiones, definitiones, omniaque illa ornamenta, quæ suspicantes adjuvent, non veritatis lineamenta demonstrent? Ubi demùm pompa tanta sermonis, & oratio missa per regulas, concionibus, litibus, foro accomodatas? Ubi quid tale in eorum quolibet deprehendere erit? Ubi? Si qua tamen sic sophisticè scripta, tamque elaborato verborum lenocinio composita perhibentur (quod fortè accidere potuit) ubi ea hac ratione à veritate aberrasse deprehendentur, libentissimè, una cum Pseudo-Censoribus illa abdicanda censeamus. Verum hi probare, quod hujusmodi sint, districtissimè tenebuntur.



CAPUT XIII.

Veritatem, sinceritatemque Actorum Martyrum minimè lādere, quod fusiùs, vel brevius conscripta fuerint; sive his, sive aliis verbis. Neque, quod in aliquibus aliqua habeantur, quæ in aliis desunt. Verba, à Spiritu Sancto Martyribus dictata, salva veritate, aliter, atque aliter, prolixiori, seu breviori stylo, vel concione conscribi potuisse. Sensus non verba attendenda, secundum Augustinum.

Sic autem dicimus Martyrum Acta rudi, ac imperito stylo conscripta esse vera, vel potius falsa non esse; non quod falsa esse non potuerint; (ut inuimus), sed quod alia via, quàm ex scriptione probandum certissimè sit ea falsa fuisse. Æquè enim disertis verbis, ac rudibus falsa, ac vera prosequi queunt; idèdque ex loquendi modo, qui in utrumque ferri potest, certum quoddam iudicium, de illorum, vel veritate, vel falsitate produci nequit.

Solemne nihilominùs Martyrum Actis injuriam, irrogatam fuisse, Pseudo-Censores nostri contendunt, cum nonnulli ea prolixiori stylo à Notariis conscripta, vel in compendium redegerunt; vel aliis fortè verbis ab illis, quæ in eis habebantur, Martyrum, vel facta, vel dicta retulere; sic enim verba, quæ antè Reges, & Præsides pertracti Martyres, Spiritu Sancto (juxta Christi Domini promissionem) dictante, effati fuerant, quodammodo ab illis corrupta fuisse contendunt; idemque factum volunt, si quæ paucis in Actis iisdem continebantur, pluribus verbis profecuti sunt.

Verùm hæc, licet eximiam ipsorum diligentiam commendare plurimum videantur; tamen, ex illis non habent unde justissimè Actis Martyrum detrahant. Si enim concedere coguntur (quis enim id neget?), & apud prophanos Scriptores Anacephalæosim, nempe brevem rerum capitulationem, & compendia verborum, sententiarum, Hi-
sto-

Iuc. 21. v. 12.

storiarum, sine falsitatis nota fieri potuisse, immò cum laude etiam nunc à plerisque conscribi; tùm (quod majus est) idipsum quoque factum Spiritu Sancto impellente, ac movente, à Divinorum Voluminum, tam veteris, quam novi Testamenti Scriptoribus; undè Hieronymus: *Paralipomenon Liber* (ait) *instrumenti veteris Epitome, talis, ac tantus est, ut absque illo, qui scientiam Scripturae sibi voluerit arrogare, se ipsum irrideat.* Et Marcus Evangelista, quod Matthæi Evangelium in pauciora coarctaverit, tamquam pedissequus, & brevior ejusdem Matthæi vocandus visus est Augustino: Si hæc, inquam, hujusmodi se habent, quis sanæ mentis, vel tantæ autoritatis inter Scriptores fuerit, qui folis Martyrum Actis, cæteris concessum privilegium, denegari posse, ac deberi affirmet; vel ex eo tantùm, quod illa in compendium redacta, vel fusiùs explicata fuerint, censeat respuenda?

D. Hier. ad Paul.
Epist. 103.

D. Aug. de Conf.
sens. Evangel.
lib. 1. c. 2.
10. 4. pag. 145.

Neque illud obstare fatendum est, quod fortè in plerisque Martyrum Actis offenditur, ut nempe nonnulla in iis habeantur, quæ in Actis fusiõibus desunt; ejusdem enim rei exempla, sacra quoque pagina profert; nam ut scribit Hieronymus, præfatus Paralipomenon Liber, à Septuaginta *παραλιπομένων*, idest relictorum, sive residuorum inscribitur; quod ea, quæ in Libris Regum omissa sunt, suppleat, & historicè recenseat; quod idem factum esse potuisse in conscribendis, ac in compendium Martyrum Actis redigendis dicendum est. Qui enim id fecit, plura, licet, ac potiora, ex Actis à Notariis exaratis acceperit; cur reliqua, quæ addidit, ex legitimis monumentis aliis percepisse non potuit?

D. Hier. Epist. ad
Domitian.

Sed innumera planè Quæstionum Volumina, autoritate sua, ac sapientia Augustinus evertit, summamque illorum imperitiam ostendit, qui ideò corrupta Sanctorum Acta existimant, ac adulterata putant, ut diximus, quod à Spiritu Sancto dictata Martyribus verba, aliter aliquis retulerit, quam ea in Actis à Notariis conscriptis materialiter haberentur. Postquam enim probavit, quod diximus, nempe nil historicæ veritati repugnare, si alius dicit, quod alter non scripsit. *Neque illud contrarium est* (dicens) *si alius dicit, quod alius prætermittit.* Subdit statim, de

D. Aug. de Conf.
Evangel. c. 12.
10. 4. pag. 161.

Nota.

de Evangelistis loquens. *Ut enim quisque meminerat, & ut cuique eordi erat, vel breviter, vel prolixius, eandem tamen explicare sententiam, ità eos explicasse manifestum est: Et in hoc satis apparet, quoniam veritas Evangelii, verbo Dei, quod supra omnem Creaturam æternum, atque incommutabile permanet; per creaturam temporalibus signis, & linguis hominum dispensato, summum culmen auctoritatis obtinuit, non nos debere arbitrari mentiri quemquam, si pluribus rem, quam audierunt, vel viderunt reminiscantibus, non eodem modo, atque eisdem verbis, eadem tamen res fuerit explicata; ut sive mutetur ordo verborum, sive alia pro aliis, quæ tamen idem valeant, verba proferantur: sive aliquid, vel quod recordanti non occurrit, vel quod ex aliis, quæ dicuntur, possit intelligi, minus dicatur: sive aliorum, quæ magis dicere statuit narrandorum gratia, ut congruus temporis modus sufficiat, aliquid sibi non totum explicandum, sed ex parte tangendum quisque suscipiat: sive ad illuminandam, declarandamque sententiam, nihil quidem rerum, verborum tamen aliquid addat, cui auctoritas tractandi concessa est: sive rem bene tenens non assequatur, quamvis id conetur, memoriter etiam verba, quæ audivit ad integram enunciare.*

Ibid. in sup.

Hic de verbis diserebat Augustinus, à Precursore Domini Joanne Baptista prolatis, quæ aliter Matthæus, aliter Lucas, aliter verò Marcus commemorat. Verba, inquam, Evangelistarum, cuique, à Spiritu Sancto inspirata, ut scriberent, sicut Joanni Baptistæ, ut diceret. Et de iis verbis ea, quæ audisti, Augustinus pronunciat, & insuper dicit: *Si ergò queritur, quæ verba potius Joannes Baptista dixerit, utrum quæ Matthæus, an quæ Lucas eum dixisse commemorat: an quæ Marcus in ipsis paucis, quæ illum dixisse posuit, tacens cætera; nullo modo hic laborandum esse judicat, qui prudenter intelligit, ipsas sententias esse necessarias cognoscendæ veritati, quibuslibet verbis fuerint explicatæ. Quod enim aliis alium verborum ordinem tenet, non est utique contrarium. Neque illud contrarium est, si alius dicit, quod alius prætermittit &c. Si igitur ille, qui prudenter intelligit, sic Evangelistarum sententias cognoscendæ veritati fuisse necessarias censere debet, ut tamen nihil referre existimet, quibuslibet verbis sententiæ ipsæ explicatæ fuerint, vel quod alius alium verbo-*

borum ordinem tenuerit, vel quod ab uno prætermiffum, alius dixerit: quâ quæſo ratione, quâ fronte difertiffimi Pſeudo-Cenſores prudenter intelligere exiſtimandi ſunt, quod paſſim pronuntiare audent: Acta, videlicet, Martyrum corrupta eſſe, quod in illis contentæ conciones, vel nimis prolixæ, vel compendioſiores, quàm oporteret, in iis legantur; quod pluribus, quàm res ſit, nec eodem modo, neque eiſdem verbis aliquid in his, vel illis codicibus explicetur, vel quod in iſſis, verborum ordo mutatus ſit; ſive quod alia pro aliis, quæ tamen idem valeant, verba prolata legantur, vel quod minus dictum aliquod adnotetur, licet illud ex aliis, quæ dicuntur, intelligi poſſit; ſive quod non totum, Actorum Scriptores omnes, & ſinguli, & qui ab illis Acta alia exararunt explicaverint; ſive quod verba addiderint, quæ nullatenus, tempore, quo Martyres paſſi ſunt, vel eo, quo illorum geſta ſincerè (ut Cenſorum fert opinio) tantum conſcribi potuerunt, proferri potuiſſe perhibeantur? Quid quæſo huiusmodi quæſtiones ſapientem movere debent, ut Martyrum Acta conſpuat, ac rejiciat (uti ipſi præſumere audent), atque corrupta fuiſſe Spiritus Sancti verba, variationum iſtarum prætextu vociferetur? Sanè, quæ ab eodem Spiritu Sancto Martyribus dictata, ea à Notariis conſcripta, vel in Proconſularibus Actis (quæ tantum vera, ac pura eſſe contendunt) adnotata fuere; haud magis Spiritus Sancti verba ſunt, quàm ea, quæ in Evangelica Hiſtoria recitantur: perperam ergò conjiciunt, locutiones, quæ in iſſis Martyrum Actis habentur, Scriptorum excogitationes, ac commenta ideò eſſe, quod his, vel illis verbis dicta ſint, vel non ſint; expreſſa potiùs fuerint, vel exprimi nequierint, quod iſta, & illa verba tunc non extiterint: quaſi verò ſermonum veritas minimè teneri, niſi materialibus innixa verbis, potuerit! Cum tamen tantus, tamque eximius Doctor Auguſtinus, in re omnium ſumma, qualia eſſe Evangelica verba noſcuntur, aliter eſſe tam ſapienter, ac ſtrenuè aſſeruerit. Præponendas ne eſſe cenſebunt forſan ſuas huiusmodi ſuſpiciones, ſummi ponderis Auguſtini authoritati?

Quod ſi illud rursùs objiciant, Acta, videlicet Martyrum, non eſſe Evangelia; ideòque, quæ de his Auguſtinus

pro-

pronunciavit, illa quoque complecti minimè existimandum; vel aliter censendum de Evangelistis, qui quæ viderunt, vel saltem audierunt ab his qui viderant, ac adfuerant, scripserunt; aliter verò de Martyrum Actorum, Scriptoribus; qui fortè, nec viderunt, nec ab his, qui Martyribus in passionibus adfuerunt, audierunt; sed potiùs à vetustioribus Actis, quæ habemus, MM. Acta exararunt; nam his, ut fidelissimè sese gererent, facta, vel dicta Martyrum, à primis vetustissimis accepta ità sincerè referre debuissent, ut ne verbum quidè pro alio ponerent, vel mutarent. His dicendum in primis, rationem eandem fuisse Marco Evangelistæ, ac Conscriptoribus Actorum, de quibus est sermo: ille enim Matthæi, ut paulo antè monuimus, brevior fuit, ab eisque Evangelio accepit, undè suum exararet; & tamèn non omnia verba, sicut nec omnia facta, quæ Matthæus vel Præcursoris, vel Christi Redemptoris adnotavit, ad verbum ponenda duxit.

Deindè tum allatis, tum aliis verbis satis superque animi sui sensum Augustinum explicasse respondemus; quod, videlicèt Evangelistarum exemplo cœterorum vera, vel dicentium, vel scribentium fidem, ac veritatem asserere voluerit. Quapropter postquàm de variis eorundem Evangelistarum narrationibus diseruit, hoc pariter adjecit. *Simule etiam, quod ad doctrinam fidelem maximè pertinet, intelligeremus, non tam verborum, quàm rerum quærendam, vel amplectendam esse veritatem, quandò eos, qui non eadem locutione utuntur, cum rebus, sententiisque non discrepant, in eadem veritate constitisse approbamus. Et haud multo post. Utilis igitur modus, & memoriæ maximè commendandus, cum de convenientia dicimus Evangelistarum, non esse mendacium, cum quisque etiam dicens aliquid aliud, quod etiam ille non dixit, de quo aliquid narrat, voluntatem tamen ejus banc explicat, quàm etiam ille, qui ejus verba commemorat. Ità enim salubriter discimus, nihil aliud esse quærendum, quàm quid velit ille, qui loquitur. Ideò, juxta probatissimam hanc Augustini doctrinam, plurimùm commendandam Antonii Bosii summam eruditionem censuimus; qui cum in Actis S. Cæcilie in ea verba offendisset: O Judicem necessitate confusum &c. quæ ab ipsa Virgine prolata, in Actis iisdem per-*

Ibid. ut sup.

Nota.

hibentur: sat habuit adnotare, verba eadem à Tertulliano in Apologetico excerpta fuisse, nec ea de causa commentitium censuit, illa ab eadem Cécilia fuisse dicta: vel quod ea didicisse potuerat à Tertulliano, vel potius, quod Actorum illius Scriptorem gloriosæ ejusdem Virginis voluntatem, Tertulliani verbis, verissimè, ac sincerissimè explicare potuisset existimaverit. Quod similiter de aliis hujusmodi dicendum esse, in aperto est.

Quare Ambrosius in illa verba. *Agnovit enim bos possessorem suum, & asina præsepe Domini: immò præsepium dixerim* (inquit), *sicut scripsit, qui transtulit: nihil enim apud me distat in verbo, quod non distat in sensu. Nam si Orator illorum, qui phaleras sermonum sequuntur, neget in hoc positas esse fortunas Græciæ, hoc, an illo verbo usus sit, sed rem spectandam putat: Si ipsi Philosophi eorum, qui totos dies in disputatione consumunt, minùs Latinis, & receptis usi sermonibus sunt, ut propriis uterentur: quanto magis nos negligere verba debemus, spectare mysteria, quibus vincit sermonis vilitas, quod operum miracula Divinorum, nullis venustata sermonibus, veritatis suæ lumine refulserunt?*

D. Ambros. to. 3.
lib. 1. in Luc.
in fin. pag. 27.

Cum verò eos, qui studiosius hujusmodi verborum futilibus censuris incumbere videmus, linguarum, sed Græcæ potissimum, peritia turgidos intueamur: sciendum est, quod Augustinus, inter Etnichorum sectas, loquacissimam Græcorum Hæresim eam vocat, quæ de verbis tantum disserit, quamve, & à Cicerone irrisam, rejectamque his verbis asserit. *Ibi enim (in Areopago) loquacissimæ Philosophorum Hæreses extiterunt, quarum nonnullæ, sicut ipsi, qui hic commemorati sunt Stoici, magis de verborum, quam de rerum ad- versitate configunt, quod Apostolus prohibuit Timotheum dicens, ad nihil esse utile, nisi ad subversionem audientium. Nam de his, ut nosti, Tullius ait. Verbi enim controversia jam diu torquet homines Græculos, contentionis cupidiores, quam veritatis.*

D. Aug. Tom. 7.
Lib. 1. contra
Crescon. cap.
12. p. 164.

1. Timot. 6. 4.

Tull. Lib. 1. de
Oratore.



CAPUT XIV.

Idem ejusdem Augustini pluribus aliis testimoniis confirmatur.

SED ne putetur Augustinus perfunctoriè, quæ proposuimus pronunciaſſe, plura alia ejusdem testimonia hic apponere incongruum non duximus, quibus eandem suam ſententiam confirmat, vel magis approbat.

Libro igitur 2. de Conſenſu Evangelistarum cap. 24. hæc profert. *Duo facta continuatim, quæ narrat Matthæus de tranquillitate maris, posteaquàm ventis imperavit Jesus à somno excitatus, & de illis, qui habebant sarcum Dæmonium, ruptisque vinculisangebantur in desertum, similiter narrant Marcus, & Lucas; verbis aliis dicta sunt ab alio, atque alio quadam ſententiæ, non tamèn aliæ: velut illud, quod eum dicit dixiſſe Matthæus. Quid timidi estis modicæ fidei? Marcus ita dicit. Quid timidi estis, nec dum habetis fidem? idest illam perfectam, velut granum ſinapis. Hoc ergò, & ille ait: Modicæ fidei. Lucas autèm: Ubi est fides vestra? Et totum quidem sic dici potuit. Quid timidi estis? Ubi est fides vestra? Modicæ fidei. Undè aliud hic, aliud ille commemorat. Et illud, quod excitantes eum dixerunt, Matthæus sic: Domine salva nos perimus. Marcus: Magister non ad te pertinet, quia perimus? Lucas. Præceptor perimus: una, eademque ſententia est excitantium Dominum, volentiumque ſalvari. Nec
 „ opus est quærere quid horum potiùs Christo dictum ſit. Sive enim
 „ aliud horum trium dixerit, ſive alia verba, quæ nullus Evan-
 „ gelistarum commemoravit, tantundem tamen valentia ad ean-
 „ dem ſententiæ veritatem: quid ad rem intereſt? Quamquam,
 „ & hoc fieri potuit, ut pluribus eum ſimul excitantibus, omnia
 „ hæc, aliud ab alio dicerentur. Item, quod ſedata tempeſtate,
 „ dixerunt ſecundum Matthæum: Qualis eſt hic, quia venti, &
 „ mare obediunt ei? Secundum Marcum. Quis putas eſt iſte,
 „ quia ventus, & mare obediunt ei? Secundum Lucam. Quis
 „ putas hic eſt, quia & ventis imperat, & mari, & obediunt ei?
 „ Quis non videt unam eſſe ſententiam? Tantundem enim prorsùs*

Nota.

4a-

valet: *Quis putas est iste: qualis est hic. Et ubi non est dictum imperat: utique consequenter intelligitur, quia imperanti obeditur.* Sic Augustinus, cui si nihil interesse visum est, quibus verbis Apostoli Christum allocuti fuerint, sive iis, quæ variè Evangelistæ commemorarunt, sive aliis, quæ iidem non retulerunt; putasne illum, locutiones, conciones, & hujus generis alia, quæ in Actis Martyrum reperiuntur, de quibus innumeras quæstiones Pseudo-Censores movere solent: quod fuerint, videlicet, sic, vel sic concinnata, his vocabulis, vel aliis expressa, tam magni facturum, ut Pseudo-Censores ipsi contueverunt?

Alibi etiam. *Jam ipsa verba videmus ab ipso Domino dicta: vel quæ à Domino dicta, vel quæ ab illo responsa sunt, omnes isti tres Evangelistæ posuerunt. Et videntes, inquit, Pharisei dicebant Discipulis ejus. Quare cum publicanis, & peccatoribus manducat Magister vester? Totidem penè verbis hoc ait, & Marcus. Quare cum publicanis, & peccatoribus manducat, & bibit Magister vester? Prætermissum est ergò à Matthæo, quod iste addidit, & bibit. Sed quid ad rem? cum plena sit sententia insinuans pariter convivantes? Lucas autem aliquantò differentius hoc videtur commemorasse. Et murmurabant, inquit, Pharisei, & Scribæ eorum, dicentes ad Discipulos ejus: Quare cum publicanis, & peccatoribus manducatis, & bibitis? Non utique Magistrum eorum volens illic intelligi, sed simul omnibus, & ipsi, & Discipulis ejus hoc objectum insinuans, non tantum ei dictum, sed illis, quod & de ipso, & de illis acciperetur. Nam utique, & ipse Lucas, ita dicit Dominum respondisse: Non veni vocare justos, sed peccatores ad penitentiam. Quod non eis respondisset, nisi quod dixerant, manducatis, & bibitis, ad ipsum maxime pertineret. Propterea etiam Matthæus, & Marcus de illo Discipulis ejus hoc objectum esse narrarunt; quia & cum de Discipulis dicebatur, Magistro magis objiciebatur, quem sectando imitabantur.*

„ Una ergò sententia est, & tantò melius insinuata, quantò quibusdam verbis, manente veritate, variata. Et post nonnulla.

„ Jam enim satis in promptu est, nihil esse contrarium, si quis alius dicit, quod alius prætermittit, seu verbi, seu rei: dum,

„ vel ab eadem sententia non recedatur, vel quæ forè ab alio ponitur, alii non advesetur.

Ut sup. cap. 26.

Nota.

Ut sup. cap. 28.
pag. 168.

Nota .

Et infra planius, & apertius. *Quæ cum ita sint, per ejusmodi Evangelistarum locutiones varias, sed non contrarias, rem planè utilissimam discimus, & pernecessariam. Nihil in cujusque verbis nos debere inspicere, nisi voluntatem, cui debent verba servire: nec mentiri quemquam* (audiant, audiant disertissimi Censores nostri, qui tanto conatu, conciones, verba, & hujusmodi alia, in Martyrum Actis, ut falsa, & commentitia conspuunt) *si aliis verbis dixerit, quod ille voluerit, cujus verba non dicit: Neque MISERI AUCUPES VOCUM, apicibus quodammodo litterarum, putent ligandam esse veritatem, cum utique non in verbis tantum, sed etiam in cæteris omnibus signis animorum, non sit nisi ipse animus inquirendus.*

Ità ille miseros vocum aucupes dicit, qui litterarum apicibus ligandam veritatem ducunt; ut inter eos minimè dubites esse recensendos illos, qui Martyrum Actis detrahunt; quod in locutionibus eæ voces sint, quæ nonnisi nono, decimo, undecimo seculo in morem esse cœperint; (quasi vocabula cuncta, quæ singulis seculis, à primo, usque ad ultimum adhibita sunt, vel tempora, quibus cœperint, aliaque deserint, exploratissima ipsi haberent); quod sæpè à Gentilibus dicta nonnulla perhibeantur, quæ phrasæ Sacræ Scripturæ redolent; quod tandem prolixiores sermones sint, quam res petere videatur; unde Acta ipsa, ut Monachorum figmenta, & illegitima, ac spuria rejicienda ex typode pronunciant; ac si veritas litterarum apicibus ligata esset, atque si ex eo tantum, quod accepta aliquando ex veteribus monumentis Martyrum gesta, in melius, vel fortè usitatiùs, eo tempore, quo quis ea exscripsit idioma, gesta ipsa, & verba, conciones, sermones, aliaque in illis contenta, transfulerit; statim in falsitatis barathrum incidit: profectò non intelligentes, non modo in his, vel illis verbis dumtaxat, sed absolute non in verbis tantum, sed etiam in cæteris omnibus signis animorum, nonnisi ipsum animum inquirendum.

Ut sup. cap. 39.
pag. 170.

Nota .

Idem sentiendum de ordine, quo aliquis dicta aliqua refert, docet ipse Augustinus. *Quis autem non videat (inquit) superflud quæri, quo illa ordine Dominus dixerit, cum & hoc discere debeamus, per Evangelistarum excellentissimam auctoritatem, non esse mendacium, si quisquam non hoc ordine*

ca-

» *cujusquam sermonem digesserit, quod ille, à quo processit, cum*
 » *ipsius ordinis nihil intersit ad rem, sive ità, sive ità sit?* Undè,
 notandi meritò sunt Pseudo-Censores nostri, quos magnas,
 ac inligues quasdam quæstiones movere persæpè audivimus,
 & hinc Acta corrupta pronunciare, quod priùs hoc Martyr
 dicere debuisset, deindè illud respondere, quod non priùs
 id dicendum esset, quam aliud, quod in hoc Codice ista
 priùs dicta perhibeantur, secus in altero, cum tamen nil
 harum rerum veritatem offendat; & licet id errore factum
 esse queat multotiès Scriptoris, non idè tamen est ei inu-
 renda nota mendacis.

Generatim autem in verbis, sive ità, sive ità sint,
 quod nihil interest, nil quærendam nisi loquentium volun-
 tatem, quàm æquè quærere potuerunt, tam ii, qui rei in-
 terfuerunt, quàm alii, qui vel ex eorum, vel ex aliis monu-
 mentis illam acceperunt; confirmat Augustinus ipse, cum
 pluribus Evangelistarum verborum varietatibus relatis,
 » scribit: *Ex qua universa varietate verborum, rerum autem,*
 » *sententiarumque concordia, satis apparet: Salubriter nos do-*
 » *ceri nihil quærendam in verbis, nisi loquentium voluntatem:*
 » *cui demonstranda invigilare debent omnes veridici Narratores,*
 » *cum de homine, vel de Angelo, vel de Deo aliquid narrant: ho-*
 » *rum tamen voluntas verbis promi potest, nè de ipsa inter se ali-*
 » *quid discrepent.*

Ut sup. cap. 47.
 pag. 173.

Nota.

Et cum de Transfiguratione Domini agit. *Hæc visio*
Domini in Monte (inquit) coram tribus Discipulis Petro, Fa-
cobo, & Joanne, ubi etiam de Cælo illi testimonium paterna
vocis perhibitum est, à tribus Evangelistis eodem ordine comme-
 » *moratur, & ad easdem omninò sententias: Sed cætera secundum*
 » *ea genera locutionum diversa, sine ulla sententiarum diversita-*
 » *te, quæ multis locis superiùs demonstravimus, videri à legen-*
 » *tibus possunt.*

Ut sup. cap. 56.
 pag. 175.

Nota.

Insuper ubi de Domino loquitur, de libello repudii dif-
 » ferente. *Cum voluntas loquentium (inquit), cui debent ver-*
 » *ba servire, ab Evangelista utroque (nempe Marco, & Mat-*
 » *thæo) monstrata sit; nihil interest, quàm diversus inter ambos*
 » *fuerit narrandi modus, dum ab eadem veritate, neuter absc-*
 » *deret.*

Ut sup. cap. 52.
 pag. 176.

Nota.

Item disserens, de testimonio Zachariæ, ab Evangelistis
 re-

Ut sup. cap. 66.
pag. 176.

relato, ista habet. *Joannes cum taceat, quemadmodum Dominus Discipulos suos ad hac animalia sibi adducenda miserit, interponit tamen breviter de pullo cum testimonio etiam Prophetæ, quod Matthæus adhibet. In quo etiam testimonio Prophetico, aliquantulum diversa Evangelistarum locutio, ab ea quidem sententia non recedit. Sed potest movere, quod hoc Matthæus sic adhibet, ut asinam dicat commemorasse Prophetam: non autem ita se habet; vel quod Joannes interponit, vel Codices Ecclesiastici interpretationis usitata. Cujus rei causa illa mihi videtur, quod Matthæus Hebræa lingua perhibetur Evangelium conscripsisse. Manifestum est autem interpretationem illam, quæ dicitur Septuaginta, in nonnullis se aliter habere, quàm inveniunt in Hebræo, qui eam linguam noverant, & qui simul interpretati sunt singuli eosdem libros He-*

Nota.

braeos. Hujus item distantia causa, si queratur: *Cur tantæ authoritas interpretationis Septuaginta multis in locis distet ab ea veritate, quæ in Hebræis Codicibus invenitur: nihil occurrere probabilius existimo, quàm illos Septuaginta, eo Spiritu interpretatos, quo, & illa, quæ interpretabantur, dicta fuerant; quod ex ipsa eorum mirabili, quæ predicatur, consensione firmatum est. Ergo, & ipsi nonnulla in eloquio variando, & ab eadem voluntate Dei, cujus illa dicta erant, & cui verba servire debebant, non recedendo, nihil aliud monstrare voluerunt, quàm hoc ipsum, quod nunc in Evangelistarum quatuor concordâ quadam diversitate, miramur: qua nobis ostenditur non esse mendacium, si quisquam ita diverso modo aliquid narret, ut ab ejus voluntate, cui consonandum, & consentiendum est, non recedat. Quod nosse, & moribus utile est (aures præbeant Pseudo-Critici Acta SS. MM. explo-*

Nota.

dentes) propter cavenda, & judicanda mendacia, & ipsi fidei, nè putemus quasi consecratis sonis ita muniri veritatem, tamquàm Deus nobis quemadmodum ipsam rem, sic verba, quæ propter illam sunt dicenda, commendet; Cum potius ita res, quæ dicenda est, sermonibus, per quos dicenda est, præferatur: ut istos omninò querere non deberemus, si eam sine his nosse possemus, sicut illa novit Deus, & in ipso Angeli ejus.

Pariter de Petri negatione sic loquitur. *Si autem queruntur (inquit) ipsa omninò narrationis verba, quæ Petro Dominus dixerit, neque inveniri possunt, & superflud querun-*

De Conf. Evan.
lib. 3. cap. 2.
pag. 134.

„ runtur ; cum sententia ejus , propter quam cognoscendam verba Nota.
 „ proferuntur , etiam in diversis Evangelistarum verbis , possit
 „ esse notissima . Sive ergò diversis sermonum Domini locis com-
 „ motus Petrus singillatim ter enunciaverit præsumptionem suam ,
 „ & ter ei Dominus suam negationem prædixerit , sicut probabi-
 „ liter indagatur ; sive aliquo narrandi ordine possint omnium
 „ Evangelistarum commemorationes in unum redigi , quibus de-
 „ monstratur semel Dominum prædixisse Petro præsumenti , quod
 „ eam negaturus esset : nulla hic Evangelistarum repugnantia de-
 „ prehendi potest , sicut nulla est .

Demùm dum agit , de duobus verbis à Christo Redemptore in oratione prolatis , videlicet , *Abba* , & *Pater* , quorum alterum Hebraicum , alterum verò latinum est . Oportuit (ait) , ut bonus Magister , & verus Salvator infirmioribus Ut sup. cap. 4.
pag. 135.
 „ compatiens in se ipso demonstraret non debere suos Martyres des-
 „ sperare , si qua fortè cordibus eorum irreperet sub tempus Passionis , ex humana fragilitate tristitia &c. De qua re tota non nunc tempus est , ut uberius differatur ; agitur enim modò de
 „ convenientia Evangelistarum , in quorum diversitate verborum
 „ salubriter discimus , non aliud in verbis ad audiendam veritatem , Nota.
 „ quam sententiam loquentis esse requirendam . Hoc est
 „ enim *Pater* , quod *Abba Pater* &c.

Et revera , quis umquam tam ignavus , impudensve fuit , qui ritè falsitatis coarguere posse censeret , vel Magnū Basilium , vel Chrysostomum , vel Ambrosium , vel coeteros alios Patres , tam Latinos , quàm Græcos , qui multoties verba , ac conciones Martyrum retulere , quod his , vel illis verbis , id perfecerint ? Quis mendacii notam inurere præsumpsit Basilio , qui Gordium , Barlam , ac alios Martyres cum Gentilibus discentes introduxit , ac plurima cum illis , ac aliis verba conferentes narravit ? At hæc , dices oratoriæ , non historicè pronunciarunt . Verum (ut suprà monuimus) , licet multa Oratori liceant , quæ Historico minimè permittuntur , haud tamen Oratori falsa dicere , uti nec Historico convenit : undè quamvis in aliis pluribus inter se discrepent , in hoc tamen , Historicus , ac Orator concordant . Quid ? ad firmandam historicam aliquam controversiam , nonnè passim Pseudo-Censores ipsi , ex Orationibus Tullii , Plinii , horumque similibus testimonia , in medium afferunt ? Jux-

Juxtà igitur Augustini doctrinam, sanctissimi una, ac doctissimi homines, non vocum aucupes, sed sententiarum, ac rerum veridici sectatores, rem, quam dicendam susceperunt, sermonibus, per quos dicenda esset prætulerunt; & dummodò ab ejus animo, ac voluntate, cujus locutiones, sermonesque retulerunt, non discederent, vel his, vel illis uti verbis, ac loquendi rationibus (sicut Evangelistæ ipsi fecerant), sibi omninò liberum putarunt. E contra verò prophanorum Scriptorum studium (uti Pseudo-Criticorum hodiernorum) totum in verbis fuit, rebus ipsis posthabitis, sicut Augustinus idem observat, cum contrà Adimantum scribens, dicit: *Sicut enim nostri Auctores, Divinarum scilicet litterarum, de rebus maxime cogitaverunt: sic mundanorum Auctorum propè omnis cura de verbis est.*

D. Aug. cont. Adimant. lib. cap. 11. tom. 6. pag. 69.

At videndum est, inquires, an Actorum Martyrum Conscriptores, ab eorum animo, ac voluntate, quorum sermones, ac verba retulerunt, minimè discesserint. Certè videndum, & ipsi fatemur; verùm ineptè nimis hoc loco ista objecta agnoscuntur, quæ extrà quæstionem sunt. In eo enim tantùm ista versatur, quod ex loquendi modo, sive diffusè, sive compendiosè concinnato, vocibus, ordine, ac hujusmodi aliis, præcipiti nimis judicio corrupta ea verba dicantur, quibus ante Reges, ac Præsides illustre Sancti MM. Jesu Christi testimonium dederunt; ac commentitia reputentur, quod hoc modo, his vocabulis, vel aliis primùm dicta, ac postea immutata in eorum Actis pronunciata legantur; dum sic apicibus litterarum veritatem ligatam Pseudo-Censores volunt: uti jam Manichæi, cum quibus meritò caveant ne perstringendi agnoscantur his ejusdem Augustini verbis.

D. August. cont. Faust. lib. 33. cap. 8. tom. 6. pag. 184.

Vellem sanè, ut aliquis istorum vanorum, qui hujusmodi quæstiunculas, quasi magnas calumniosè objiciunt Evangelio, narraret aliquid idem bis numero, non falsum, nec fallaciter, sed omninò id volens intimare, & exponere: & stylo exciperentur verba ejus, eique recitarentur: utrum, non aliquid plus, minusve diceret, aut præpostero ordine, non verborum tantum, sed etiàm rerum: aut utrum non aliquid, ex sua sententia diceret, tamquam alius dixerit, quod cum dixisse non audierit, sed voluisse, atque sensisse planè cognoverit: aut utrum non ali-

alicujus breviter completeretur sententia veritatem, cujus rei antea, quasi expressius articulos explicasset: & si quid est aliud, quod fortasse possit certis regulis comprehendere, quomodo fiat, ut vel in duorum singulis ejusdem rei narrationibus, vel in duabus unius ex una, eademque re multa diversa inveniantur, nulla tamen adversa, & multa varia, nulla contraria. Sic solvantur omnia, de quibus sibi isti miseri collum ligant, ut spiritum sui erroris intus teneant, & nullum extrinsecus salutis admittant. Hæc Augustinus.

CAPUT XV.

*Rerum, ac temporum variata, vel prætermissa, vel addita in Actis Martyrum circumstantiæ, nil horum veritatem Actorum ledere monstratur. Aliud esse affabre conscriptam Historiam, aliud falso concinnatam. Reti-
cuisse, quod dicendum fore à Scriptore aliquo creditur, falsitatis indicium non esse. Quod narratur, uti semel dictum, vel factum, pluries dictum, factumque esse potest.*

AT quamvis, ex his, quæ præcipuè de locutionibus, Concionibus, ac Martyrum verbis, eorumque ordine, necnon de Actis, seu diffusè, seu in compendium dictis, ostendimus, ejusdem ferè generis quæstiones aliæ, quibus Pseudo-Censores nostri inter se mutuò digladiantur, pari ratione rejectæ videri queant: nihilominus celeberrimam præterire non valemus, quam contra Martyrum eadem Acta, ab iisdem haud rarò moveri audivimus; quod nempe in rebus narrandis manifestissimi erroris coargueritè possint, utpotè quod rerum, ac temporum circumstantiæ in illis variatæ, vel prætermissæ, vel additæ ritè adnotentur. Et quidem his difficultatibus haud leviter commotus Baronius ipse, postquam dixit; ex immenso Actorum Martyrum naufragio, vix perpauca tabulas se censere remansisse; illicò addit: *Tabulas (inquam) quoniam haud integra, atque perfecta, & omnibus numeris absoluta illa esse putamus, quæ titulo Notariorum Romanæ Ecclesiæ Acta*

Baron. de Martyrolog. Rom. cap. 2.

T

Mar-

Martyrum à quibusdam edita babentur : cum si vel ad exactam censuram rerum , ac temporum eas adducas , vix per pauca reperias , quæ aliqua saltem ex parte non arguantur erroris &c.

Censuit Baronius Martyrum Acta à Notariis conscripta omnibus numeris absolutissima fuisse ; ideoque cum per pauca , quæ ex iis reliqua fuerunt , perperam fortè Notariis ipsis adscripta , non modo sic exactissime perfecta haud repererit , uti illa ipse excogitavit , sed insuper , ex temporum , ac rerum censura , mendosa cognoverit ; idcirco ea parvi facienda , ac penè rejicienda existimavit . Verum cum aliunde ipse non acceperit Acta Martyrum tam exquisita diligentia fuisse exarata , quàm quod summa cura , per præfatos S. R. E. Notarios perquisita , deinde per Subdiaconos , & Diaconos cognita , ac demum per ipsos Romanos Pontifices probata , atque recognita fuerint : ex tam generali eorundem Actorum commendatione , minimè educi potest tanta diligentia scripto mandata fuisse , quod rerum , ac temporum circumstantiæ in illis variatæ , vel prætermittæ aliquando non fuerint , undè ex hoc , ea reprehendi semper queant , in quibus errores hujusmodi deprehenduntur . Romanos siquidem Pontifices , hoc in Actis Martyrum comprobandis potissimum spectasse censendum est , ut vera essent , quæ comprobarent , neve quid falsum in Actis ipsis irreperet . Cæterum in iis , quæ ad scribendi modum attinent , sive quod is hoc tacuerit , quod alius dixit ; sive quod hoc tempore , eaque occasione illud factum pronuntiaverit , quod , ad veritatem sat esset , scire fuisse factum , quovis tempore factum fuisset , sive hoc ordine , vel altero , his circumstantiis , vel aliis ; ut ea comprobarent , tam exactam censuram adhibuisse compertum non est . Neque enim , ut prò vero aliquid reciperetur , necesse erat (uti nec modo) ut juxtà omnes perfectissimas Historias conscribendi regulas concinnatum esset . Confusè scriptas Historias dicimus , quas præpostero ordine procedere animadvertimus , ut quod priùs dicendum erat , postea recolatur . Deficere dicimus , si tacuerint , quæ dicere debuissent , & si quid aliud hujusmodi est , quod in historia deprehendatur , Scriptoris imperitiæ dandum : damnatur quidem , quod contrà scribendi regulas sit , at non damnatur ex eo , quod falsum sit , quod

quod commentum sit, quod excogitatum sit. Plura siquidem contra historię conſcribendę perfectam peritiam admitti poſſunt, quę tamen contra historię veritatem commiſſa pronunciarı nullatenus queunt. Pſeudo-Cenſorum autem error in eo eſt, quod rem cum modo, & modum cum re confundant, ac idem modum, ac rem eſſe velint; quod tamen falſiſſimum eſſe, nemo ſanę mentis eſt, qui intelligere nequeat. Attalica enim, vel Phrygia veſtis, huiusmodi non eſſe dicitur, quod ab imperito ſarcinatorę vitioſę ſuta fuerit; plurimum quidem inſcitia ſua, decoris ei detrahet, verum non eodę uſque, ut Phrygia, & Attalica ex eo eſſe deſinat; alioquin, ſi quę inuimus, cum veritate pugnare in historia dicerentur, Evangelica historia minime vera eſſet, quod in illa huiusmodi, & quidem abſque ullo proſus, neque in re, neque in modo narrandi errore, non raro offendantur.

Quapropter Auguſtinus, qui Evangelicę historię veritatem humanis rationibus mirificę ostendere connixus eſt. (Ad quid enim de hoc tam prolixam diſſertationem inſtituere ſuſcepifſet, ſi illius auctoritati, poſthabito humanę ratiocinationis quovis alio argumento, Gentiles, ac Hęreticos ſe tandem dedere, voluiſſet?) non ab auctoritate, ſed à veritate, juxta veracis humanę Historię regulas exhibita, Evangelicam ipſam Historiam commendans. *Neque enim (dicit) nunc Evangelia exponenda ſuſcepimus, ſed à falſitatis, vel fallacię calumniis defendenda;* difficultates, quas inuimus, tamquam veritati nil proſus oppoſitas, ac historiam minime lædentes pluribus locis demonſtrat; ita ut haud incongruum viſum ſit, & ad ea, quę ſuprà diximus comprobanda, & ad illa, de quibus diſſerimus aſſerenda, & ad alia demum, quę contra Martyrum Acta afferri poſſent argumenta rejicienda, præter illa, quę attulimus ex his, quę ſcripſit, alia hic etiam inferere, ex quibus temporis, ordinis, circumſtantiarum, ac demum frigidi argumenti illius, quod hic reticuerit, quod dicere debuifſet, ſi verum fuiſſet, vel dicere non prætermiſiſſet, ſi verum agnoſciſſet; nullam proſus in eo, quod ad historicam veritatem ſpectat, habendam eſſe rationem, perſpicuę agnoſcatur.

*De Conſ. Evang.
lib. 2. cap. 67.
pag. 181.*

D. Aug. de Conf.
Evang. lib. 2.
cap. 19. p. 164.
tom. 4.

Nota .

Jam nunc (dicit igitur) de illo sermone prolixo , quem secundum Matthæum in Monte habuit Dominus , videamus , utrum ei cæteri Evangelistæ , nihil adversari voluerint . Marcus quippe , non eum commemoravit omnino , nec aliquid ejus simile dixit , nisi quasdam sententias , non contextim , sed sparsim , quas Dominus locis aliis repetivit . Reliquit tamen locum in textu narrationis suæ , ubi intelligamus hunc dictum esse sermonem , sed ab eo prætermisum : Et erat (inquit) prædicans in Synagogis eorum , & omni Galilæa , & Dæmonia ejiciens . In hac prædicatione , quam dicit habuisse in omni Galilæa intelligitur etiam sermo iste habitus in monte , cujus commemorationem facit Matthæus . En quo pacto Augustinus prætermisissæ à Marco excusat ; mox addit .

Nota :

Ibid. ut sup.

Namque idem Marcus , ita sequitur . Et venit ad eum Leprosus deprecans eum , & genuflexo dicit : Si vis potes me mundare &c. De hoc Leproso mundato talia connectit , ut ipse intelligatur , quem Matthæus commemorat tunc esse mundatum , quandò post illum sermonem Dominus de monte descendit . Sic enim ait Matthæus : Cum autem descendisset de Monte , secutæ sunt eum turba multa . Et ecce Leprosus veniens adorabat eum dicens : Domine , si vis potes me mundare &c. Hujus

Nota .

Leprosi etiam Lucas meminit , non sanè hoc ordine , sed ut solent prætermisissæ recordari , vel posterius facta præoccupari , sicut divinitus suggerebantur , quæ antea cognita postea recordando conscriberent . Veruntamen idem Lucas sermonem etiam ipsius Domini prolixum narravit , ubi etiam sic exorsus est , ut in isto Matthæus . Hic enim dicit : Beati pauperes spiritu , quoniam ipsorum est Regnum Cælorum . Et ille : Beati pauperes , quia vestrum est Regnum Dei . Deindè multa , quæ sequuntur , etiam in Lucæ narratione similia sunt . Et ad extremum , sermonis ipsa conclusio protus eadem reperitur , de homine prudente , qui ædificat super petram , & de stulto , qui ædificat super arenam : Nisi , quod ibi flumen tantum dicit illisum domui , non , & pluviam , & ventos , sicut Matthæus . Posset ergò facillimè credi eundem etiam ipse Domini interposuisse sermonem , aliquas etiam prætermisissæ sententias , quas Matthæus posuit . Posset hoc , sicut dixi facillimè credi , nisi moveret , quod Matthæus in Monte dicit hunc habitum a DOMINO SEDENTE : Lucas autem IN LOCO CAMPESTRI a DOMINO STANTE . Hac itaque

Nota .

di-

„ *diversitas facit videri ALIUM FUISSE ILLUM, ALIUM ISTUM. Quid*
 „ *enim prohiberet Christum alibi quadam repetere, quæ jam antea*
 „ *dixerat, aut iterum quadam facere, quæ antea jam fecerat?*
 „ *Non sanè istos duos sermones, quorum unum Matthæus, alte-*
 „ *rum Lucas inseruit, longa temporis distantia separati, hinc*
 „ *probabiliter creditur, quod & antea, & postea, quedam simi-*
 „ *lia, vel eadem ambo narrarunt, ut non absurde sentiantur*
 „ *eorum narrationes hæc interponentium, in eisdem locis, & die-*
 „ *bus esse versatas &c.*

Et inferius. *Hic potest intelligi (nempe ex cap.6. Lucæ)*
 „ *cum in Monte duodecim Discipulos elegit ex pluribus, quos Apo-*
 „ *stolos nominavit, QUOD MATTHÆUS PRÆTERMISIT; tunc illum*
 „ *habuisse sermonem, quem Matthæus interposuit, & LUCAS TACUIT,*
 „ *hoc est in Monte. Ac deinde cum descendisset in loco campestri,*
 „ *habuisse alterum similem, de quo MATTHÆUS TACET, LUCAS*
 „ *NON TACET, & utrumque sermonem eodem modo esse conclusum.*
 „ *Quod autem Matthæus isto sermone terminato, sequitur, & dicit.*
 „ *Et factum est cum consummasset Jesus verba hæc, admirabantur*
 „ *turbæ super doctrinam ejus: potest videri Discipulorum turbas*
 „ *dixisse, ex quibus duodecim illos Apostolos elegerat. Quod verò*
 „ *mon ait: Cum autem descendisset de Monte, secuta sunt eum*
 „ *turbæ multæ, & ecce Leprosus veniens adorabat eum: potest*
 „ *intelligi post utrumque sermonem factum fuisse, non solum quem*
 „ *Matthæus, verum etiam quem Lucas interponit. Neque enim*
 „ *apparet post descensionem de Monte, quantum temporis fuerit*
 „ *interpositum, sed hoc solum voluit significare Matthæus, post illam*
 „ *descensionem multas turbas fuisse cum Domino, quando Leprosus*
 „ *mundavit, NON QUANTUM TEMPORIS INTERFUERIT, præsertim*
 „ *cum eundem Leprosus Lucas jam in Civitate posito Domino,*
 „ *dicat esse mundatum, quod MATTHÆUS DICERE NON CURAVIT.*
 „ *Quamquam etiam illud posset occurrere in aliqua excellentiore*
 „ *parte Montis primò cum solis Discipulis Dominum fuisse, quan-*
 „ *dò ex eis illos duodecim elegit: deinde cum eis descendisse, non de*
 „ *Monte, sed de ipsa Montis celsitudine in campestrum locum,*
 „ *idest in aliquam æqualitatem, quæ in latere Montis erat, &*
 „ *multas turbas capere poterat: atque ibi sterisse, donec ad eum*
 „ *turbæ congregarentur. Ac postea cum sedisset accessisse propin-*
 „ *quius Discipulos ejus, atque ità illis, cæterisque turbis præ-*
 „ *sentibus, unum habuisse sermonem, quem Matthæus, Lucasque*
 „ *nar-*

Nota.

Nota.

Nota.

Nota.

„ narraverunt , diverso narrandi modo , sed eadem veritate ve-
 „ rum , & sententiarum , quas ambo dixerunt . Jam enim pra-
 „ monuimus , quod & nullo praemonente unicuique spontè viden-
 „ dum fuit : si quis praetermittat aliquid , quod alius dicat , non
 „ esse contrariam : nec si alius alio modo aliquid dicat , dum eadem
 „ rerum , sententiarumque veritas explicetur .

Uti sup. cap. 21.

Nota .

Et haud multò post . Sequitur Matthaeus , & dicit : Et
 cum venisset Iesus in domum Petri , vidit socrum ejus jacentem
 „ &c. Hoc quando factum sit , IDEST POST QUID , VEL ANTE QUID ,
 „ non expressit Matthaeus . NON ENIM POST QUOD NARRATUR ,
 „ POST HOC ETIAM FACTUM NECESSE EST , INTELLIGATUR . Nimi-
 „ rum tamen iste hoc recoluisse intelligitur , quod priùs omiserat .
 Nam id Marcus narrat , antequàm illud de Leproso mandato
 commemoraret ; quod post sermonem in Monte habitum , de quo ipse
 tacuit , videtur interposuisse . Itaque , & Lucas post hoc factum ,
 narrat de socro Petri , post quod , & Marcus . Antè sermonem etiam
 ipse , quem proluxum interposuit , qui potest idem videri , quem
 „ dicit habitum in Monte Matthaeus . Quid autem interest quis
 „ quo loco ponat , sive quod ex ordine inserit , sive quod omis-
 „ sum recolat , sive quod postea factum ante praecipiat : dum tamen
 „ non adversentur eadem , vel alia narranti , nec sibi , nec alteri ?
 „ Quid enim nullius in potestate est , quamvis optimè , fideliterque
 „ res cognitae , quo quisque ordine recorderetur , quid priùs , po-
 „ steriorisque homini veniat in mentem , non est ut volumus , sed ut
 „ datur : satis probabile est , quod unusquisque Evangelistarum eo
 „ se ordine credidit debuisse narrare , quo voluisset Deus ea ipsa ,
 „ quae narrabat , ejus recordationi suggerere , in eis duratè
 „ rebus , quarum ordo , sive ille , sive ille sit , nihil minuit aucto-
 „ ritati , veritatisque Evangelicae . Cur autem Spiritus Sanctus
 „ dividens propria unicuique , prout vult , & idèò mentes quoque
 „ Sanctorum , propter libros in tanto auctoritatis culmine collo-
 „ candos , in recolendo , quae scriberent , sine dubio gubernans , ac
 „ regens , alium sic , alium verò sic narrationem suam ordi-
 „ nare permiserit : quisquis pia diligentia quaesierit , divinitus
 „ adjutus poterit invenire . Hoc autem non est hujus operis mu-
 „ nus , quod nunc suscepimus tantùm , ut demonstraremus Evan-
 „ gelistas , neque sibi , neque inter se pugnare , quolibet ordine ,
 „ vel easdem res , vel alios factorum , dictorumque Christi unus-
 „ quis-

Nota .

„ quisque eorum potuerit , volueritve narrare . Quapropter , ubi
 „ ordo temporum non apparet , nihil nostra interesse debet , quem
 „ narrandi ordinem quilibet eorum tenuerit : ubi autem apparet ,
 „ si quid moverit , quod sibi , aut alteri repugnare videatur , uti-
 „ que considerandum , & enodandum est ; non eo prætextu quasi
 apocryphum conspuendum .

Et inferiùs . Et de illo , qui petit primum sepelire Patrem ut sup. cap. 23.
 „ suum , Matthæus , & Lucas omninò consentiunt . Quod enim
 „ Matthæus PRIMÒ EJUSDEM VERBA POSUIT , hoc est patrem suum
 „ sepelire petentis , ET DEINDE DOMINI DICENTIS : sequere me .
 „ Lucas autem PRIMÒ DOMINI DICENTIS : sequere me : ET DEINDE
 „ ILLIUS HOC PETENTIS : ad sententiam nihil interest . Commemo-
 „ ravit Lucas , & alium dixisse : sequar te Domine , sed primum
 „ permiſſe mihi renunciare iis , quæ domi sunt : De quo tacet
 „ Matthæus . Indè jam Lucas in aliud perrexit , non in illud ,
 „ quod ordine temporis sequebatur .

Ex quibus omnibus Augustini sententiis manifestum redditur , nil officere veritati , si in Martyris alicujus Historia , vel aliquod prætermisſum fuerit , quod in altera pariter ejusdem rei narratione includatur , vel si aliquid præpostero ordine positum offendi possit in uno Codice , vel ab uno Auctore , ac in alio : (non quidem , ut in Evangelistis , quorum unicujusque recordationi sicuti speciali quodam modo res suggestæ fuerunt , ità juxtà eundem modum ea quisque conscripsit) : sed quod ex oblivione , memoriæque defectu , rerum ordinem Actorum MM. Scriptor , immutare potuerit : vel si in concionibus referendis , aliquæ sententiarum omittantur ; vel si , quod priùs accidit , postea factum recolatur , & cœtera hujusmodi , quæ , ex appositis ejusdem Augustini verbis quisque educere poterit ; horum , inquam , nihil lædere veritatem , ità ut ex iis Historiam ipsam , quis ritè falsitatis coarguere possit .

Cœterùm prò duobus unum ponere , circumstantiam minimè spernendam , quis non novit ? Et tamen Augustinus , quo pacto id nullatenùs veritatem offendat , sic ostendit : *Quod Matthæus* (inquit) *duos dicit fuisse , qui legionem illam Dæmonum patiebantur , quæ in porcos ire permissa est , Marcus autem , & Lucas unum commemorant : intelligas unum eorum fuisse personæ alicujus clarioris , & famosioris , quem*

*De Conf. Evan-
gel. lib. 2. c. 24.
pag. 166.*

quem regio illa maximè dolebat, & pro cuius salute maximè satagebat. Et inferius.

Sequitur Matthæus. Et egredientibus eis ab Jericho, secuta est eum turba multa. Et ecce duo cæci sedentes secus viam, audiverunt quod Iesus transiret; & clamaverunt, dicentes. Domine miserere fili David &c. & usque ad illud, ubi ait: Et confestim viderunt, & secuti sunt eum. Hoc & Marcus commemorat, sed de uno cæco factum. Quæ ita solvitur quæstio, ut illa soluta est de duobus, qui legionem Damonum patiebantur in regione Gerasenorum. Nam duorum etiã cæcorum, quos modo interposuit, usum fuisse notissimum, & in illa Civitate famosissimum, ex hoc etiã satis apparet, quod & nomen ejus, & Patris ejus Marcus commemoravit.

*Lib. 3. cap. 16.
Pag. 194.*

Nota.

Et alibi de hoc eodem agens: *Quomodo ergo, sicut Matthæus dicit: Latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei. Vel sicut Marcus dicit. Et qui cum eo crucifixi erant, conviciabantur ei: quandoquidem unus eorum conviciatus est, secundum Lucæ testimonium, alter, & compefcuit eum, & in Dominum credidit: nisi intelligamus Matthæum, & Marcum cum breviter perstringentes hunc locum, pluralem numerum pro singulari posuisse? Sicut & in Epistola ad Hebræos legitur pluraliter dictum: Clauserunt ora Leonum, cum solus Daniel significari intelligatur. Et pluraliter dictum: Secti sunt: cum de solo Esaia tradatur. In Psalmo etiã, quod dictum est: Astiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum &c. pluralem numerum pro singulari positum, in Actibus Apostolorum exponitur: nam reges, propter Herodem, Principes propter Pilatum intellexerunt, qui testimonium ejusdem Psalmi adhibuerunt. Sed quia, & Pagani solent calumniari Evangelio, videant quemadmodum locuti sunt Auctores eorum Phædras, Medæas, & Clytemnestras, cum singula fuerint. Quid autem usitatius verbi gratia, quàm ut dicat aliquis, & rustici mihi insultant, etiamsi unus insultet?*

*Lib. 2. cap. 30.
Pag. 169.*

Nota.

Demum alibi demonstrans, quod id quod dictum, vel factum semel narratur, pluriès & dictum, & factum esse potuit. Sane rursus admonéo (scribit) quod oportet meminisse Lectorem, ne tali admonitione sapissime indigeat, aliis, atque aliis sermonum suorum locis Dominum multa iterasse, quæ alibi jam dixerat: ne forte ipsorum locorum ordo, cum vel ex alio
Evan-

» *Evangelista non convenerit alicui eorum, hinc patet esse contra-*
 » *rium: cum intelligere debeat iterum alibi dici, quod jam alibi*
 » *dictum erat: nec tantum de dictis; verum etiam de factis obser-*
 » *vati debere. Nihil enim prohibet hoc idem iterum factum crede-*
 » *re: calumniari autem Evangelio, dum non credit iterum factum,*
 » *quod iterum fieri non potuisse, nemo convincit, sacrilega vani-*
 » *tatis est.*

Et haud multò post: *Cum enim & apud unum Evange-*
listam inveniantur quadam, quæ bis dixerit Dominus: sicut &
apud eundem Lucam, de non tollenda pera in via, & similiter
 » *ceteris duobus locis dictum à Domino invenitur: Quid mirum*
 » *si & aliquid aliud bis dictum est?*

Nihilominus hæc omnia, & fortè sæpe longe minora, quibus ipsam Evangelicæ Historiæ veritatem minimè lædi potuisse tam disertè Augustinus ostendit; exquisitissimum Pseudo-Censurorum nostrorum ingenium in percurrendis Sanctorum Martyrum Actis adedò offendunt, quod illa, uti adulterina, vitiata, & corrupta conspuere non vereantur; ita ut ab iis, à quibus verbum Dei, verbum veritatis offendi nequit, verba hominum depravata deplorent. Vel levissima siquidem circumstantiæ unius immutatio, vel ordinis, vel temporis perturbatum aliquid, tam immane crimen apud eos existit, ut nec potuisse imperitè scribere, qui Acta Martyrum scripserunt, nec alium ordinem tenere, nec illa silentio præterire, quæ ipsi comperta habere voluissent, nec aliis uti verbis, quàm iis, quorum scientia ad illos pervenit, mordicè contendant; & nisi ad hanc eorum pseudo-censuram cuncta referantur, MM. Acta omnia, vana sunt, commentitia sunt, ficta sunt. Debuissent sanè, magis, quàm à prophanis Scriptoribus, à quibus tam perfectas, tam exactas, tam puras historiarum conscribendarum regulas didicerunt, Evangelicæ historiæ simplicitatem scrutari, (quam præ manibus semper habuisse præscos fideles existimandum est), atque illius scribendi rationem, illius ordinem, illius modum, Actorum Martyrum Scriptores magis sectatos fuisse censere, & hinc elicere eos crimen minimè credidisse, quod in sacris paginis crimen non esse noverant. Verùm de his meliùs inferiùs, cum de singulis suo loco agetur; interim generatim hæc dicta sufficiant.

V

C A-

Lib. 2. cap. 32.
 pag. 169.

Nota:

CAPUT XVI.

Acta Martyrum Proconsularia, aliis omnibus fideliora, integrioraque habenda non esse demonstratur; adeòque, quæ ejusmodi non sunt, semper sunt rejicienda.

AD è multiplicibus rationibus, seu potiùs cavillationibus cum sigillatim ferè cuncta rejecerint Pseudo-Ceufores Sanctorum Martyrum Acta; nunc tandem videndum, an aliqua sint, quæ tam rigidum eorum judicium impunita dimiserit. Et quidè extant, licet per pauca, eaque esse (ut ex Baronio audisti) pronunciant, quæ à Fidei hostibus scripta, & in publica relata sunt Proconsularia monumenta. Quæ igitur ab illis sic exarata, & à nostris deindè exscripta, veneranda prodit antiquitas, post tot scripturarum naufragia, facie pura, sincera, & decora sunt: illa eadem à veritatis cultoribus cupidè amplectenda, atque avidius osculanda, decernunt. Tantam verò Proconsularibus his Actis auctoritatem Baronius ipse, ac Pseudo-Critici hodierni attribuunt, ut reliquorum omnium Martyrum res gestas, vel quæ perierunt, vel quæ corruptæ, atque aliter depravatæ sunt, in horum imagine contemplandas velint. Hinc est, quod eò rem processisse, haud rarò ipsi audivimus, ut reliqua omnia Martyrum Acta, quæ Proconsularia non esse censeant, falsa prosùs deputanda judicent, interque, saltè, interpollata, atque commentitia rejiciant.

Potissimum Proconsularium Actorum, ut ità dicam, hujus infallibilitatis argumentum, ex duobus desumi animadvertimus; quorum alterum est, quod adeò execrandum esset in publicis tabulis falsum quid scribere, vel ex eis aliter, ac scripta essent, recitare, ut hoc ipsum crimen primo capite legæ Majestatis (ut Ulpianus tradit) includeretur. Acta igitur Martyrum, quæ sic in publicis tabulis relata fuissent, adeò pura, ac sincera censenda sunt, ut falsitatis alicujus notam in ea irrepisse, vel cogitare, nefas putent.

Baron. Ann. 290.

Al-

Alterum verò, quo primum astrui videtur, ac comprobari, ex autoritate Poncii S. Cypriani Diaconi, qui ejusdem Passionem conscripsit, educitur: ait enim. *Et quid Sacerdos Dei, Proconsule interrogante responderit, taceam: sunt Acta, quæ referant.* Nempè Acta Proconsularia; de quibus loquimur, ad quæ tutò quæcumque dicere debuisset, Poncius rejecit, quod purissimè, ac sincerissimè exarata, absque ulla hæsitacione compertum haberet.

Apud Baron. de
Martyrolog.
cap. 1.

Verùm, licèt maximi ponderis argumenta hæc videantur, ad eorundem Proconsularium Actorum fidem asserendam; nihilominus longè imparia censenda esse ad comprobandum, quod Pseudo-Censores adstruunt, fateri ea necesse est. Ex eo siquidem, quod ipsi educere contendunt, aliquid nempè nequaquam factum fuisse quoniàm lege prohibebatur, ne fieret, quis non videt, nullatenus suaderi posse, quod dicunt? Aliud est enim legem aliquid prohibere, aliud ex ea legis prohibitione aliquid factum, vel non factum probare posse. Si enim ex eo, quod fieri non debuit, quia vetitum fuerat, educas, etiam non factum; igitur de ligno Paradisi Adam non edit, quia edere ei prohibitum fuit: ergò David mæchatus non est, quia vetitum scivit; nec Salomon alienigenas mulieres admavit, nec fana Idolis construxit, quia inhibitum extitit. Et ut, à divinis legibus, ad humana judicia transitum faciamus: cum gravissima capitis pœna imposita secularibus etiam legibus sit, furibus, homicidis, perduellibus, aliisque hujus furfuris hominibus, qui vel unum ex his sceleribus admittant: ex hoc tamen, quis adeò vecors est, ac mente captus, qui educere queat, horum criminum nullum in Civitate, ac Republica, vel committi posse, vel ab eo tempore, quo contrà hujusmodi facinora leges sunt latæ, ea patrata non fuisse? Certè per Moysen sancitum fuit. *Si steterit testis mendax contrà hominem, accusans eum pravaricationis; stabunt ambo, quorum causa est antè Dominum in conspectu Sacerdotum, & Judicum, qui fuerint in diebus illis. Cumque diligentissimè perscrutantes, invenerint falsum testem dixisse contrà fratrem suum mendacium; reddent ei sicut fratri suo facere cogitavit, & auferes malum de medio tui; ut audientes ceteri timorem habeant, & nequaquam talia audeant*

Genes. 2. v. 16.

Reg. 2. 11. v. 4.

Reg. 3. 11. v. 14.

Deuter. 19. v. 16.

*Daniel. 13. v. 34.
Matth. 26. v. 60.*

deant facere: Non misereberis ejus, sed animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede exiges. Et nihilominus falsò accusatam Susannam non legimus? Et contrà Dominum Redemptorem nostrum multos falsos testes accessisse, non reperimus?

Extabat igitur lex prohibens, ac diffictissimè vetans, nè in publicis tabulis falsum quid scriberetur, vel ex scriptis in eis, aliter, ac scripta essent, recitarentur; & ex ea severæ legis sanctione, rationabiliter Poncius credendum Proconsularibus iisdem Actis, existimavit; quod fortè, nec Judicem, nec illius Ministros, qui ea exarassent, tam adverso animo in Cyprianum fuisse cognoverit, ut additis falsitatibus, causam illius deteriore reddere voluisset prudenter existimaverit. Sed quid hoc cum cæteris Actis, vel ab aliis scriptis, vel malevolo in Christianos animo exaratis? Cur fieri non potuit, ut in Martyrum quæstionibus, falsa pro veris conscripta fuerint; cum præfertim, & hoc inter fideles, repugnantibus, licèt, ac prohibentibus divinis, ac humanis juribus, haud semel accidisset, ac passim accidere in aperto sit, Judicibus, ac Ministris eorum, vel muneribus corruptis, vel odio, aut amore in injustitiam actis?

Hinc haud satis nos intelligere, ingenuè fatemur, cur hæc Proconsularia Acta, aliis fideliora, magisque integra habenda sint; (fidelia enim, ac integra esse piùm est credere, ac credimus), sed cæteris fideliora censenda esse, quæ à fidei hostibus scripta sunt, mente vix consequi valeamus. Cum enim perspectum sit, nil aliud studuisse Gentiles, quam ut innumera crimina Christianis mendaciis intenderent; quapropter apud Minutium in Octavio: *Occultis se notis (legitur), & insignibus noscuntur, & amant mutuo penè antequàm noverint: passim enim inter eos quadam libidinum religio miscetur, ac se promiscuè appellant Fratres, & Sorores, ut etiam non insolens stuprum, intercessione sacri nominis fiat incestum; ità eorum vana, & demens superstitio sceleribus gloriatur. Nec de ipsis, nisi subsisteret veritas, maxima, & varia, & honore præfanda sagax fama loqueretur. Audio eos turpissimè pecudis caput Asini consecratum, inepta, nescio qua, persuasione venerari; digna & nata Religio talibus*

*Minuc. Felix in
Oliv. p. 244.*

moribus : alii eos , ferunt , ipsius Antistitis , & Sacerdotis colere genitalia ; & quasi parentis sui adorare naturam . Qui hæc , inquam , & immania alia scœlera Christianis tribuere solemne habuere : immò , qui de singulis calamitatibus , quæ universo Orbi accidissent , Christianos per calumniam insimulare consueverunt . Prætexentes sanè (inquit Tertulianus) ad odii defensionem illam quoque vanitatem , quod existiment omnis publicæ cladis , omnis popularis incommodi Christianos esse causam : si Tyberis ascendit in moenia ; si Nilus non ascendit in arva : si Cælum stetit , si terra movit : si fames , si lues : statim Christianos ad Leonem acclamatur . Hujusmodi demùm homines , superstitione improbos , odio in furorem converso , præcipites , æffrenatos ; veritatem , à qua abhorrebant , & justitiam , cujus dumtaxat gerebant speciem , in solis Proconsularibus Actis , cordi habuisse , haud facile animum inducemus , ut credamus .

*Tertull. Apolog.
advers. Gens.
de Discipl.
Christ. c. 39.
pag. 225.*

Credibile tamen est eas sectatos esse , aliqua saltem humanæ legis formidine , cum præsertim Martyrum hujusmodi haberentur quæstiones , vel apud Judices , qui haud malè ergà Christianos affecti essent , vel eorum Principum ævo , quibus Christianorum laniena non satis placuisse , perspectum esset . At non ex hoc puriora , fideliora , ac veriora cœteris , censenda Proconsularia Acta putamus ; sed eo ordine dumtaxat ponenda , in quo cœtera , Augustini doctrina freti , collocavimus , quod videlicet vera sint , ità tamen ut falsa , & commentitia , uti cœtera , esse possint .



CA-

CAPUT XVII.

Omnia Martyrum Acta necnon Ecclesiam injuria afficere ostenditur, qui aliis sola Proconsularia præsert.

Quanam fuerit Notaria ars, unde Notarii, qui Acta Martyrum præcipuè monumentis tradidisse censentur.

ET quidem solemnem injuriam irrogasse convincitur tot, tantisque insignibus Martyrum Actis, ab universali Ecclesia semper receptis, (uti nempe, inter alia sunt, quæ à Dionysio Alexandrino, & in Epistolis à Smirnenſi Ecclesia ad Lugdunensem scriptis, referuntur); qui Proconsularia Acta cœteris præponenda pronunciavit; cum præsertim sapientem, ac veritatis amatorem nil movere debeat, ut ostendimus, quod res, & Martyrum verba, his potius vocibus, quam aliis, vel hoc ordine, vel altero, salva sententiarum, ac rerum veritate, relata sint. Ex quo illud etiam inferitur, parum, vel nihil referre, an hic, vel ille scripserit, vel ab aliis scripta, & accepta aliis ipse verbis, alio ordine dixerit.

Sed quod majus, est, qui sola Proconsularia Acta, sincera existimat, Dei Ecclesiam, magis etiam, quam cœtera MM. Acta convincitur gravissimè vulnerare. Si enim ipsa Proconsularia tantum, præ cunctis, fuerunt sincerè exarata: si, è contrà, quæ hujusmodi non sunt, eò quod in verbis; vel periodo superfluant, pura minimè censenda sunt; manifestum est trium priorum seculorum priscos fideles, sanctos, licet, eximiosque veritatis amatores, nec rarè eruditissimos, eò tamen pervenire nunquam potuisse, ut ea, qua decebat, sinceritate, purissima, quam recentes Pseudo-Censores exquirunt, Sanctorum gesta litteris commendarent. Quapropter fatendum erit Omnipotentem Deum, quamvis innumerabilibus monilibus Ecclesiam suam decoraverit, & miraculorum gloria, aliorumque Cœlestium charismatum, & inter ea, etiam Linguarum dono cumulaverit; tamen, ex his, illud unum ei sub-

subtrahere, aut non concessisse, quod scilicet Christiana aliqua lingua, & hinc Christianus aliquis calamus, sincerissimam veritatem scripto consignare, aut non posset, aut nesciret; solis Ethnicis, Idolorumque cultoribus præclaro eo munere insignitis. Hujus autem ratiocinationis ratio in promptu est; cum enim Ethnici tantum Sanctorum, ut diximus, quæstiones stylo exciperent, & præfata Proconsularia Acta exararent; & ista quibuslibet aliis à quovis conscriptis Actis puriora, magisque sincera habenda sint, itaut semper auctoritas Proconsularium omnibus supereminere debeat; quis non videt Christianis Scriptoribus, & quod magis est, in re ipsa Christiana, Gentiles præstantiores fuisse, neque veritatem ita fideles assecutos esse Christianarum rerum, ut eorum authoritas cum ea Idololatorum conferri possit, quibus dumtaxat hoc donum divinitus concessum fuerit, ut venerabilis nostræ religionis monumenta fidelissimè scripta traderent? At si res ita se haberent, fatendum utique esset, Catholicam Ecclesiam in veritate radicatum, & fundatam, ex hodiernorum Censuræ principii, non dicam Sinagoga, sed ipsis Dæmonum cultoribus deteriores evasisse, cum ipsis suorum Heroum gesta narrantibus creditur, ac non nisi vera referre putantur: Ecclesiam vero, nec proprios habuisse Conscriptores, qui vera dicerent, nec ita veraces quos habuit fuisse contenditur, quin eis veraciores, multoque fideiorem Ethnicos extitisse adstruatur.

Hæc autem si vera essent, quod videlicet Omnipotens Deus, cujus judicia sunt abyssus multa, & inscrutabiles viæ, Ecclesiæ suæ idoneum fidelem neminem, cujus scripta ad nostra usque tempora perventura essent, concedere voluerit, ad conscribenda MM. suorum gesta, ea sinceritate, ac integritate, qua Ethnici tantum ea proficere poterant: cur saltem tantum luminis tot Summis Pontificibus, Sanctisque Episcopis impertiri dignatus non est, ut quod fieri non poterat, agnoscerent, intelligerentque se frustra velis, remisque contendere in opus, quod perficere non valebant; ut tandem cogitatione hujusmodi, studioque abjecto, conscriptioni Actorum MM. Notarios certos attribuere prætermitterent, quos licet eximios, numquam tamen Acta
ipsa

ipsa excepturos esse scirent, qua decebat fidelitatem, et veritate, qua Gentilibus tantum datum erat, ut ipsa exarent, nobisque traderent?

Quinam verò fuerint, qui Martyrum Acta scripto demandaverint, nunc inquirendum. Sed prius dicendum aliquid de Notaria arte, ex qua Notarii, quos inter præcipuos Actorum Martyrum Scriptores recensere pluribus placuit.

Notas appellamus (inquit Lipsius) Scriptura quadam compendiosa, cum verba non perscribimus, sed signamus: celeritati, & excerptioni repertas. Ipse, qui hoc facit Notarius dicitur. Glossæ [Notarius ταχυγράφος, VELOX SCRIPTOR, à fine. Suidas: Notάριος ὑπογραφεύς; quasi dicas EXCEPTOREM, ab usu.] Hinc Ausonii quadam Epigraphe: [Ad Notarium velocissimè scribentem.] Augustinus de Doctrin. Christian. [Ex eo genere sunt etiam Nota, quas qui didicerunt, propriè jam Notarii appellantur.] Itaque duplex apud veteres scribendi ratio: Scriptura, & Notaria: illam καλλιγραφίαν, hanc ταχυγραφίαν, dicebant. Scriptor aliquis apud Suidam de Origene illo Græcia stella, utinàm non caduca: Ἀμβρόσιος, inquit, πολλὰ ἱκετεύσας, ἢ παραβιασάμενος, ἢ ταχυγράφος αὐτῷ παραστήσας ἔπειτα, καλλιγράφος δὲ πλείους, ἐμνηστῆσαι αὐτὸν τὰς θείας γραφὰς πεποιήμε. [Ambrosius (quidam inter potentes) multa eum orans, & adigens, & septem ei Notarios, plures Scriptores alios apponens, commentari eum sacros Libros curavit.] Fulgentius, & has intellexit. [In omnibus artibus, sunt primæ artes, sunt secundæ; ut in puerilibus litteris prima est Abecedaria, secunda Notaria.] Rationem scribendi per litteras, ut faciliorem primam discebant, tàm istam. In Svetonio huic sensui jam olim emendavimus. [Nepotes, & Litteras, & NOTARE (sive Notariam), aliaque rudimenta per se, plerumque docuit: ac nihil aequè laboravit, quàm ut imitarentur Chirographum suum. Vulgò quidem NATARE scribitur, & defendunt alii: sed rem, & textum Svetonii, qui attendet, nisi prævi pervicax est, ad me ibit. Sic Lipsius de Notis, mox de Notariis subjungit.

*Sed, Notarum istarum (inquit) quis primus Auctor?
Ego*

*Just. Lips. tom. 2.
Epist. Cent. 1.
ad Belg. Epist.
27. pag. 211.*

*D. Aug. de Doctr.
Christ. lib. 11.
cap. 26.*

August. cap. 24.

Ego libenter Græcis gloriam dederim, & nominatim Xenophonti Philosopho, & Historico, de quo Diogenes: ἡ πρώτη ὑποσημειώσασμαι τὰ λεγόμενα εἰς ἀνθρώπους ἡγάγη: [Primas Notis excipiens dicta (Socratis) in lucem, hominesque protulit .] At Latini ad se trahunt, de quibus ita Isidorus: [Vulgares Notas Ennius primus mille, & centum invenit .] Appellat VULGARES, ut à JURIDICIS, & MILITARIBUS, de quibus subjicit, distinguat: & quia hæc in communissima usu. Sed ita nè Auctor Ennius? nusquam lectum, & ipse Isidorus mox abnuir: [Romæ primus Tullius Tiro Ciceronis libertus commentus est NOTAS, sed tantum propositionum. Post eum Tertius Persannius Phibargyrus, & Aquila Mecænatiss libertus alius, alias addiderunt: deinde Seneca (patrem puto intelligi) contracto omnium, digestoque numero, & aucto, opus effecit in quinque millia .] Quis hic ille Tertius? nullus in libris scriptis, quos ego vidi, & vox abest. Itaque legam. [Post eum Persannius:] & idem nomen supra reponere ausim: [Vulgares notas Persannius primus] non autem Ennius. Ita dicat istum reperisse primum tali numero NOTAS: etsi paucas antea Tiro Tullius, & ut addit (si ea quoque verba sincera) præpositionum tantum: neque enim commodè hic ingero, aut digero præpositiones: tu juvabis, si potes. At Plutarchus Ennium quoque rejicit, & magis pro Tirone est; nam scribit in Catone Uticensi. [Unam ejus Orationem prostare, exceptam Ciceronis opera, qui in Curia celerissimos Scribas disposuerat, prædictos Notis, & signis uti .] Addit deinde: Οὐπω γὰρ ἤσκησαν, ἕδ' ἐπέκλυτο τὰς κωλυμένους σηµιογραφίας: [Nondum enim instituerant, neque habebant Notarios dictos .] Sed magis hoc clare Eusebius: [M. Tullius Tiro, Ciceronis Libertus, primus Notas commentus est .] Dionem Cassium mente refragari istis non arbitror, etsi pendè verbis; nam scribit, & laudat inter alia Mecænatem: Ὅτι πρώτη σηµαία τινὰ γραµμάτων πρὸς τὰς ἐξῆς: [quod primus notas quasdam ad celeritatem scribendi invenit .] Non herclè primus omnes, sed quasdam ex iis, & auxit. Imò reverà, nec Cicero, nec ipse, sed Liberti eorum, ut ex Isidoro clarum: etsi Plutarchus, & Dio patronis attribuerunt. Seneca noster magis ingenuè: [Quid loquar verborum NOTAS, quibus quamvis citata excipiatur

Lib. i. cap. 21.

Euseb. in Chron.
nic.

Senec. Epist. 90.

oratio? vilissimorum mancipiorum ista commenta sunt.] Tironis, Persanni, Aquila, Libertorum, aut Servorum. Hac inventio, propagatio, auctio.

Ab his Lipsii parùm differunt, quæ habet Baronius; at de usu Notarum hæc ipse Lipsius subjungit.

ibi. ut sup.

Quis usus? duplex, publicus, & privatus Isidorus suggerit: [Notarum usus erat, ut quidquid pro concione, aut in judiciis diceretur, Librarii scriberent complures simul adstantes, divisim inter se partibus, quot quisque verba, & quo ordine exciperet. Ait fuisse complures simul: quod necessam, ubi citata, & longa Oratio, neque unius mens, aut manus suffecisset. Ait ADSTANTES: at liber scriptus ADDENTES, ex quo possit AUDIENTES. Ait denique divisisse partes, & verba; idest, ut primus sex prima verba pro exemplo, secundus sex altera, tertius tertia: aut tali divisione, & postea simul juncti, & conferentes, membris infitis orationem explerent. Ac plurimum ita fuerit, certiusque ita fuerit: arte tamen adaucta, nihil ambigam, vel unum suffecisse. Igitur publicè hic usus, orationes, ac dicta excipere, ac pro vulgare. Ità Asconius tradidit orationem Ciceronis pro Milone, ipsam quam dixerat (nam hodierna hæc scripta modo est) exceptam fuisse, quæ suo tempore extaret. Et Fabius queritur (notandum hoc, quo ea, quæ superiori capite diximus evidentissimè comprobantur) ORATIONES ALIQUOT SUAS CIRCUMFERRI, NEGLIGENTIA EXCIPIENTIUM IN QUÆSTUM NOTARIORUM CORRUPTAS. CULPAT NON DE FACULTATE, SED DE INTENTIONE: ET QUOD TANTUM IN QUÆSTUM, NON FIDEM EXCEPISSENT. Factum idem in Actis Judicialibus, & documento, hodièque aliquot Christi Martyrum; in quibus omnia verba ultrò, citroque dicta referantur. Ulpianus hac occasione censet: [eos qui Notis scribunt Acta Judicum, Reipublicæ causa videri abesse.] Ammianus Judici assistentes hinc inde Notarios facit. Manlius de Jurisprudente.

Hic etiam Legum tabulas, & condita verba

Noverit, atque NOTIS levibus pendentia verba.

Quid crebrò scilicet earum ibi usus; quod tamen Justiniano displicuit, ob causas: vetuitque per signorum captiones, & compendiosa ænigmata Codicis sui textum conscribi. Id de publicis Notariis, mox de privatis Lipsius subjungit.

Pri-

Privatim plurimus (usus), sive in Epistolis, Orationibus, scriptis aliis subito dictandis: sive in excipiendo statim, & sine jactura magna lectionis, adnotando. Plinius minor de Majore: [Semper ei etiam in itinere Notarium ad latus fuisse, cum libro, & pugillaribus.] Idem de se alibi. [Notarium voco, & die admissio, quæ formaveram, dicto.] Quis neget grande in eo commodum? & quod calor, vel intentio distantis mora non tepescit, aut frangitur? Hodie si in lectionibus publicis, ubi dictatura regnat, usurpetur: quanto bono, & quo temporis favore fiat? Nam mira hic in excipiendo celeritas: quæ finis, & fructus propriè bujus inventi. Celeritas, inquam, tanta, ut [quamvis citata (verba Senecæ) excipiat oratio, & celeritatem linguæ manus sequatur.] Quid sequatur? imò præveniat: & ita Martialis in lemmate, Notarius.

Plin. lib. 3. Ep. 5.

Epist. 90.

Currant verba licet, manus est velocior illis:

Nondum lingua, suum dextra peregit opus:

Manlius de eodem:

Quique notis linguam superet, cursumque loquentis.

Ausonius ad suum Notarium.

Tu sensa nostri pectoris

Vix dicta jam ceris tenes

Tu me loquentem prævenis.

Et addit pulchrè:

Quis quaeso, quis me prodidit?

Quis ista jam dixit tibi,

Quæ cogitabam dicere?

Idèd [furta verborum (Hieronymus dixit) extemporalis est dictatio, & tante od lumen lucernula facilitate profusa, ut Notariorum manus lingua præcurreret, & signa, ac furta verborum volubilitas sermonem obrueret.] Furta, inquam, vel quid eripiunt, & præripiunt verba: vel etiam quid tegunt, & compendio quasi clepant. Sed quid, aut quales fuerit igitur inquires. Communiter possum dicere, videri duplices fuisse, LITTERAS, ET SIGNA; Litteras ut cum una aliqua hoc, aut illud verbi notat P. PUBLIUS: eadem PUPILLUS: eadem inversa PUPILLA. Item C. CAJUS: conversa J. CAJA: & quæ talia passim in libris, aut monumentis. Sed cum ea pauca essent, Signa reperta, plerisque verbis notandis: quidni plerisque? cum ad quinque millia fuisse à Seneca supra dictum?

De vitand. su.
p. spic. convub.

Lib. 6. de honor.
possess.

Lib. 9. Epist. 9.

in Casone

Cod. de utr. Jur.
et. clean.

Prud. Hym. 9.

Ea autem alia quadam, & minuta facie, ut jure à litteris distinguantur. Jurisconsultus: [*Notis scriptæ tabulæ non continentur editto, quia Notas litteras non esse Podius scribit.*]

Sidonius. [*Tribuit, & quoddam dictare celeranti Scribarum sequacitas saltuosa compendium, qui comprehendebant SIGNIS, quod litteris non tenebant.*] Signa igitur, & parva, atque ita Plutarchus notificat: σημεῖα ἐν μικροῖς ἢ βραχίσι τύποις πολλῶν γραμμάτων δύναμιν ἔχοντα: [*Signa in parvis, & brevibus figuris, multarum litterarum vim includentia. Ausonius PUNCTA appellat.*

Punctis peracta SINGULIS,
Ut una vox absolvitur.

Et bene singulis: undè, & sic appellarunt Justinianus in Constitutione Græca: Σημεῖος ἐν τῇ γραφῇ ἀπὸ Σίγγλας καλεῖται: [*Notis in scriptura, quas SINGULAS appellant.*] Sed de PUNCTIS etiam Prudentius, de Cassiano Martyre doctore ejusce artis:

Præfuerat studiis puerilibus, & grege multo
Septus Magister Litterarum federat,
Verba NOTIS BREVIBUS, comprehendere multa peritus,
Raptimque PUNCTIS dicto præpetibus sequi.

Et addit eum damnatum, & adjudicatum ipsis pueris, qui stilis foderent, ac conficerent imitatione illius artis. Itaque clamant.

Reddimus ecce tibi, tam MILLIA MULTA notarum,
Quam stando, flendo, te docente excepimus
Pangere puncta libet, sulcisque intexere sulcos
Flexas catenis impedire virgulas.

Ex quibus videas, & PUNCTA fuisse, & LINEAS, & FLEXURAS, ac CATENATIONES. Nec plura reperi. Ajunt libros abbi in Bibliothecis extare harum Notarum: cur non edunt? quanto utilius, quam nugas quasdam hodie, atque heri natas? Enim verò periisse utilissimam (ita censeo) artem dolendum est: & reparabilem tamen, si libeat admitti. Sinenses, hodieque characteres habent, quibus tota verba signant: sed operosos ferè, aut implexos. Expeditius aliquid oporteat; & credam à sagacibus viris, in paucis diebus repertum ire, si jubeantur. Hucusque disertissimè Lipsius de Notariis, Notis, earumque

in-

inventione, & usu. Quibus addere placuit, quæ Joannes de Pineda scripsit.

Tertia (ipsius sunt verba) *item alia Sopheritica scientia legendi, & scribendi valde arcana esse potuit apud Scribas (nempe Hebræorum) per singulas consuetas dictiones simplices, arcanam aliquam intelligentiam, & sensum significando, eruendo, exponendo, quale videtur fuisse illud Danielis 5. 25. (licet hoc non scientia humana, sed revelatione Divina intellectum fuerit à Daniele)* MANE, THECEL, PHARES: *licet enim Chaldaicè, aut Hebraicè scriptæ fuissent in pariete dictiones illæ tres, ut censet noster Pererius: tamen dicitur: [Kaldeos, Magos, & Aruspices legere non potuisse;] quia nescierunt interpretari, aut legere cum intelligentia verborum, certam aliquam ex ipsis verbis sententiam exprimendo: aut connectere, & copulare partes, ad certum aliquem sensum eliciendum. Quod aperte indicat, quod scribitur apud Danielelem: [Hæc est Scriptura, quæ digesta est.] Septuaginta. HÆC EST SGRIPURA ORDINATA. Potuit itaque esse compendiosa aliqua hujusmodi apud Scribas scientia legendi, & scribendi, & cum certo ordine dictionis disponendi ad arcanum aliquem sensum.*

Joan. de Pineda
lib. 3. de reb.
Salom. c. 13.
pag. 990.

Sed an præterea quartâ alia arcana litterarum hieroglyphicatum, aut insolentium notarum scientia, Scribæ pollerent, in quam singulæ extraordinariæ figuræ, & litteræ, singulas dictiones, aut nomina, significarent; quale hodiè dicitur esse Alphabetum Sinarum, & antiqua illæ Romanorum veterum NOTÆ &c. An inquam fuerint similes Notæ, & Cifræ aliqua apud Hebræos, & eorum Sopherim, & Scribas, non constat. Sanè nonnulla hujus rei vestigia dicuntur esse in libris, quos Magi Salomoni supponunt, quos vocant ANNULUM, AUT CLAVICULAM SALOMONIS; qui toti portentosis characteribus scatent: & aliqua etiàm apparent in sacris; nam eò videtur pertinere illud Ezechielis [Signa Thau super frontes.] Ille enim character, qui non est, ut videtur ex Alphabeto Hebraico, erat signum salutis; etsi fortè illæ apud Danielelem, erant extraordinariæ, & insolentes aliqua Notæ parieti impressæ. Atque ad eandem Scientiam Notarum, videtur pertinere illud Apocalypsis c. 13. 16. 17. [Character peculiaris aliis, & numerus bestię est hoc intelligentia.]; nam etiàm Cabalistsæ, Pythagorici, ac Platonici, per numeros, tamquam per NOTAS, scribebant arcanè, & mysticè.

Ezech. 9.4.

Cum

Cum quo facit, quod idem verbum originale SAPHAR, significat scribere, & numerare. Denique hujusmodi videtur liber ille *Iſaia* 29. 12. [Sicut verba libri signati, quem cum dederint scienti litteras, respondebit, non possum: signatus est enim]; quod quamvis communem aliam legendi rationem per communes litteras sciat, tamen, nisi arcanam NOTARUM ARTEM calleat, non poterit intelligere. Quae ratione videtur exponere *Origenes Homil.* 13. in *Numeros*: [Signatus (inquit) dicatur liber pro eo, quod figuris perplexus est, & enigmatibus involutus.] Figuras enim, & anigmata appellat notas, & characteres reconditae significationis, & forsè illud *Danielis octavo* 26. [Signa visionem] ut jubeatur scribere Prophetiam, sed notis arcanis. Cujusmodi videtur etiam fuisse liber *Apocalyps.* 5. qui erat in dextera sedentis, signatus sigillis septem: quasi septem characteribus arcana quaedam mysteria continentibus &c.

Atque hæc de legendo, & intelligendo NOTAS sacras; nam de scribendo per easdem, videtur illud *Psalmi* 44. 2. [Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis], aut quod idem est scribæ velocis, & scribentis per NOTAS &c. Et haud multò post *Manili* hæc profert carmina de fœlice scribæ.

*Manil. Astro-
nom. lib. 4.*

Hic & scriptor erit fœlix, cui littera verbum est.
Cumque notis linguam superet, cursumque loquentis.
Excipiens longas nova per compendia voces.

Mox addit.

Idem quoque de se *Psalmodographus*. Non aliter cum loquor, mysteria loquor, in singulis verbis singula delitescunt sententiæ, & mysteria; & eodem brevissimo spatio temporis non pauciora attingit lingua mea, quàm *Notarii calamus*. Atque adeò *Paulus* rem scribendi per NOTAS ad sermonem per brevissima, & arcana symbola transulisse videtur, cum *1. Corint.* 1. 19. ait: Verbum Crucis aliis sonat stultitiam, aliis sapientiam, & virtutem Dei. Quare cum Scribæ, qui NOTAS se arcana significationis intelligere profitebantur, *Mysterium Crucis*, & figura illius abjectissima non intellexerunt, illos ridet: [Scriptum est enim; Perdam sapientiam sapientum, & prudentiam prudentum reprobabo. Ubi sapiens? Ubi Scribæ?] An, inquam hæc efficiant Scribæ *Hebræorum* peculiarem aliquam NOTARUM artem calluisse; mihi non liquet. Ided aliis judicandum in medium relinquo; illud satis ad rem presentem fuerit, Scribarum munus

nus, & scientiam scribendo, ac legendo, quæ, & scribere, & legere difficillimam erat, contentam fuisse. Sic ille, nosque satis de his.

CAPUT XVIII.

Notarii, qui Acta Martyrum conscripserunt, tam Ethnici, quam Christiani. Christianis quibusdam Notariis, id muneris à Summis Pontificibus demandatum. Notariis aliis minimè vetitum, ne Acta Martyrum conscriberent. Hinc inter se collata Acta MM. persæpe non coherere videntur, utpotè à pluribus Notariis exarata. Summa in notando difficultas, ordinis, ac historicarum aliarum varietatum causa. Notarius, non semper disertus Historicus.

QUIGITUR Notaria, de qua scripsimus, arte pollebant, Acta Martyrum, sive hac, sive alia ratione adnotata excipere consueverunt. Ethnici quidem illa, quæ intrâ cancellos, obducto velo dicebantur, quibus ex publico munere demandatum erat, ut ea scriberent, & inter publica Acta referrent. Christianis verò, ut vult Baronius, quæ extrâ Cancellos cum Martyribus agerentur, vel dicerentur. In Ecclesia autem Romana Pontificum iussu id factum ipsemet his verbis asserit: *Sed à Clemente Papa primum magna diligentia curatum fuit, ut à septem Notariis per regiones Urbis divisim, gesta Martyrum scriberentur. Deinde Fabianus Papa, qui successit Antero, ut magis, magisque historiae veritati consultum foret, septem Notariis huic operi adscriptis, qui Acta Martyrum integra exciperent, septem præfecit Subdiaconos. Porro Notariorum opus fuisse existimamus, ut non ipsa tantum Acta, cruciatus nempe, ac sæpius repetita tormenta describerent, sed etiam quæcumque iidem Sancti Martyres locuti essent, dum caperentur, ac publice torquerentur: quæ item ad supplicia ducti fuissent inserlocuti, memoria commendarent. Sic ille.*

Baron. An. 238.
10.1. pag. 394.

Verum, quod à Pontificibus sanctissimè constitutum fuit,

fuit, ut à Septem, videlicet, Notariis, sic Martyrum gesta monumentis traderentur; nil impedit quò minus existimari queat, præter Notarios, quibus id muneris demandatum erat, alios etiã fideles idem facere potuisse. Cum enim hæc scribendi ratio ars esset, quã passim quisque pollere poterat, & vicissim summo erga Sanctissimos Martyres amore fideles flagrarent; quisquis eorum ea præditus esset, eundem cuncta excipere, quæ circa ipsos agebantur, sollicitum fuisse, credere, à veritate alienum videri minimè potest. Præterquam quod, quis credet in frequentissima Urbe, ac in tali, tantaque, quæ aliquando sæviebat, Christianorum lanæna, Septem dumtaxat Notarios, innumera plene Martyrum certamina excipere potuisse; ideoque id operis, vel aliis non fuisse demandatum, vel spontè ab aliis Christianis, quamvis minus peritis, susceptum?

Quia verò, tum hos, tum alios à Pontificibus huic officio addictos, perfectissimè, atque exactissimè (uti voluissent, ac exoptassent) eò perfungi munere potuisse, minimè censendum est: hinc accidisse credimus, ut licet eodem tempore à pluribus tamen Notariis excepta Acta MM. inter se collata dissentiant. Quis enim credat, cum Martyres Satellitum cohortibus circumdati, ac septi essent; vel inter confluentem, ac prementem hominum Ethnicorum coluviem, quæ ad crudelia, ac immania ea impietatis spectacula undequaque conveniebat; omnes, ac singulos Christianos Notarios vel sic propè Martyribus adstitisse, vel tam exacte eorum gesta adnotare potuisse, ut quæcumque, vel ab illis dicta, vel contra illos ab Ethnicis facta, seu prolata erant, auribus, vel oculis percipere potuerint; itaut sic cuncta, ac singula æquè omnes audierint, vel viderint, ut eorum, quæ in ipsos Martyres gerebantur, vel ab his dicebantur, nil propè quemquam illorum præterierit? Et cum finè aliquo corporis motu Notaria eadem ars exerceri nequiret; tali ac tantà certè circumspectione, in excipiendis MM. gestis, Notariis Christianis agendum fuit, ut Gentiles laterent, ne se in vitæ periculum spontè ponerent, ut vel ex levi gestu Gentiles ipsi, qui artis ejusdem haud ignari erant, rem suspicari, ac deprehendere non valerent. Quo circa, quis non credat eos, vel timore correptos, vel
fin-

singulari studio sibi ipsis cavere coactos, illorum alterum multa observare prætermisisse, quæ alter stylo excepit, plura audisse, vel vidisse, quæ alteri animadvertere inhibatum fuit, & plura credidisse prius facta, quod his priora videre, aut scire nequierit? Ob id, igitur factum arbitramur, ut plura Martyrum Acta, quæ Pseudo-Censores tamquam corrupta irrident, nec in verbis, nec in ordine, nec in aliis hujusmodi coherere agnoscantur. Quamvis enim (ut vult Lipsius) sibi partes, & verba Notarii divisissent, modo, quem audisti, vel arte perfectus, unus tantum ad omnia excipienda sat esset; tamen locorum, periculique quam prædiximus magnitudinem, vel uni, vel pluribus eam exercentibus incommodi plurimum attulisse, sanæ mentis nemo inficiabitur. Ex quo, ut diximus, inferendum, nil propè mirandum, si plura in eis offendantur, quæ vel sibi ipsis interdum prima specie contraria, vel repetita, vel minus exactè dicta videantur; quæ tamen ex hoc falsa pronunciarî minimè debent, quisque veritatis licet parum amans, fateri compellitur. Summi verò Pontifices, vel Episcopi, vel alii, quibus ea cura incumberebat (ut etiam recentior quidam, licet in aliis pluribus planè rejiciendus, quo ad hoc tamen non improbandus adnotavit), quæ Christiani Martyrum Gesta, quibus interfuerant, collegerant; postea recognita, & approbata omnibus fidelibus legenda tradere consueverunt. Ut ea autem comprobarent, sat erat ut ipsa verà recognoscerent; nec umquam ea improbasse censendum est, vel quod in illis inversus ordo, vel alia, quæ memoravimus, deprehenderentur, (licet sine stomacho Censores nostri ea legere nequeant,) vel quod in pluribus deficere agnoscerent, quæ fideles ipsi Conscriptores Martyrum certamina spectantes, haud satis explorata habere potuerant. Quibus demum illud addam, quod qui notandi arte pollebant, non semper fortè historicam etiam artem callerent, ita ut quæ necessariò ponenda, quæ verò superflua essent internoscerent; uti nostro etiam tempore facillimè (si res ferret) accidere posse compertum est; si, exempli gratia, qui scribere velociter, ac egregiè sciret, ac cœtera præterea ignoraret, quæ ad historiam conscribendam spectant, hujusmodi exarandæ manum admove-ret. Qua de re alibi pluribus egimus.

*Ruinart. in præ-
fat. Act. privæ.
M. M. num. 1.*

CAPUT XIX.

Non minor auctoritas quàm Proconsularibus, tribuenda Martyrum Actis, vel de se ab ipsis, vel ab aliis conscriptis. Plura Martyrum Acta scripta, cum Proconsularia exarata non sunt, nec jure in Martyres actum est.

Ibid. ut sup.

EX his idcirco plura Martyrum Acta, quæ à Notariis conscripta perhibentur, vel siue Auctoris alicujus nomine circumferuntur, falsissimè corrupta pronunciari arbitramur. Sed neque, quam Proconsularibus, minor auctoritas, iis Martyrum Actis tribuenda dignoscitur, quæ ut non malè, ut consuevit, præfatus Recentior observat, ab ipsis Martyribus, aut de se, aut de aliis conscripta fuere. *Ejusmodi (ipsius sunt verba) Acta habemus, quæ S. Felicitas de suo ipsius Martyrio conscripsit. Idem Saturnus, Flavianus, aliique passim Martyres de se ipsis præstiterunt. Sic etiam Ignatius Martyr, Romanus de iis, quæ in itinere à militibus perferebat, certiores fecit in Epistola planè Apostolica ad eos præmissa. Sic Dionysius Alexandrinus Martyrum Alexandrinorum Gesta transmisit ad Fabium Antiochenum Antistitem; imò, & sua ipsius confessionis Acta in Epistola adversus Germanum inseruit. Plura etiam de ejusmodi Martyrum agonibus habentur apud Cyprianum in ejus Epistolis, quibus S. Antistes priorum Martyrum exemplo, posteriores ad tormenta fortiter perferenda excitabat.*

Quandoque etiam Antistites, cum sibi interitum imminere viderent, fideles sibi commissos ea de re commonebant, ne morte, aut tormentorum metu deterrerentur, quæ, & à se, & ab aliis Martyribus, tam alacriter scirent superari. Egregiam hujusmodi Epistolam habemus apud Eusebium, quam Phileas Thmucos Episcopus ad suos scripsit, tum, ut eos de suo statu faceret certiores, tum, ut inquit Eusebius, ut pietatem in Christum etiam post obitum suum jamiam imminentem mordicus retinerent.

Tandem Ecclesia, quæ tantis Viris ornata fuerunt, post

con-

consummatum eorum Martyrium, totam rerum gestarum seriem in Epistola Encyclica descriptam, ad alias Ecclesias transmittabant, ut non solum apud se, verum etiam apud exteras regiones tam illustrium Virorum memoria celebraretur. Id fecere Smyrnenses, post B. Polycarpi passionem, Lugdunenses, & Viennenses in Epistola ad Asia, & Phrygia Fratres, alique nonnulli. Sic ille.

Coeterum quod addit, nonnullos videlicet Provinciarum Praesides vetuisse, ne Martyrum quaestiones cum Actis publicis reservarentur, quod se Martyrum constantia victos erubescerent, ut disertè de Daciano Hispaniarum Praeside antiquus Auctor, qui Sancti Vincentii Acta concinnavit, observat. Et idem de Italia asserit Scriptor passionis S. Anastasii fullonis Martyris Salonitani. Itemque in illa extrema Diocletiani persecutione rem ita tumultuose actam fuisse, ut plerumque Christiani, sine ulla juris formula, & quasi jure belli, ut Eusebius loquitur, tumultuatim interficerentur. Id, inquam, nil prohibet quin credatur, tunc etiam plura Martyrum Acta monumentis à fidelibus, vel Notariis, vel Scriptoribus fidelissimè tradita fuisse; uti evidentissimè apparet ex Epistola S. Dionysii Alexandrini, quam praefatus Eusebius refert, in qua plura Martyrum Gesta narrantur, licet contra eos à Gentilibus non jure actum esset, sed populi seditione, ac tumultu, qui savissima crudelitate in Sanctos debacchatus est integro anno priusquam Decii Edictum contra illos vulgaretur.

*Euseb. Hist. Eccl.
lib. 6. cap. 34.*



CAPUT XX.

*Ex his, qua modo extant, Martyrum Actis, nulla,
vel ab Hæreticis, vel à Gentilibus corrupta
ritè censeri posse.*

DE Martyrum verò Actis ab Hæreticis vitiatis, ac corruptis, quamvis plura sint dicta, ubi de Gelasii Decreto actum est, liceat nihilominus hic per pauca subnectere; patet enim non tam latè Decretum illud esse accipiendum, ut Censores nostri putant, cum ex eo plura adhuc extare hujusmodi corrupta Acta contendunt. Certum est, ut audisti, ab hujus criminis suspicione, Arianos Baronium validissimis, quas attulimus, rationibus vindicasse. Ea nihilominus SS. Dativi, Felicis, Ampelii, & Sociorum, Donatistas additione, & appendice depravasse, idem scribit; mentientibus ea, quæ de Mensurio Episcopo Carthaginensi hætenus in fine leguntur. Verùm, cur id Donatistæ fecerint, facile intelligere est ex his, quæ de eodem Mensurio laudatissimo Carthaginensi Episcopo scribit Optatus Milevitanus lib. 1. contra Parmenianum; & quæ Augustinus in brevic. diei 3. cap. 13. & de unico Baptismo contra Petilianum cap. 16. monumentis mandavit. Eò siquidem Schismaticorum procacia pervenit, (quod sæpè Augustinus deplorat) ut eorum Auctores, non tantum, poenitentiam egerint de traditione (quæ Diocletiani edicto jubebatur) facta librorum; quin potiùs in rabiem, atque furorem conversi, hoc ipsum crimen in præfatum Mensurium Episcopum Carthaginensem, & in ejusdem Ecclesiæ Diaconum Cæcilianum, impingerent; eumque librorum traditorem fuisse, imò etiam plurimorum Martyrum necatorem extitisse, in memorata appendice adstruere conarentur. Patet igitur Donatistas calumniandi probatissimos Viros libidine, scelus id perpetrasse.

Apparet etiam, cur Acta Georgii, & Passionem Quiriaci, & Julittæ, Gelasius rejecerit, ex ejusdemmet verbis, nam postquam dixit: *Passio Georgii apocrypha. Passio Qui-*

*Baron. in Notis
ad Martyrol.
Rom. ad diem
11. Feb.
Et Annal. rom. 2.
an. 303. n. 37.
& seq.*

*Decret. part. 1.
dist. 15.*

riaci, & Julitta apocrypha; mox subjungit. Hæc omnia, & his similia, quæ Simon Magus, Nicolaus, Cerintus, Marcion, Basilides, Ebion, Paulus etiam Samosatenus, Pborinus, & Bonofus, & qui simili errore defecerunt, Montanus quoque cum suis obscœnissimis sequacibus, Apollinaris, Valentinus, sive Manichæus, Faustus, Sabellius, Arius, Macedonius, Novatus, Sabbatius, Cælestius, Donatus, Eustasius, Jovinianus, Pelagius, Julianus, & Latiensis, Cælestinus, Maximinus, Priscianus; ab Hispania Lampedius, Dioscorus, Euryches, Petrus, & alius Petrus, è quibus unus Alexandriam, alius Antiochiam maculavit. Acacius Constantinopolitanus cum consortibus suis; necnon, & omnes hæreses, quas ipsi, eorumque Discipuli, sive Schismatici docuerunt, vel conscripserunt, quorum nomina minimè retinentur; non solum repudiata, verùm etiam ab omni Romana, & Apostolica Ecclesia eliminata, atque cum suis Auctoribus, Auctorumque sequacibus sub anathematis indissolubili vinculo in æternum confitemur esse damnata. Sic Canon, in quo non mireris Arium cum cæteris hæreticis damnatum, quasi ipse, contrà id, quod asseruimus, vel ejus sequaces Martyrum Acta corruperint; sed in eo comprehensum scias, quia non solum Acta Martyrum ab Hæreticis violata, sed insuper universa, quæ ipsi ediderant scripta, pariter ipso uno Canone damnata sunt. Damnata sunt, inquam, quod impias illorum blasphemias, ac maledicta continerent; uti continuïse etiam, quæ ipsi corruperant Martyrum Acta censendum est, undè meritò eidem damnationi obnoxia fuere.

Et quidem, ad quid Hæretici operam suam in corrumpe-
 pendis Martyrum Actis navasse existimandum est, nisi ut
 hac ratione venenum, quo pleni erant eructarent, ac fa-
 ciliùs propinandum exhiberent? Et ità quoque Gentiles,
 quos Gelasius ipse huic eidem rei operam dedisse refert,
 quo animo, qua mente ipsi incubuisse arbitrabimur, nisi
 ut sic ab amplectenda Christi fide animos abalienarent, ac
 magis, magisque in superstitionis cæno defigerent? Qui
 enim eò pervenerunt, ut multotiès Martyrum quæstiones,
 ut vidimus, cum Actis publicis reservari prohibuerint,
 quod Martyrum constantia se victos puderet: eorundem
 Martyrum Acta corrumpere voluisse credendum ne erit,
 alià

aliâ sententia, alioque animo, quàm ut Christianæ Fidei gloria detraxerent, falsorumque suorum Numinum vim, ac potentiam extollerent: vel Gentilium Imperatorum, Regum, Principum, Præsidum, Judicumque in religione avita custodienda zelum, ac animum invictum commendarent, & è contrâ Martyrum virtutem, ac robur immi-nerent? Quisquis igitur ea, quæ in quibusdam Actis offenduntur, vel Martyrum insignia facinora, vel per Martyres à Deo patrata miracula, vel his similia, judicat Hæreticorum, vel Gentilium figmenta; potiùs opinionem hanc suam, velut inane proprii capitis deliramentum, reprehendat oportet, quam earum rerum Hæreticos, vel Gentiles Auctores putet, per quas illi suæ superstitioni, ac erroribus summum incommodum attulissent, si confinxissent. Nam nil erat certè, quò magis allici possent Ethnici ad Christianæ Fidei nomen dandum, quàm ut grandia, quædam, ac summa, tum de Christianorum Deo, tum de asseclis ejus narrarentur, ac prædicarentur (quemadmodum in his, quæ habemus Actis referuntur), præsertim si ea à Gentilibus aliis, quos ideò magis fide dignos puta sent, conscripta scirent. Unde nil magis à veritate judicari potest extraneum, quàm ut Gentiles iis armis uti voluerint, quibus se faciliùs confectos, victosque iri, ignorare non potuerunt.

Quò verò ad Hæreticos, ad quid perditio illa inconsulti in Actorum corruptione laboris, si (ut diximus) propriæ perfidiæ venenum in iis minimè abscondissent? Ubi igitur in Martyrum, quæ præ manibus habemus Actis, nec ethnicæ superstitionis utilitas, nec hæreticæ pravitatis lues deprehendi nequit; immò ubi in eis magnificata Dei Omnipotentia, Martyrum illustrata constantia, Catholica dogmata, & traditiones, sacre cœremonia, ac hujusmodi cœtera magis confirmata agnoscuntur: falsò tum Gentilibus, tum Hæreticis corruptorum eorundem Actorum crimen impingitur. Utroque enim tam stolidos judicare, ut in iis, quæ agerent, propter finem non egerint, aut quæ ad finem non essent, vel contraria media delegerint, indignum est, quòd aut sibi seriò persuadeant cordati viri, aut fore sperent, ut cordatis ullis hominibus aliquando Pseudo-Censores persuadeant.

CA-

CAPUT XXI.

*Perperam asserti esse Monachorum figmenta, quæ habemus
Martyrum Acta.*

DEMUM deficientes scrutatores nostri scrutationibus suis, eò perducti sunt, ut Acta Martyrum Monachorum figmenta reputent. Hoc impudentissimè asserere haud veriti fuere nostri temporis impurissimi hæretici, ut refert Lippomanus; hoc adstruere non dubitavit Dodvellus proximè præterito seculo: ab horumque sententia se minimè abhorruissè ostenderunt recentiores quidam, dum à quodam imperito Monacho, qui fortè in aliquem Gentilis alicujus hominis sepulchralem lapidem offendisset, Acta nonnulla conficta excogitaverunt. At de hoc alias; nunc in Novatores agamus. Dodvellus ergo, & Novatores alii, qui tanta impudentia ista effutire præsumunt, rogandi essent, ut tam universalis definitionis aliqua saltèm exempla, quibus suam sententiam probarent, in medium afferrent. Iniquitatem quam corde conceperunt, dum parere interim non audent (sive quod hujus rei ipsis exempla non suppetant, sive quod quæ ipsos in hanc vanissimam excogitationem descendere fecerint, insinuare non præsumant) asserere nihilominus non dubitamus, ista eos ideo commentos fuisse, vel quod rudioribus seculis huic sese operi Monachi dederint; vel quod in iis plura reperiantur, quæ priorum Scriptorum simplicitati minùs congruere putentur: unde ab illis amplificata multa, quæ brevi antea compendio habebantur, ac forsàn adjecta studio portentosa facta, ac miracula, quæ in primis Actis minimè reperiebantur.

At in eo quod ad miracula spectat (de quibus fusiùs inferiùs agendum), rudium, quæ vocant; seculorum id nullatenùs tam saltèm universale, ut ipsi putant, ingenium fuisse ea comprobare noscuntur, quæ Nono seculo accidisse in Hispania Cardinalis Baronius refert, cum de Conciliabulo Cordubensi agit. Episcoporum enim in eo congregatorum, sive horum similium, in gratiam Regis, ad derogationem
Mar-

*Baron. Annal.
1772. 10. ann.
952. pag. 85.*

Martyrii fuit illa sparſa calumnia, ut ii, qui tunc Martyrium ſubiſſent non eſſent inter Martyres computandi, quod *miracula, uti olim Martyres non edidiſſent, neque eorum corpora incorrupta manſiſſent*. Ad quam calumniam diluendam, & alia improbè dicta refellenda, Sanctum Eulogium egregium Commentarium, cui eſt titulus MEMORIALE SANCTORUM edidiſſe, cui poſteà etiam addidiſſe Apologeticum alium, ad alias illatas objectiones confutandas, idem Baronius ſcribit. Ex quo dilucidè apparet pruriginem miracula conſingendi minimè hoc tempore invaluiſſe, cum ea etiàm occaſione, qua Martyrum decus, ac honor, factum quodammodo honeſtare poſſe videbatur, (ſic enim eorum famæ conſulebatur), ab eo Catholici nihilominùs abſtinuerint; & ſicut patris à Deo per veteres Martyres prodigiis detrudere haud auſi ſunt; ità novos eis egere, ut verè Martyres prædicarentur, ac eſſent, minimè judicarunt. Tantum verò abeſt, ut priorum facta, ac miracula tunc in immenſum extollere conſectis narrationibus (ut noſtri Pſeudo-Cenſores volunt) contenderint; ut potiùs temporis hujus conditio depoſcere videretur, quod illa quodammodo attenuare ſtuderent, ut obloquentium in recentes Martyres, miraculis à Deo non illuſtratos, ora obſtruerent.

Cæterum quod Monachi plura Martyrum Acta conſcripſerint, in conſeſſo eſt; ſed quid inde? Igitur conſinxerunt, ideò prò veris falſa dixerunt, ideò, quæ prorfus non fuiſſent excogitarunt? Vel ideò non credendum illis, quod diù poſt Martyres Acta ipſa adnotarunt, vel verbis aliis, quæ ipſi dicere (ut Pſeudo-Cenſores putant) non potuerunt, eorum dicta retulerint? Vaniffimus fanè argumentationis modus, in quo tota hiftoriarum ſumma, non in veritate, ſed in verbis conſtituitur, cum tamen nihil ad hiftorię veritatem referat (ut toties diximus), ut his verbis, vel aliis expreſſa fuerit. Si enim veritas ſic verbis alligata eſſet, ut nullo pacto ab illis divelli poſſet; igitur vetitum eſſet, & Græcis hiftoriis, eas in Latina verba transferre, vel rejicienda eſſent ut falſa, quæ de Tullio, de Mæcænate, de Auguſto, aliis verbis quam Latinis, vel alio ſtylo ab eo, quem exempli gratia Italicum idioma poſtulat, translata ſunt; vel fateri oporteret aliquem ſemper de illis falſa ſcripſiſſe.

uisse, quod tam diu postquam illi floruerint, ea ipse ediderit.

Ar vera scripsimus (dicetis), quia quaecumque scripsimus, ex veris monumentis desumpsimus. Igitur idem fecisse Monachos, qui SS. Acta, vel octavo, vel nono, vel decimo, vel undecimo saeculo, vel quovis velitis alio conscripserunt, prò certo habeatis: Quod autem id effecerint exemplo sit comprobatum Bernardi, qui in Epistola ad Guidonem, & Monachos Arremarenses de vita S. Victoris, ac ejus officio illorum precibus à se concinnato: *Prastis* (inquit), *non quod tibi ad votum, sed quod mihi ad manus venire potais, prò posse usique meo, non prò velle tuo. Servata tamen antiquorum veritate Scriptorum, quae tu mihi transmiseras, de Vita Sancti duos sermones distavi qualicumque sermone meo, illud quantum potui cavens, ut nec brevitatis obscuros, nec prolixitas redderet onerosos. Sic Bernardus.*

D. Bernard.
248. 2270.

Nota.

Sed ne aliquis objiciat nos hic, non de quibuscumque Sanctorum Actis, sed de Martyrum tantum sermonem, habere; eadem de S. Martyris Elyphii Actis asserat suis verbis Rupertus Abbas, in Praefatione ad Albanum Abbatem S. Martini intra Coloniam Agrippinensem. *Qui primus* (dicens) *nostrisque temporibus longè anterior, Martyrium scripsit preciosi Martyris Elyphii, fundamentum posuit: vos autem, Fratres charissimi, et Pater Albane, tecumque tui spirituales filii parvitatem meam superaedificare compellit. Distincta excusatione Charitati vestrae renisus sum, & excusationis meae causa haec summa fuit, quia fundamentum aliud, praeter id, quod positum erat, ponere non potui. Neque enim aliud inveniebam pertinens ad memoriam ejusdem Martyris, & Patroni vestri, cuius corporis thesaurum preciosum penes vos reconditum esse gaudetis, praeter scriptum illud, quod vobis pariter, ac nobis usitatum, non satis jucundum, neque satis idoneam estimatis propter nimiam simplicitatem sermonis: qui rem gestam, non solum suo sermone non exornat, verum etiam quasi quodam fumo aliquantisper obscurat. Recusabam ergo haesitans, nimis difficile, ac penè impossibile existimans id, quod vestra Charitas efflagitabat: velut si architetto dicatur: Super hoc angustam, ac tenuè fundamentum, amplum, & spatiosum, firmum, ac splendidam superaedifica nobis aedificium. Sed*

Int. Opera Rap.
Abb. rom.
Es apud Sar.
tom. 5. 16. Ob.

Nota.

„ tamen occurrit, veniensque animo sese dictum illud ingessit :
 „ Omnia possibilia credenti. Itemque illud. Aperi os tuum, aſe
 „ in Psalmo Spiritus Sanctus : Aperi, ſive dilata os tuum, &
 „ ego implebo illud. Igitur charitate viſtus, quæ nimirum pinq̄
 „ pium, & honorificum eſt, aperio os meum vana, ab illo, qui
 „ iuſſit aperire, per orationes veſtras implendum, ut religioſus
 „ loquendo, aurum, & argentum, & lapides preciosos ſuperadi-
 „ ficem ſuper fundamentum hoc : quotenus pulchritudinem mate-
 „ ria non pauperet penuria ſocundia : inſimò dignitatem rerum,
 „ quaſi coronando ambias compoſitia, ſive conveniens apparatus ſen-
 „ tentiarum.

Sic Rupertus, ex cuius verbis, uti ex aliis Bernardi
 manifeſtè educitur, quid in Actorum ſcriptione Monachi
 præſtiterint ; elegantiorẽ, videlicet, dicendi rationem,
 ſalva tamen veterum Scriptorum veritate, ut dicit Ber-
 nardus, & antiquorum Scriptorum fundamento, ut Ru-
 pertus loquitur. Quo incolume nil eſt, quod ultra expe-
 tere poſſit hiftoriæ veritas. Quid enim ? id forte, non fuit
 vetuſtiſſimus Eccleſiæ Catholice mos in noſtra uſque tem-
 pora derivatus, ut nempe Sanctorum geſta in Divinis etiam
 Officiis, vel fuſius, vel ſtrictius, prout eorundem Officio-
 rum ratio, ac ordo poſtulat, legenda traderentur ? Quid
 autem de nobis obloquerentur Cenſores noſtri, ſi exempli
 gratia, ut falſa conſpiceremus, quæ de Sancto Paulo primo
 Eremita, vel de aliis Sanctorum indubitatis hiftoriis pro-
 ponuntur : quia vel non omnia in iis legantur, quæ legen-
 da eſſent, vel aliis verbis, ab eis, quibus à Scriptoribus
 coevis ſcripta fuerunt, vel plura, quæ iidem non retule-
 rint, in iſtis recitari animadverteremus ? Quid, inquam,
 dicerent, ſi ea propterea falſa, commentitia, ac Mona-
 chorum ſigmenta pronunciareremus ?

Si igitur, ſalva veritate, fas eſt modo ſic huiusmodi hi-
 ſtorias concinnare ; idem quoque præteritis temporibus
 licuiſſe haud diffiteantur ; cumque animadverterint San-
 ctorum Acta, non, inquam, tranſcribendi per Amanuenſes
 qualeſcunque, ſed inſtaurandi ex documentis antiquis, ac
 meliore dictione conſcribendi munus (ut ex propoſitis
 exemplis manifeſtum redditur) potiſſimum. Viris pietate,
 ac eruditione præclariffimis fuiſſe demandatum. Marty-
 rum

rum Acta, tamquàm ab ineptis, ac ineruditis Monachis conscripta deridere desinant: ac velint, nolint ineptissimarum censurarum suarum Augustinum durissimum ipsis Censorem sentiant, cum vetera monumenta scriptis à Monachis Martyrum Actis minimè cohærete motis quæstiunculis contendunt: Manichæos siquidem alloquens, quorum isti, vestigia in perscrutandis Martyrum gestis, quæ illi in Evangelistarum censura defixere, subsequi, utinam non videantur.

Sed contraria, inquit, inter se scripta eorum reperiuntur. Maligni malo studio legitis, stulti non intelligitis, cæci non videtis. Quid enim magnum erat ista diligenter inspicere, & eorundem Scriptorum magnam, & salubrem invenire congruentiam, si vos contentio non perverteret, & si pietas adjuvaret? Quis enim umquam duos Historicos legens de una re scribentes, utrumque, vel utrumlibet eorum, aut fallere, aut falli arbitratus est, si unus eorum dixit, quod alius prætermisit? Aut si alter aliquid brevius complexus est, eandem tamen sententiam salvam, integramque custodiens: alter autem tamquam membratim cuncta digessit, ut non solum quid factum sit, verum etiam quemadmodum factum sit intimaret? Sicut Faustus hinc Evangeliorum veritati voluit calumniari, quia Matthæus aliquid dixit, quod Lucas cum idem narraret dicere prætermisit: quasi negaverit Lucas dixisse Christum, quod eum scripsit dixisse Matthæus. Hic omnino nulla unquam quæstio fuit, neque hoc objici, nisi ab omnino imprudentibus, & nihil harum rerum considerare volentibus, seu valentibus potest.
Hæc Augustinus.

*D. Aug. tom. 6.
cont. Faust.
lib. 33. cap. 7.
pag. 183. 2.*



A C T A
 SANCTORUM CHRISTI
 MARTYRUM
 VINDICATA.
 L I B E R I I I

In quo de Censuris in Acta SS. MM. ex scriptis
 SS. PP. & Ecclesiastica Historia
 excerptis agitur.

.

C A P U T I.

Non probari Acta Martyrum esse corrupta, ex Ecclesiasticis vocabulis, quæ tempore, quo MM. passi sunt, in more posita non essent.



POST ea, quæ præterito Libro de hodiernis Censuris in Acta Martyrum proposuimus; nil fortè ultrà esse videri deberet, quod contrà illa pronuciari posset; verùm quia importunè excogitatis quæstionibus aliis Pseudo-Censores assiduis titillationibus nos tædio affecere; hac de causa iisdem, vel inviti respondere cogimur, ut, si fieri potest, tandem quiescant.

Maximum igitur, ac penè insolubile, inter alia, quæ objiciunt, illud esse autumant, quod in plerisque Martyrum Actis plura vocabula offendantur, quæ temporibus, qui-

quibus Martyres passi sunt, minimè congruere possint, utpotè multò post adinventa, quorumve idcirco ipsorum temporum Scriptor nullus meminit; cujusmodi sunt, exempli gratia, verba Consubstantialitatis, Processionis, hujusque generis alia, quæ falsò in Actis Martyrum, ab ipsis Martyribus referuntur prolata: utpotè quæ, & Antientium canonum Patrum nemo memoravit, & tunc cum in more posita non essent, dici idcirco à Martyribus ipsis nullatenus potuerunt.

Tamen cum Pseudo-Censores iidem ista proferunt, quod timida sit malitia, sibi ipsis injicere laqueum timent; idèdque incautè mox solvunt, quod, tamquam Gordianum nodum insolubile proponunt, cum, nimirum subjungunt. Ea quidem Consubstantialitatis, Processionis, ac similia Mysteria, primis Ecclesiæ temporibus fideles credidisse; cæterum, ex auctoritate, quam afferunt Gregorii Nazianzeni, quæ talis est: *Nicæna Synodus certis finibus, ac verbis divinitatis doctrinam circumscripsit*, voces, ac verba, quibus post idem Concilium, ipsa Mysteria explicata sunt, antè idem Concilium adstruunt non fuisse.

Rom. 10. 9. 10.

Verùm, si Censores concedunt Mysteria illa Martyres credidisse, ac per consequens falsos esse; (nam juxta Apostolum: *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.*) quid quæso peccaverunt ipsorum Actorum Martyrum Conscriptores, quovis seculo fuerint, ac scripserint, cum illorum de his sententiam explicarunt, licèt id fuerit verbis, quæ Martyrum tempore in more minimè essent: si, juxta totiès allatam Augustini doctrinam, dummodò veritas sententiæ teneatur, nil refert an his, vel illis verbis dicta referatur? Immodò, quis neget illos ex hoc plurimam laudem promeruisse, quod certis, Catholicisque vocabulis illorum confessionem ediderint, quam ipsos certissimè tenuisse compertum habuerunt; cum, è contrà, eadem vocabula non adhibuisse, firmissimam eorundem fidei sententiam in dubium fortè vocare potuisset? Quis demum ritè censere non poterit aliis vocabulis forsam expressam in Martyrum Actis fidei confessionem (ut ex iisdem vocabulis Hæretici minimè aucupari possent, undè suos impiissimè tuerentur errores, vel erroribus ipsis Martyres adhæsisse falsò

falso contenderent), in certissima Catholica vocabula. Scriptores eisdem studio permutasse, quibus intemeratam illorum fidem, ac confessionem dilucide magis probarent, quæ aliis fortasse explicata verbis, minime probaretur? Quod si id evenit, falsa ne, aut corrupta ea Acta nuncupare quis audebit, quæ, præ aliis, magis aperte sententiarum, ac Fidei Martyrum veritatem ostendunt?

Præterea vos dicitis, quod primævis Ecclesiæ sæculis ista fideles crediderunt; ergo audierunt, nam fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei. Si igitur audierunt, peto per quæ Dei verba audierunt? Respondetis non per vocabula credidisse, quæ dumtaxat in Nicæno, Constantinopolitano, aliisque Conciliis decreta sunt. Transeat; sed dicite, urgemus nos, per quæ alia verba audierunt, quod per hæc minime credidisse litigiosè contenditis, nam per aliqua verba ista credidisse fateri cogimini? Si igitur alia verba non reperitis, per quæ ista credere omnia potuerint; vel fideles hæc non audisse fateri cogimini, ideòque non credidisse, vel per ea verba credidisse dicere compellemini; per quæ audientibus post Nicænum, aliaque Concilia credentibus proposita sunt. Credidisse, dicitis, quod ad fidei substantiam, non verò quod ad formulas: Sed si quoad substantiam crediderunt, numquid substantiam hanc sine formulis crediderunt? Ostendite igitur, quibus formulis substantiam hanc crediderint, quæ sine formulis credi non potuit, quia sine illis, nec dici, nec audiri potuit, & vicissis.

Ibid. ut sup.

Ostendite, inquam, quibus formulis Deum Unum, ac Trinum explicaverint, Verbi consubstantialitatem dixerint, Spiritum Sanctum à Patre, Filioque procedentem pronunciarint, Deiparam nominaverint, & his phura alia similia significaverint; quæ certissimè credidisse conceditis; nam obscuris formulis aliis, ea innuisse fidelibus, à quibus credenda signantissimè essent, à veritate extraneum censendum videtur; cum Evangelicorum præconum id munus esset, existeretque pariter fidelium eorundem, qui audiebant, vel perspicuè explicare, quæ credenda essent, vel perspicuè intelligere, quæ sibi credenda proponerentur; nec per ambages Evangelica mysteria traderentur. & nihil hæ-

hæsitantes, iis assentire, qui fideles esse, ac censeri vellent, deberent; ideòque, non obscuris formulis, sed propriis, ac clarè patentibus, (si non istis ipsis, quæ post Nicænum, certè aliis tantundem, valentibus, ut eam ipsam exempli gratia in Filio Divinitatem esse quæ est in Patre; quod est perinde, ac Consubstantialem Patri) cum prædicanda, tum audienda nostræ fidei hæc mysteria essent, ut credi possent. Ostendite, inquam, formulas alias clarè patentes, quibus id fieret?

Neque ad rem est, quod ex auctoritate Gregorii Nazianzeni contrà nos profertis, quod nempè *certis finibus, ac vocibus Divinitatis doctrinam Nicæna Synodus circumscriptur*; id enim minimè probat, quod astruere conamini, videlicet eas voces non fuisse, intrà quarum fines Divinitatis doctrinam Nicæna Synodus circumscriptit; hoc siquidem Gregorius significare voluisse nullatenus videtur, sed tantum innuere, quod doctrina ipsa, quæ his, vel aliis formulis antè Concilium Nicænum doceri consueverat, quia Ariani, & Hæretici alii quibusdam abutebantur, non nisi iis, quas ipsum decrevisset, Catholicis tradi posset. Non scribit Gregorius, uti vos perperam autumatis, eas voces antea non fuisse, sed deinceps ex Concilii præcepto non nisi tales, ac tales esse adhibendas. Neque vult in eodem Concilio Nicæno fuisse adinventas, sed solum præfinitas, cum antea non modò his vocibus, sed aliis quoque eadem Doctrina traderetur. Quod ut exemplo vobis ostendam, fingite vobis Papam, verbi gratia, edicto præcipere, ut nemo tam se, quam quoscumque alios, qui in Apostolica Sede sibi deinceps subrogati fuerint, nisi Summi Pontificis nomine nutcupare audeat. Ex hac definitione, rectenè inferretis hoc Summi Pontificis nomen, modò tantum adinventum, vel antea usu comparatum non fuisse? Deinde cum vos ipsi addatis voces in Conciliis (ut exempli gratia in Antiocheno; & Nicæno verbum Consubstantialitatis) vel receptas, vel rejectas: morisque fuisse, ut reciperentur, vel rejicerentur, juxta eam, quæ iis tribuebatur, vel bonam, vel malam interpretationem; ex ore vestro manifestè convincimini in Nicæno, ac in aliis Conciliis plures fuisse propositas voces, ac formulas, quibus jam Divina explicabantur Mysteria;

dein-

deindè inter illas eas fuiffè rejectas, quas falsò Hæretici interpretarentur, alias verò receptas, quibus evidentiffimè Catholica veritas significaretur; non verò ad id novas adinventas, quod vos frustrà probare contenditis.

Demum quod adstruitis, Myfteria, nempè, Incarnationis, ac Trinitatis, utpotè ex fe ipsis ineffabilia, ea idcirco vocibus confequi præficos Patres facilè non potuiffè; quapropter Hieronymus ad Damafum Papam confugerit, quod nesciret quid fibi vellet vox ea Hypoftafis, ut eum Pontifex doceret, an una, vel tres in Deo Hypoftafes admittere deberet. Hoc inquam, vel nihil ad rem, vel fi aliquid ad rem, nimis probat; nam eadem ipfa difficultas fandi Divina Myfteria, quæ tunc erat, eadem & modò extat, quare circa idem negotium, nihilo Patribus noftris foeliciores evafimus. Si verò foeliciores ex eo existimetis, quod præfinitas voces, ac formulas habeamus, quibus eadem Myfteria explicentur; ut id oftendatis, ea antiquis defuiffè probare debetis. Cum verò & has, & infuper alias (quibus, ob hærefes, quæ poftèa infurrexerunt, quod perperàm ipfas perditii homines interpretarentur, uti vetitum eft) veteres habuiffè potiùs existimandum fit; undè nos quæfò præ illis foeliciores excogitatis? In agnitione verò Divinorum Myfteriorum, ac in formulis, quibus ipfa explicarentur, in tenebris propemodum præficos fideles ambulafè, quis fanæ fidei excogitare unquam poterit? Sed quid tandem ad univerfos fideles una unius Hieronymi vocis græcæ, & apud Scriptores Græcos ambiguae fignificationis, ignoratio, fi ignorafset? Quid hæc cum vocibus, quæ antè Nicænum Concilium univerfim ignorarentur? Verum de Hieronymo fupponitur falsum, nam ipfe ad Damafum fcribens, nullatenus vim præfati verbi fe nescire fatetur: quinimò exponit ab Arianis interpretari pro *Effentia*, ut tres fubftantiæ in Divinis admitterentur: à Catholicis verò pro *Supposito*, ut tres *Hypoftafes* in una *Effentia* crederentur. Unde Pontificem fupplex rogat, ut in quo fenfù verbum ipfum deinceps ufurpari debeat, vel ad unicam effentiam, videlicet, vel ad tria fupposita in Divinis fignificanda, fua autoritate decernat.

CAPUT II.

*Probari non posse à Pseudo-Censoribus certa quadam
Ecclesiastica vocabula priscis temporibus
non fuisse, pluribus demonstratur.*

INTERIM cùm ista percipiunt Pseudo-Censores nostri, (quæ illorum prævidentes objecta attulimus, imò, quæ nobis ipsis sponte objecimus, ut objicere ea non præsumerent, quibus nos jam respondisse cognovissent), illa se tamen non audisse simulant. Voce igitur majori, quæ diximus repetemus, aliaque addemus, quibus furditatem eorum, si fieri quidem possit, curemus; sin autem obturare illi aures suas malint, cœteri tamen Ecclesiæ filii, qui in hac re negotium non habent, audiant, & inter nos, & illos dijudicent.

Nihil autem (dicebat Demosthenes) tam judicio repugnat, quàm sinè judicio decernere: decernit autem sinè judicio, qui parte inaudita judicat, quaproptè Seneca :

Senec. Trag. 7.

Qui statuit aliquid, parte inaudita altera,

Æquum licet statuerit, hæc æquus fuit.

Cùm igitur Pseudo-Censores nostri, in Acta Martyrum, in quibus, quæ memoravimus, vocabula offenduntur, tam latè patentem ex hoc damnationis sententiam proferant, ut proptereà ea omninò falsa esse velint: videndum est, an omnia cognoverint, quæ rectum, ac incorruptum Judicem in judicando decent. *Iusti* (ait Augustinus) *est incedere recta intentione*, idque de Censoribus nos Dei judicio relinquimus. *Judicis autem est judicare justo ordine*. Idque à SS. Martyrum Judicibus ipsis, nullatenus factum, ostendemus.

*D. August. cont.
Maced.*

Ut manifestum evadat, an voces, & formulæ, quibus Divinà Mysteria priscis Ecclesiæ temporibus ante Nicænum Concilium docebantur, ac fidelibus explicabantur eadem fuerint, an aliæ ab iis, quibus post illud uti fas fuit; omninò in jus vocare oportet ea vocabula omnia, quibus eodem primævo Ecclesiæ ævo, apertissimè de Mysteriis ipsis fideles
eru-

erudiebantur, nulla earundem vocum formula excepta. Si enim cunctis exploratis, nullam illarum convenire cum illis cognoscetur, quæ post præfatam, & alia Concilia in morem inducta sunt; tunc profecto ex hoc falsa, ac corrupta Martyrum Acta, in quibus ipsæ voces deprehenduntur Pseudo-Censoribus pronuncianda permittimus; si verò secus, aliter procul dubio decernendum.

Respondent nos rem difficilem, immò impossibilem, postulasse: plures enim vocum illarum formulas periisse, vel quod nulli scripto alligata, sed traditioni tantum innixæ; vel quod si scripto mandata, plura tamen scripta cum vel temporis diuturnitate, vel Diocletiani edicto igne consumpta, perierint; idèd una cum eis illarum rerum, quæ in iis continebantur simul notitiam interiisse.

Fatemi igitur vos plura nescire, quæ priscis sæculis in Ecclesia tum acta sunt, tum dicta. Si ergo ignoratis, quæ facta sunt, quæve dicta; qua fronte ista, & illa nec dicta, nec acta fuisse pronunciare potestis? Si enim nescitis quod gestum est, quod dictum est; illud quoque vos ignorare fateri cogimini quod dictum non est, & quod factum non est. Neminem probatorum Patrum hæc, vel illa memorasse respondetis, & hinc illa nec dicta, nec facta inferitis. Si omnium probatorum Patrum, ac Scriptorum monumenta haberetis, nihilque eorum, de quibus est sermo, in eis deprehenderetis, aliqua ex parte, aliquid vobis concedendum censeremus. Sed quo pacto eos nil harum rerum scripisse asserere audetis, si quæ scripserunt, non habetis?

Habemus (dicitis) nihilominus multa, in quibus ejusmodi vocabula non reperiuntur, ex quo licet inferre neque in aliis, quæ non habentur fuisse. Novum sanè argumentandi genus, quod si admittatur, plura contra vos ipsos inferre cogemini: nam plura, exempli gratia, & vos scripta edidistis, in quibus de Actorum SS. Martyrum controversia nec verbum quidem dixistis; ergò (secundum vos) si quæ contra eadem Acta scripsistis, non extarent, verissimè inferri posset, quod numquam adversus illa scripsistis: quia in cæteris, ut diximus, quæ edidistis, ejus controversiæ haud meministis. Sic, si non extaret liber Senecæ de Vita beata, sed tantum alter de Clementia, educi posset num-

quàm de Vita beata Senecam scripsisse, quia hujus in altero de Clementia, nullum propè extaret vestigium.

At simile non admittimus, (respondetis). Quod enim in aliis, quæ scripsimus, de MM. Actis mentionem minimè injecerimus; quod Seneca in libro de Clementia, alterius non meminerit de Vita beata, nil officit; inæqualitas siquidem materiæ unius operis ab altera efficere potest, ut quod unius est, minimè memorari in altero necesse fuerit; at ubi eadem materia, quæ in uno habetur, de ipsa quoque in alio (ut supponitur) agatur: iisdem formulis, ac vocibus, quibus in eo opere actum est, quod extat, haud dissimilibus actum quoque fuisse educi potest in eo, quod non extat.

Benè dixistis, quod educi potest, neque illud adjecistis, quod ritè, ac rationabiliter educi potest. Si enim Scriptoribus, vel singulis, vel pluribus de una, eademque re multotiès differentibus, una pariter, eademque semper fuisset scribendi ratio; ultrò vobis ea objicientibus assentiremur. Sed quia in aperto est, varias, dissimilesque, ut plurimum, & omnes simul, & eorum quemlibet scribendi habuisse causas; quis vestrum diffiteri poterit, juxtà eas, scribendi quoque attemperare modum non debuisse, ità ut in Divinis explicandis Mysteriis, alia ratione cum Gentili agendum, alia cum Judæo, alia cum fidei censuerint; unamque, eandemque rem, vel fusius, vel compendiosius, his verbis, vel aliis, prò locorum; temporum, ac personarum qualitate effari non debuissent existimaverint? Certè Lactantius, quodammodò Cyprianum redarguendum putavit, quod contra Gentilem hominem scribens hanc circumspèctionem non adhibuerit. *Quamquàm Tertullianus (Lactantii sunt verba) eandem causam (prò Christiana videlicet Religione) plenè peroraverit in eo libro, cui Apologetico nomen est: tamèn quoniam aliud est accusantibus respondere, quod in defensione, aut negatione sola positum est, aliud institvere, quod nos facimus, in quo necesse Doctrinæ totius substantiam contineri; non defugi hunc laborem, ut implem materiam, quàm Cyprianus non executus est in ea oratione, qua Demetrium (sicut ipse ait) oblatrantem, atque obstrepentem, redarguere conatur, qua materia non est usus, ut debuit; non enim*

*Lactans. de Just.
lib. 5. Div. Inst.
cap. 4. pag. 591.
in Bibl. PP.
tom. 3.*

Nota.

eam Scripturæ testimoniis, quam ille utique vanam, fictam, commentitiamque putabat, sed argumentis, & ratione fuerat, refellendus. Nam cum ageret contra hominem veritatis ignarum, dilatis paulisper Divinis Læctionibus, formare hunc à principio, tamquam rudem debuit, eique paulatim lucis principia demonstrare, ne toto lumine objecto caligaret. Nam sicut infans solidi, ac fortis cibi capere vim non potest, ob stomachi teneritudinem, sed liquore lactis, ac mollitudine alitur; donec firmatis viribus, vesci fortioribus possit: ita & huic oportebat, quia nondum poterat capere Divina, prius humana testimonia offerri, idest Philosophorum, & Historicorum, ut suis potissimum refutaretur Auctoribus. Quod quia ille non fecit raptus eximia eruditione divinarum Litterarum &c. Sic ille.

Cum igitur, ut ex his apparet, astruitque insuper, ex Gregorio Nazianzeno, Magnus alter Gregorius, non una, eademque cunctis dicendi ratio congruat, quia non cunctos par morum intellectus, ac fidei qualitas astringat; quia & plerumque herbæ, quæ hæc animalia enutriunt, alia occidunt: & lenis sibilus equos mitigat, catulos instigat: & medicamentum, quod hunc morbum imminuit, alteri vires jungit; & panis, qui vitam fortium roborat, parvulorum necat; idedque præ qualitate audientium formari debeat sermo Doctorum, aut calamus Scriptorum; undenam quæso, rationabiliter educere queunt Censores nostri, iisdem formulis, ac vocibus, quibus ad Divina explicanda Mysteria Scriptores, qui extant Antenicæni usi sunt, eadem pariter cæteros alios, quorum scripta non extant adhibuisse, cum exploratum minimè habeant unam, certam, communemque utrisque scribendi rationem fuisse; neque eadem temporis qualitate, neque præ ejusdem generis hominibus scripsisse? Tolerandus forsàn videretur vester hic ratiocinandi modus, si de iis, qui post Nicænum, & alia Concilia scripto aliquid tradiderunt, ageretur. Cum enim Divina ea Mysteria post Concilia ipsa circumscribere, nisi certis formulis non liceret; qui alias ab eis adhibuisse deprehenderetur, illiusmet certè scripta, quod eo tempore exarata fuissent, meritò in dubium quis vocare posset. At ubi nulla prorsus formularum præfinitio erat, sed vagè iis unusquisque uti poterat, quibus magis minusve, prout vo-

luit-

D. Gregor. Pst.
par. 3. in Prol.
tom. 3. pag. 164.

luisset, oportuissetque, rem explicandam suscepisset; ex quibusdam, quæ extant vocibus, ac formulis, cœterarum argumentum sumere, apertissimæ levitatis est.

Quid multa? Si vestrum alicui id muneris demandaretur, post tot Conciliorum sanctiones, ut de Mysteriis Incarnationis, Trinitatis, & hujusmodi cum rusticis, ac imperitis modo ageretur; nunquidnam vobis esse liberum censeretis, ut his, vel illis vocibus, ac formulis uteremini? Cur igitur aliis ab eis, quas Scriptores, aliqui, ac Patres antè Nicænum Concilium adhibuisse asseritis, alios etiã Scriptores, ac Patres, quorum opera minimè extant, uti non potuisse affirmare audetis? *Quid enim* (dicit Gregorius) *sunt intentæ mentes auditorum, nisi, ut ità dixerim, quadam, in Cithara sensiones strata chordarum? quas tangendi artifen, ut non sibi dissimile canticum faciant, dissimiliter pulsant. Et idcirco chorda consonam modulationem reddunt: quia uno quidem plectro, sed non uno impulsu feriuntur. Unde, & Doctor quisque, ut in una cunctos virtute charitatis adificet, ex una doctrina, non una, eademque exhortatione corda tangere audientium debet. Hæc Gregorius, cujus monitum, veteres Patres exemplo præcessisse, præter omnem hæsitationem censendum est.*

Id. au sup.

C A P U T III.

Frustrà objici contra Acta Martyrum, SS. PP. scripta, in quibus vocet quadam (ut asserunt) non reperiuntur; cum eas scribere tunc vetitum esset.

Historias exarantibus, ac per consequens Acta MM. conscribentibus licitum, quod inhiberetur aliis.

SED quorsum ista? Quid enim mirum si in scriptis antè Nicænum Concilium exaratis, hæc vel ille formulæ passim haud reperiantur, cum de iisdem Mysteriis aliquid scripto tradere vetitum esset? Ideòque perpauca, quæ de iisdem scripto mandata inveniuntur, potius sub quodam obscuritatis velo studiosè à Patribus proposita censerentur de-

debeant (ne toto eorum lumine objecto (ut mox ex Lactantio audisti), vel Gentilium, vel Hæreticorum, vel imperitorum aliorum hominum, in quorum manibus ea scripta fortè incidere potuissent, oculi caligarent) quam propriis vocibus, ac formulis, quibus fideles erudiebantur, exarata ritè æstimari possint? Quo pacto igitur Pseudo-Censores, ex scriptis antiquorum Patrum, quæ proferunt, & in quibus formulæ in Conciliis deindè præfinitæ non leguntur, (si tamen non reperiri, ut videbitur verum sit), easdem formulas antea non fuisse astruere conantur; si ipsas vel Patres quantum poterant, reticere debebant, vel omninò scripto traditæ non erant? Eiusdem generis, vel melius in eodem genere quæstio esset, si inter scriptum, ac scriptum lis agigaretur; ita, ut ex unius tantum auctoritate, alterius etiàm veritas, ac auctoritas penderet. Verùm in casu nostro, alia prorsus lis, alia quæstio, cum nil ferè commune habere posse videantur ea, quæ scripta sunt, cum iis, quæ passim scribi non poterant. Imò contrarium educi videretur, si illud esset, quod Adversarii contendunt, ut nempe voces, ac formulæ, quas non fuisse volunt, in eorum temporum scriptis offenderentur, nam falsitatem præferrent (quod quidè, licèt perperam, ipsimet multotiès scribunt, asseruntque ut alibi dicitur); ex eo nimirum, quod si vera, ac genuina ea scripta fuissent, scriptæ in eis præfatæ formulæ, ac voces non essent, nam tunc illas scribere interdictum. Tota igitur argumentationis illorum summa in hoc constitui potest. Formulæ, ac voces, quibus, ex Sacrorum Conciliorum Decretis, ad Divina Mysteria explicanda Ecclesia utitur; in Patribus, ac cæteris præfatis Scriptoribus (damus, hoc, ut dicitur, sed non concedimus Pseudo-Censoribus) non leguntur. Ergò scripta non fuerunt: elicere non debent, igitur, omninò non fuerunt; nam fuerunt, licèt non scripta, & ita fuerunt, ut penitus, ut plurimum scribi, non possent.

Quod autè sic fuerint quæcumque ad Divina ipsa Mysteria pertinerent primis Ecclesiæ temporibus, cum alibi pluribus ostenderit, (quæ tamèn Censores nostri, ac si dicta non essent, reputarunt, quod in probatissimam veritatem, à gravissimis Patribus asertam detractionis dentem

tem infigere ausi non sint ; ibique etiã demonstratum , qua ratione , quæ in aliorum Patrum scriptis formulæ , ac voces minime inveniuntur , in SS. Martyrum Actis , nihilominus offendi possint) , ideò rem hanc , duobus tantum adhibitis insuper testibus , comprobendam duximus ; quorum alter sit Eusebius , qui in opere , quod conscripsit , de Præparatione Evangelica , ostendat in primis , quod non in omnes veritatis dogmata essent efferenda , his verbis .

*Euseb. Præp.
Evang. lib. 12.
cap. 4. pag. 212*

Caveas , Plato inquit , ne rudibus hæc omnibus committas . Hi enim nihil magis , quam has utilissimas narrationes derident : quemadmodum è contra ingeniosi , ac sapientes nihil magis admirantur . Quare cum eis sapius hæc narrantur , crebè audiendo , vix tandem , ut aurum multo labore purgantur . Et apud nos salutaris ille sermo dicit : Nè detis Sanctum Canibus , nequè projeceritis margaritas antè porcos . Et illud : Animalis homo non percipit ea , quæ Dei sunt . Stultitia quippè illi sunt . Sic & divina Scriptura res mysticas ad multos efferendas prohibet , apud quam primus Moyses scribitur recusasse præfecturam &c.

*D. Basl. de Spi-
ritu S. ad Am-
pibitob. c. 27.
pag. 224.*

Alter verò Magnus Basilius , qui , & ea , quæ suprâ diximus confirmet , & quæ modo astruimus demonstrat . Dogmata (inquit) quæ in Ecclesia prædicantur , quædam habemus è doctrina scripto prodita , quædam rursus ex Apostolorum traditione , in mysterio , idest in occulto tradita recepimus . Quorum utraque parem vim habent ad pietatem , nec his quisquam contradicit , quisquis sanè , vel tenuiter expertus est , quæ sint jura Ecclesiastica . Nam si consuetudines , quæ scripto proditæ non sunt , tamquàm haud multum habentes momenti conemur rejicere : imprudentes , & ea damnabimus , quæ in Evangelio necessaria ad salutem habentur , immò potius ipsam fidei prædicationem , ad nudum nomen contrahemus . Quod genus est , ut ejus ,

Nota :

» quod primum est , & vulgatissimum primo loco commemorem : ut
» signo Crucis eos , qui spem collocarunt in Christum signemus ;
» quis scripto docuit ? Ut ad Orientem versi precemur ; quæ nos
» docuit Scriptura ? Invocationis verba , cum ostenditur panis
» Eucharistia , & posulam benedictionis ; quis Sanctorum in scri-
» pto nobis reliquit ? Nec enim his contenti sumus , quæ com-
» memorat Apostolus , aut Evangelium , verum alia quoque antè ,
» & post dicimus , tamquàm multa habentia momenti ad myste-
» rium , quæ ex traditione citrà scriptum accepimus . Consecra-
» mus

„ *mus autem aquam Baptismatis, & oleum unctionis præterea, Notæ.*
 „ *ipsum, qui Baptismum accipit, ex quibus scriptis? Nonne à*
 „ *tacita, secretaque traditione? Ipsam porro olei unctionem,*
 „ *quis sermo scripto proditus docuit? Jam ter immergi homi-*
 „ *nem, unde est traditum? Reliqua item, quæ sunt in Baptis-*
 „ *mo, veluti renunciare Sathana; & Angelis ejus, ex qua Scri-*
 „ *ptura habemus? Nonne ex privata, & arcana hac traditione? Nota.*
 „ *Nonne ex doctrina, quam Patres nostri in silentio, quod cu-*
 „ *riosos, & otiosos submovet, servarunt? Pulchrè quidem illi*
 „ *nimum docti arcanorum venerationem silentio conservari. Nam,*
 „ *quæ intueri fas est non initiatis, qui conveniebat, horum do-*
 „ *ctrinam publicitè circumferri scripto? Aut quid tandem sibi*
 „ *voluit magnus ille Moyses, qui non omnia, quæ erant in templo*
 „ *passus sit omnibus esse pervia, sed prophanos extrà sacros Can-*
 „ *cellos statuit. Sed priora atria purioribus permittens, Levitas*
 „ *solos dignos censuit numinis ministerio: mactationes autem, &*
 „ *holocaustorum oblationes, reliquumque ministerium Sacer-*
 „ *doribus assignavit: atque unum ex omnibus selectum, in adyta*
 „ *recepit: ac ne id quidem semper, sed uno tantum die quotan-*
 „ *nis: rursus, & hujus diei certam horam, qua fas esset ingre-*
 „ *di, præstituit, quo propter novitatem, & insuetudinem, pro*
 „ *stupore intuerentur Sancta Sanctorum, probè sciens pro sua*
 „ *sapientia, res usu tritas, & undecumque parabiles expositas*
 „ *esse contemptui; cæterum ei quod sepositum est, quodque rarum*
 „ *est, huic natura conjunctam esse summam admirationem, ac*
 „ *studium. Ad eundem profectò modum, & qui in primordiis*
 „ *Ecclesiæ certos ritus præscripserunt Apostoli, & Patres, in oc-*
 „ *culto, silentioque mysteriis suam servare dignitatem. Ne-*
 „ *que enim omninò Mysterium est, quod ad populares, & vulga-*
 „ *res aures effertur. Hac est ratio cur quædam citrà scriptum*
 „ *tradita sunt, ne dogmatum cognitio propter assuetudinem vulgo*
 „ *veniret in contemptum. Aliud autem est dogma, aliud edictum:*
 „ *Nam dogmata silentur, edicta verò publicantur &c. Et post*
 „ *hujus generis alia plura.*

Deficiet (subjungit) me dies, si Ecclesiæ Mysteria citrà
 „ *scriptum tradita pergam recensere. Omitto cætera, ipsam*
 „ *Fidei professionem, qua credimus in Patrem, & Filium, &*
 „ *Spiritum Sanctum, è quibus habemus scriptis? Etenim, si*
 „ *quoniam ex Baptismi traditione, juxtà pietatis congruentiam,*

„ ut baptizamur, ita credere debemus; similem Baptismo pro-
 „ fessionem exhibemus: concedant nobis, ut juxta eandem consti-
 „ quentiam, similiter glorificemus Deum, ut credimus. Quod
 „ si glorificandi modum, veluti scripto non traditum rejiciunt,
 „ proferant nobis, & fidei professionis, & ceterorum, quae com-
 „ memoramus probationem à Scripturis. Et postea cum tam
 „ multa sint, quae scripto prodita non sunt, tantum habent mo-
 „ menti ad pietatis mysterium, unicam distinctiunculam, quae à
 „ majoribus ad nos devenit non concedunt &c. Sic Basilius.

Exeant nunc unus, vel alter ex doctissimis, & sapien-
 tissimis nostris Pseudo-Censoribus, & dicant has, vel illas
 formulas professionis fidei, quas in Martyrum Actis repe-
 rimus, non credimus veras; quia in Patrum, ac Aucto-
 rum aliorum scriptis, antè Nicænum Concilium non inve-
 nimus. Quomodo enim invenire praesumitis in scriptis,
 quod scriptum non fuisse auditis? Sed insuper, quomodo
 asserere audetis aliam ab ea, quae certis formulis in Con-
 cilio Nicæno praefinita est, fidei illam professionem fuisse,
 quae antè Concilium ipsum fiebat; si Basilius post Nicæ-
 num Concilium, cujus decreta sanctissime sectatus est, ex
 Baptismi traditione, similem eidem professionem (quae
 scripto probari non poterat, quod longè antè Nicæni Con-
 cilio praefinitiones, in Ecclesia fuisset), se exhibuisse aper-
 tissimè confitetur? Numquid vos majores, ac sapientio-
 res Basilio estis, ita ut ejus assertioni excogitationes vestrae
 sint praeferendae?

Interim tamen, toties memoratam, ac ab adversariis
 contra nos perperam objectam Gregorii Nazianzeni sen-
 tentiam, (quamvis alibi, uti oportuit, explicaverimus),
 hic rursus à Magno Athanasio explicari volumus; quod
 enim certis finibus, ac vocibus à Nicæna Synodo Divini-
 tatis Doctrina circumscriptam ille pronunciaverit; Atha-
 nasius quomodo factum fuerit ostendit, dicens. *Ut fidem*
 „ à majoribus traditam (& ab Ario vexatam) retineant, quam
 „ Patres illi scribendo REPETIERUNT, qui Nicæa congregati
 „ sunt: & ne illos tolerent, qui contra eam novi aliquid molian-
 „ tur. Quibus verbis perspicue demonstrat, quid sua finium,
 ac vocum circumscriptione Nicæna Synodus egerit; nil
 nempè aliud, quam fidem à majoribus traditam, ut re-
 pe-

D. Athan. Orat.
 1. apud Petav.
 in prefat. in
 tom. 2. Operis
 Theol. Dogm.
 cap. 24

Nota.

peteret. Repetiisse verò immeritò dixisset Athanasius, si aliis vocibus, ac formulis ab eis, quas Majores tradidissent, eandem fidem scripto Nicæni Patres demandassent. Unde in libro de Incarnatione Verbi contrà Paulum Samosatenum quodammodò declarans, quinam tolerandi non essent, quod novi aliquid molirentur, in quo esset hæc illorum commolitio perspicuè ostendit: *Qui in iis permanet*, (inquiens) *quæ tradita sunt, extrà periculum est. Suademus igitur vobis, quod & nobis ipsis suademus, UT FIDEM EAM SERVETIS, QUÆ VOBIS TRADITA EST, ET UT PROPHANAS VOCUM NOVITATES VITETIS. Vocum igitur novitates devitandæ erant, ut in tradita fide persisteretur; verum si aliis formulis, ac vocibus, quæ antea non extitissent fides postea tradita esset; procul dubiò fidem quidem traditam, quo ad substantiam tenendam, non verò, quo ad voces servandam Athanasius pronunciasset.*

D. Athanas. de
Inc. Verb.

Nota.

Coeterum, ut supra diximus, Divinorum mysteriorum voces, ac formulæ, quæ scripto traditæ non erant, juxta nostram sententiam, in Martyrum tamen Actis scriptæ, veræ, ac legitimæ censendæ sunt. Verum si hæc scribi (inquies) prohibebantur, quomodo scriptæ hic comprobantur? Frustra (inquam) ista objiciuntur, nam, ut paulo ante, ex Basilio dictum est, Sacramentorum formulas, ut Eucharistiæ, nemo unquam scripto tradiderat; & nihilominus Evangelistæ, & Apostolus in Epistola ad Corinthios, admirabilis, ejusdem Sacramenti institutionem narrantes, rem, quam scripto demandare nemo debebat, & apertè narrarunt, & scripto tradiderunt: quo Pseudocensoribus ostenderent, Historicis, ad res gesta explicandas concessum, quod aliis prohibitum: ideòque non mirandum, si quod alii silentio præteriere, ab his persæpè memoratum reperiat.



CAPUT IV.

Vocabulum HOMOOUSION ante Nicenam primam Synodum in Ecclesia usurpatum, ex Georgio Bullo Heterodoxo ostenditur, & Pseudo-Censorum argumenta refelluntur.

VERUM, ad quid his immemoramur? cum Antenicænorum Patrum testimoniis in medium allatis, ac non obstante quam diximus, arcani disciplina, Georgius Bullus, licet Heterodoxus, Patres eosdem voces, ac formulas, de quibus discribitur prodidisse, manifestè ostenderit? quia igitur ipsius Bulli liber cuiquam præstò esse potest, superfluum est quæcumque ille refert transcribere; ideoque nobis sat erit nonnulla tantum vel ejus, vel eorum, quos profert Patrum hic verba referre, ex quibus agnoscatur, quam perperam Pseudo-Censores asseruerint, quo ad substantiam tantum, non verò, quo ad formulas, Divinorum Mysteriorum fidem perstitisse ante Nicæna, aliaque Concilia, in quibus formulas easdem (ut monuimus) præfinitas contendunt. Dolet autem, ex animo isdem verbis Bulli, quibus ipse Sandium Hæreticum disfertè rejicit, Pseudo-Censores pariter nostros rejicere nos esse coactos. Dicit enim Sect. 2. §. 8. de Omousion disserens. *Porro ομοουσιου vocabulum, non primum à Patribus Nicænis inventum, neque ab ipsis in questione de Filii Divinitate, noviter usurpatum; (quod multi existimarunt;) sed inde à majoribus ad posteros translatum fuisse, Eusebius disfertè testatur in Epistola ad suos Cæsarienses. Verba ejus hæc sunt: [Novimus quosdam ex veteribus doctos, & illustres Episcopos, & Scriptores, qui de Patris, & Filii Divinitate differentes, nomine ομοουσιου usi sunt.] Non est dubium quin Eusebio præsto fuerint multa primævæ antiquitatis monumenta, quæ hodiè nusquàm extant, sed dudum interciderunt: ex quibus ille banc assertionem suam abundè confirmare potuisset: Neque enim nobis in tanto, ac tam deplorando veterum Scriptorum naufragio, desunt testimonia, quæ eandem satis evincant. Tertul-*

*Georg. Bull. De-
sens. Fid. Ni-
ceni. sec. 2. §. 8.
pag. 49.*

*Apud Socrat.
Hist. Eccles.
lib. 1. cap. 8.*

ianus initio libri adversus Praxeam expressè dicit, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum esse UNIUS SUBSTANTIÆ; idque aded in regula Fidei, & innotuit Sacramento à Catholicis custodito, contineri affirmat. Quid autem, te obsecro, aliud Latine significat UNIUS SUBSTANTIÆ, quam, quod Græcè dicitur ὁμοούσιον? Neque ullus dubito, quin Tertullianus, ut ubique ferè, quod docti norunt, Græcos Ecclesiæ Scriptores studiosè imitatur, ita hic etiam τὸ ὁμοούσιον, quod apud istiusmodi Auctores, se priores, de S. Trinitate usurpatum legerat, vernaculo suo sermone reddidisset, UNIUS SUBSTANTIÆ. Rufinus de adulteratione Librorum Origenis, testatur frequenter hanc vocem apud Origenem reperiri; dum ait: [Numquid in eodem opere ejusdem libri interdum, ut diximus, statim in consequenti capitulo sui oblitus esse potuit? v.g. ut qui Patrem, & Filium UNIUS SUBSTANTIÆ, quod Græcè ὁμοούσιον dicitur, designavit: in consequentibus statim capitulis alterius substantiæ, & creatum poterat dicere eum, quem paulò antè de ipsa natura Dei Patris pronunciaverat natum?] Exemplum profert Pamphilus in Apologia, ubi ex Commentario in Epistol. ad Hebræos, hæc nobis exhibet Origenis verba: [Quæ similitudines manifestè ostendunt communionem substantiæ esse Filio cum Patre; aporrhæa ea enim ὁμοούσιον, videtur, idest UNIUS SUBSTANTIÆ, cum illo corpore, ex quo est, vel aporrhæa, vel vapor.

Athanasius in libro de sententia Dionysii Alexandrini contra Arianos refert Dionysium illum (Origenis Discipulum) in Epistola ad cognominem Dionysium Romanum dixisse, Christum esse ὁμοούσιον τῷ θεῷ, consubstantialem Deo, idque Romanum Dionysium ab eo EXEGISSE, ut IN TERMINIS diceret. Ex qua Athanasii narratione liquet, etiam Dionysiorum istorum

Nota:

atate ὁμοούσιον, vocabulum in frequenti usu fuisse, & qui ab eo abhorruerunt (quod Dionysio Alexandrino falsò objiciebatur) Ecclesiæ reprehensionem incurrisse. Miror itaque Sandii, sive inscitiam, sive impudentiam. Hæc Bullus. Quod vero perperam asereret Sandius idem ipsum, nimirum etiam Athanasium, inter eos fuisse, qui faterentur, τὸ ὁμοούσιον in Concilio demùm Nicæno fabricatum; id pariter strenuè rejicit Bullus idem, scribens: Imò & alibi is ipse Athana-

ibid, pag. 51.

sus

sius disertè profertur vocabulum illud , in Symbolo Nicæno positum τῆ μαρτυρία τῶν ἀρχαίων ἐπισκόπων , testimonio veterum Episcoporum, Nicæna scilicet Synodo anteriorum, comprobatum esse . Respice locum , quem paulò superius , ex Athanasio citavimus , ex Epistola ad Episcopos Africanos . Si quis autem de fide magni , & optimi Athanasii dubitet , extat , hodieque Epistola Dionysii illius Alexandrini contra Paulum Samosatenum , in qua expressè dicit Filium ἰσοῦσιν τῷ πατρὶ ἀνακρινόμενόν τῶν ἀγίων πατέρων , Consubstantialem à Sanctis Patribus dici . Quæ Dionysii verba etiam manifestè ostendunt , Sanctos Patres ipso anteriores , vocem ἰσοῦσιν , de Filio usurpasse ; proindè Eusebii testimonium , quod modo commemoravi , egregiè confirmant .

Denique ex eo , quod Pamphilus Martyr , in Apologia pro Origene (cui Pamphili nomen meritò inscriptum esse infra ostendemus) contendit Origenem expressè , Filium Patri ἰσοῦσιν dixisse , ideoque in Articulo de Filii Divinitate Catholicum fuisse : ex eo , inquam ipso manifestissimum est ἰσοῦσιν vocabulum etiam antè Concilium Nicænum apud Catholicos in usu fuisse , atque in explicatione Dogmatis de Filii Divinitate adhibitum . Nam Pamphilus ille aliquot annis , antè Synodum Nicænam , nempe sub Maximini persecutione , Martyrio coronatus fuit ; ut Eusebius de Martyr. Palest. cap. 7. & Hieronymus in Catalogo disertè testantur . Post hac opere fortasse pretium fuerit , notasse , Auctorem Libri , qui Πομπυδῆς inscribitur , Mercurio Trismegisto tributi , capite primo expressè dicere , Dei λόγον esse Patri ἰσοῦσιν . Certè plerumque fuisse Scriptorem , hoc est , non ipsum Trismegistum , sed Christianum aliquem ejus nomen eminentem , solide probavit Petavius : sed & idem Petavius fatetur , circulatorum illum perantiquum esse , & paulò post Apostolorum tempora extitisse . Quod & testimonia ex ipso à Justino Martyre citata , satis ostendunt .

Docet insuper Bullus ipse Censores nostros , qua ratione Consubstantialitatis dictio in Concilio Antiocheno rejecta , postmodum in Nicæno recepta fuerit ; & postquam pluribus ostendit , antè utraque Concilia vocem ipsam apud Catholicos in usu fuisse , tandem concludit . Itaque

Petav. de Trism. lib. 1 c. 2. s. 3. 4.

U. sup. s. 13.

om-

omnibus accuratè expensis, commodissimam hujus *ἐναντιοπαρουσία* inter Synodos Antiochenam, & Nicanam conciliandæ rationem hanc esse omnino arbitramur. Catholici autè Paulum Samosatenum, & Synodum Antiochia contra ipsum congregatam, de Patris, & Filii Divinitate differentes, dicere solebant, *ἑνὸς ὄντος*, QUOD EX TESTIMONIIS VETERUM Synodo Antiochena anteriorum, suprâ à vobis allatis abundè constat. Paulus verò ille, dum receptum Dogma de Filii Divinitate, omnibus modis studuit evertere, sophismate usus est, à malè intellecta vocis homoousii significatione ducto, hunc in modum: Si Filius sit Patri suo *Consubstantialis*, ut vos (Catholici) dicitis; consequens erit Divinam Substantiam, in duas partes, quasi dissectam esse; quarum altera Patrem, altera Filium constituat: adeoque Divinam aliquam Substantiam existisse, Patre, & Filio anteriorem, quæ in duos istos postea distributa fuerit. Hanc vocis explicationem meritò abominati sunt Patres Antiocheni, adeoque (de vocibus in controversia tanti momenti non multum solliciti) contenti fuerunt, ut hæretici cavillis ansam præscinderent, ipsum vocabulum silentio suppressere, modo de re, hoc est, de vera Filii Divinitate constaret. Cum verò postea Ariani rem ipsam, quæ voce ista revera significatur, nempe veram Filii Divinitatem negarent, suæque hæresi Antiochenorum definitionem (ut verisimile est) obtenderent; meritò Episcopi Nicani vocabulum aptissimum, quod à S.S. Patribus Antiochena Synodo superioribus, receptum, atque approbatum, ac tantum propter absurda impii Samosateni cavilla, Catholicis ereptum fuisse norant; iterùm quasi postliminio revocarunt, suoque Symbolo inseruerunt: addita in ipso Symbolo ea vocis explicatione, quam nemo, nisi Hæreticus poterat rejicere. Hac in excusationem venerandorum Patrum, Nicea congregatorum, de eo quod homoousii vocem Symbolo suo addiderint, apud æquos arbitror sufficient. Quibus addit Athanasius in loco superius allato, idque verissimè, necessitatè quadam eo adactos fuisse Viros sanctissimos, ut vocabulum illud (licet in Scripturis nusquam usurpatum, adeoque à quibusdam antecessorum suorum levioribus de causis rejectum) in confessione sua ponerent, scilicet propter Arianorum penè incredibilem, & bonis omnibus planè desestandam τὴν πικρανίαν, sive (ut alibi loquitur idem Athanasius) τὴν ἀκαταστασίαν, ἢ

Nota:

TNY

την δ' ἀειθερίας κακοτεχίαν . Quippe egregii illi simulandi , dissimulandique Artifices , nullam planè loquendi formulam , quam sive ex Scripturis , sive ex traditione desumptam usurpant Catholici , repudiarunt , præter hoc unum homoussii vocabulum : quippe cuius vocis ἀειθερίας , & exquisita ratio , omnem ἀμφισβησίας aditum ipsis præcluderet . Rogati , an agnoscerent Filium ex ipso Patre genitum esse ? Annuebant intelligentes nimirum Filium , ità ex Deo esse , quomodo omnes Creatura ex Deo sunt , hoc est , ab ipso existendi initium habent . An Deum faterentur Dei Filium , cum ab ipsis Catholici fscitarentur : illicò respondebant , omninò . Quin , & Filium Dei ἀληθινὸν Θεὸν verum Deum ultrò prædicabant . Quo demum sensu ? scilicet γυνόμενος ἀληθινός , ἀληθινός κεν , ι . , ε . Verus est Deus , qui verè factus est Deus . Denique cum à Catholicis de eo arguerentur , quod Filium Dei creaturam dicerent , accusationem , non sine indignatione aliqua respuebant : hoc nimirum sensu sibi ipsis reservato ; Creaturam non esse Dei Filium , sicut cætera creatura , quæ mediatè à Deo διὰ τοῦ λόγου , non immediatè sicut ipse λόγος , condita fuerunt . Solam homoussii vocem cum sua hæresi conciliare nullo modo potuerunt . Vide omninò , quæ hac de rescripsit Athanasius in Epistola ad Africanos Episcopos , recitata à Theodorito Eccles. Hist. lib. 1. cap. 8. Ubi illud in primis observandum testari Athanasium , in animo habuisse Patres Nicænos suam fidei confessionem ex solis Scripturæ sententiis construere ; idque effecturos fuisse , nisi ab hoc insituto abstraxisset ipsos , quam perspectam habuerant Arianorum in pervorsendis , ac detorquendis sacrorum oraculorum verbis , impia , atque abominanda vafrities . Quod autem dixit Athanasius homoussion unum esse vocabulum , quod Ariani nullo furo depravare potuerunt , egregiè confirmat Ambrosius lib. de Filiis Divinitate cap. 4. his verbis . [Denique , & nunc possent ὁμοούσιον , sicut , & cætera , verbo tenus nominare , si haberent quomodo illud ad altam intelligentiam sævo sensu perverterent . Sed cum viderent , se in hoc verbo concludi , nullam omninò hujus mentionem fieri voluerunt &c. Et inferius ,

U. sup. S. 14.

Conc. Quæ-
særæ. dissert.
dissert. 1. pag.
138.

Cæterum nullo modo audiendus est Stephanus Curcellæus , qui affirmare non erubuit , quod Episcopi Nicæni vocem ὁμοούσιον tamquàm testem ὁδοῦ Symbolo fidei inseruerint , quam An-

Antiochæni inde, ut Hæreticam sexaginta annis antè eliminarent; per imprudentiam accidisse, quia Nicææ congregati Episcopi nihil de Antiochenorum decreto audiverant: & cum postea ad ipsorum notitiam Synodo dissoluta pervenisset, non fuisse amplius integrum mutare. Cui enim mentis sanæ, & quem spiritus vertiginis non agitavit (ut ipsius Curcellai verbis utar), verisimile videbitur, è trecentis, & octodascim Episcopis, quorum nonnulli erant (ut suprà ex Eusebio audivimus) insigniter docti, nonnulli etiam ob proveciam ætatem venerabiles, neminem fuisse, qui sciret, quid in Synodo celeberrima, & recentis memoriæ decretum fuisset? Ut verò in gratiam Curcellai daremus, cæteros omnes Præsules Ecclesiasticæ historiæ adeò imperitos fuisse; certè Eusebius Casariensis, utpote vir rerum Ecclesiasticarum extrà controversiam peritissimus, id ignorare nequaquam potuit. Quid? Quod Athanasius, qui Synodo Nicæana, ut dictum est, ipse interfuit, disertè testatur, in loco suprà allato, Patres Nicææ congregatos omninò intellexisse τῆν πρᾶξιν τῆς Παύλου calliditatem Pauli, nempe Samosatensis in eo scilicet, quod sophisticè sua, apud Antiochenos id effecerit, ut vocem aptissimam, atque à Catholicis Doctoribus olim usurpatam, abjicerent; ideoque vocem istam iterum in usum Ecclesiæ revocasse: quibus nihil contrà figmentum Curcellai disertius dici potuit. Hæc tenus Bullus.

Qui quidem, non modò contrà Curcellæum, ac Socinianos alios his egisse visus est, sed etiam contrà Pseudo-Censores nostros, qui dum ante Patres Nicænos Homoousii vocabulum in usu nequaquam fuisse asserunt, Socinianorum eorundem fundamenta constabilire, videntur, quibus ii innixi Divinitati Filii Dei potissimum detrahere connituntur. Fatentur ipsi quidem se ab eorum blasphemis abhorreere, dum dicunt: notam omnibus Catholicorum doctis esse fallaciam, & impudentissimum hodiernorum Socinianorum paralogismum, quo ex eo quod in Operibus Patrum Antenicænorum formulas ipsas non reperiant, quæ in illis Postnicænorum inveniuntur; etiam Trinitatis fidem, uti in posterioribus, in prioribus illis non fuisse, elicere connituntur; ab identitate Fidei, quæ in Patribus ante, & post Nicænis æquè fuit, formularum etiam identitatem, quibus eadem fides explicata est perperam edu-

centes : cum, è contra fides eadem semper in omnibus, formulæ non semper eadem extiterint ; ac *Consubstantialitas Patris*, ac *Verbi*, quò ad *Mysterium* semper una in Ecclesia fuerit, non vero quoad voces. Quo quidem loquendi modo *Pseudo-Censores Arianis* ultrò concedere alterum eorum, de quo cum illis disseritur, nemo non videt : duo siquidem sunt, quæ ab illis in quæstionem vocantur, quorum primum est, hujusmodi *Mysterii fidem* veteres Patres non habuisse ; alterum, quo primum comprobare gestiunt, & sinè quo illud primum minimè probarent, formulas, scilicet, apud ipsos Patres non reperiri, quibus idem *mysterium explicatum* est. Dum igitur *Arianis Pseudo-Censores* assentiuntur in eo, quod formulæ hujusmodi in *Antenicænis Patribus* non reperiuntur ; velint nolint, ut ajunt, consequens est, ut sublatis validissimis hujusmodi *Catholicæ Fidei præfidiis*, assentiri etiam dicantur in *Patribus* ipsi illius *Mysterii fidem* non fuisse. Ex eo enim, quod illæ non fuerint formulæ, *Ariani hodierni* educunt, nec *mysterii fidem* fuisse. At contra illos *Pseudo-Censores* contendunt fuisse fidem *Mysterii*, etiam si formulæ non extiterint. Verum cum hujus fides *Mysterii* (ut diximus) haberi minimè sinè formulis potuerit ; vel alias formulas (si hæc non fuerunt) in medium proferre debent, quibus eadem omnino *mysterii fides* tradita sit ; vel has fuisse, uti astruimus, quibus fides eadem explicata sit, concedant oportet. Si autem hoc concedere renuunt, quis non videt, *Soccinianis* illos manum præbere, dum immeritò illud concedunt de formulis, quo firmissime constituto, *mysterii fidem* falsò illi negare nequeunt : cum idèò negent, quod illas formulas in veterum scriptis, se non reperire contendant ?

At quid ad rem, quod subjicitur, *Consubstantialitatem*, nimirum *Patris*, & *Verbi*, quò ad *Mysterium* in Ecclesia semper unam fuisse, at quo ad vocabulum non ità ; dum modo in *Paulo Samosateno* in *Concilio Antiochæno* proscriptum fuit, modò in *Nicæna Synodo* approbatum ; cum vocabula, vel approbentur, vel rejiciantur, juxta significationem, quæ illis bona, seu mala tribuitur : & hinc esse, quod *Nicænum Concilium* nil aliud fecit, juxta alias allatam *D. Gregorii Nazianzeni doctrinam*, nisi quod vocum signi-

significationes præfinivit? Quid inquam, ista ad rem, de qua disseritur? quod, nempe vocabula in Ecclesia, vel rejiciantur, vel approbentur, secundum malam, seu bonam interpretationem, quæ iis tribuitur? Quid indè? Nicæna Synodus certis finibus, ac verbis Divinitatis doctrinam circumscripsit. Sit ut vultis: Igitur? Quid infertis? Ergo vocabula, quibus eam doctrinam circumscripsit, ante Concilium Nicænum non fuerunt? De hoc enim est quæstio. Verum ex illo antecedenti, quod vultis nullatenus educitur; nam ex eo quod vocabula, modo rejecta, modo approbata, ac demum in Conciliis fuerint præfinita, non educitur, quod antea non fuerint, ut contenditis; immo oppositum potius, quod fuerint, ut approbari, nimirum, seu rejici potuerint; nam rejici, vel approbari nequivissent, nisi antea fuissent.

CAPUT V.

Alia pariter vocabula ad Myſterium Trinitatis, Filiique Divinitatem ſpectantia, ante Concilia generalia in Eccleſiâ invaluiſſe, ex Gregorio Thaumaturgo, Tertulliano, & aliis confirmatur: Et Pſeudo-Cenſorum falſa diſſerendi ratio rejicitur.

SED ut dilucidius pateat, quod ejuſmodi vocabula fuerunt, & ante ipſa Concilia fuerunt, iisque frequenter veteres Patres uſos eſſe; hic præclariffimum, inter eos, afferre ſufficiat Gregorium Thaumaturgum, qui ſuo Decio Principe floruit, cujus perſecutionis ſævitie, fuga etiam (ut dicitur), ſe ſubtraxit.

Tradidit ille ſiquidem Fidei ſuæ confessionem, omnibus numeris, ad rem, de qua agimus, abſolutiffimam, quæ ab altero Gregorio Nyſſeno, in ſillius vita recitatur his verbis: *Unus Deus, Pater Verbi viventiſ, Sapientiæ ſubſiſtentiſ, & potentie, & characteriſ ſempiterni: perfectuſ perfectiſ Genitor, Pater Filii Unigeniti. Unus Dominuſ, ſoluſ ex ſolo, Deus ex Deo, Character, & imago Deitatiſ, Verbum effi-*

D. Greg. Niſſ. in Viſ. Græca M. r. cul.

efficax. Sapientia constitutionis rerum universalium comprehensiva: & virtus, atque potentia universæ creaturæ effectiva. Filius verus, veri Patris, invisibilis ejus, qui est invisibilis, & incorruptibilis, corruptioni non obnoxii, & immortalis, mortis prorsus nescii, & sempiternus sempiterni. Unusque, Spiritus Sanctus, ex Deo existentiam habens, & qui per Filium apparuit, scilicet hominibus: Imago Filii, perfecti perfecta; vita viventium causa, fons sanctus, sanctitas, sanctificationis suppeditatrix. In quo manifestatur Deus Pater, qui super omnia est, & in omnibus: & Deus Filius, qui per omnia est. Trinitas perfecta, quæ gloria, & æternitate, ac Regno, atque Imperio non dividitur, neque abalienatur. Non igitur creatum quid, aut servum in Trinitate: neque superinductitium, aliquid, & adventitium, quasi prius non existens, posterius verò adveniens. Non ergo defuit umquam Filius Patri, neque Filio Spiritus; sed immutabilis, & invariabilis, eadem semper manet Trinitas.

U. sup. p. 974.

De hac fidei confessione, in qua constanti, ac continuato gressu (ut videre est), distinctissimisque formulis, Divinæ Trinitatis Mysterium explicatur, loquens præfatus Nyssenus, in Vita ejusdem Gregorii, hæc scribit. *Cum per totam noctem aliquando de ratione, atque sermone fidei dispiceret, & specularetur, & varias animo cogitationes ageret: (erant enim, nimirum etiam tunc nonnulli, qui piæ, & sinceram religionis doctrinam adulterarent, ac per probabiles argumentationes, sæpe numero etiam doctis, & prudentibus veritatem facerent ambiguam): pro qua tunc ei, pervigilem curis, atque sollicitudine noctem agenti, quidam in figura humana, forma, ac facie senili evidenter apparuit, ornatu, atque compositione indumenti, augustum quemdam, Sacrum, ac Divinum referens decorem, magnam, gratia vultus, atque dispositione figuræ, præferens virtutem. Hic verò visu perterritus, & surgere è lecto, & quis esset, cujusve rei gratia venisset, sciscitari. Cum autem ille perturbationem mentis ejus submissa voce sedasset, ac dixisset. Se jussu Divino apparuisse ei, propter eas rationes, quæ apud ipsum controversæ, & ambiguae essent, ut piæ fidei veritas revelaretur: & bono animo esse audito sermone, & cum quodam gaudio, atque consternatione illum contueri. Deinde eum ille directò manum pro-*
dis-

diffet, & quasi ostenderet ei per digitorum directam protensionem id, quod ex transverso apparebat: hic & una cum directâ manus protensione circumagere suum obtutum, & videre aliud spectaculum adversum ei, quod prius apparuerat, in figura muliebris excellentius quiddam, & angustius, quàm pro humana conditione, rursus autem perterritus, & facie averſa vultum demittere, ac perplexus, & dubitabundus hæſitare de spectaculo, cum oculis apparitionem ferre non posset (etenim miraculum visionis, nimirum in hoc potissimum erat, quod cum nox esset obscura, lumen una cum iis, qui apparuerant, ei, effulxerat, quasi aliqua lucida tæda accensa). Cum igitur oculis ferre apparitionem non posset, eorum, qui sibi apparuerant, inter se se rationem ejus rei, de qua ambigebatur, exponendum sermocinationem audivit: per quam, non solum accepit vivam cognitionem fidei; verum etiam nominatim eos, qui apparuerant, cognovit, utroque eorum propria appellatione alterum alloquente. Audivisse enim dicitur ex ea, quæ in muliebris habitu visa erat, cum hortaretur Evangelistam Joannem, ut adolescenti mysterium veræ pietatis aperiret, ac declararet. Atque illum dixisse, se paratum esse etiam in hoc Matri Domini gratificari, quoniam hoc ei cordi esset: atque ita exposito sermone, qui, & rei quæsitiæ conveniret, & admodum benè definitus, & circumscriptus esses, rursus ex oculis discessisse atque hunc extemplo Divinam illam institutionem, ac disciplinam litteris mandasse, & secundum illam postèd in Ecclesia sermonem prædicasse, ac posteris tamquam patrimonium quoddam, & legatum, divinitus datam illam doctrinam, reliquisse; per quam, usque in præsentem diem instituitur illius Civitatis plebs, quæ ab omni hæretica malitia intacta permansit.

Et relata, quam protulimus Gregorii fidei professione, statim addit. Ergo neque creatum quicquam, aut servum in Trinitate (est); neque adscititium quicquam, & adventitium, ut quod prius quidem non esset, nec suppeteret, posterius autem introductum sit; neque verò deest umquam Filius in Patre: neque in Filio Spiritus; sed immutabilis, & inalterabilis eadem semper Trinitas est. Quod si quis sibi fidem de hac re ferri cupit, audiat Ecclesiam, in qua sermonem prædicabat, apud quam illa ipsa verba à beata illa manu exarata, adhuc etiam nunc conservantur. Sic Gregorius.

Cum

Cum statutum sibi fuerint Pseudo-Censores, ut omnia testimonia, quibus disertè Mysterium Trinitatis, iisdem serè formulis assertum, quibus ejusdem professio fidei in Conciliis postea firmata est, tamquam spuria, & adulterina rejiciant: nescio, an præclarissimam hanc Gregorii professionem explodere velint. Quod si quidem (quod Deus avertat) fuisset; ab homine certè extra Catholicam Religionem (ut diximus) posito, nempe à Bullo, ad fidem provocari, compellique deberent: ubi enim egit ille de fidei, quam proposuimus, professione, ab eodem Gregorio edita, ista scribit.

Georg. Bull., 210
sup. S. 2. cap.
22. pag. 249.

Ruff. Hist. Eccles.
lib. 3. cap. 25.

Hanc fidei confessionem ferant Gregorio (cum totus intentus cura pastoralis optime administranda nocte quadam rationem dispiceret, prædicanda populo suo sinceram fidei, variasque, quæ tunc controverterentur, de S. Trinitate questiones animo revolveret), cælitus per revelationem traditam fuisse. Neque sanè incredibile cuiquam videri debet, tale quippiam homini accidisse, cujus totam vitam revelationibus, & miraculis illustrem fuisse, Scriptores Ecclesiastici omnes, quotquot ejus meminereunt (& quis serè non meminuit?) uno ore testantur. Ut ut verò illud sit, formulam illam confessionis Catholice de S. S. Trinitate, à Gregorio revera profectam fuisse constat. Nam eidem, non modo tribuit Ruffinus, sed & ipsius cognominis Gregorius Nyssenus, qui viri admirabilis res gestas, & scripta accuratè perspecta habuit, adedque vitam ejus descripsit. Quin, & rem hanc ita narrat vir eximius, ut vix quisquam cordatus, de ea dubitare possit. Nimirum confessionem illam recitaturus, hæc verba præmittit: [Per quam (confessionem) usque in præsentem diem instituitur plebs illa (nempe Neocesariensis,) quæ ab omni hæretica malitia intacta permansit.] Scilicet aded certum erat, confessionem illam fidei à Gregorio Thaumaturgo profectam, ut plebs omnis Civitatis Neocesarensis, cujus Episcopus, & immortale decus ille fuit, illam, ut Gregorii indubidè genuinam amplexa, perque ipsam, à Patrum memoria, usque ad Nysseni ætatem, institui solita fuerit: indeque factum, ut Ecclesia Neocesariensis, cum totus mundus Arianus fieret, ab hæretica malitia se illasam conservaverit. Et post nonnulla.

Cæterum Gregorii Nysseni testimonio, apertè suffragari mi-

mibi videtur *Basilus Magnus* ipsius *Frater*, qui *Epist. 75. ad Neocesarienses*, testatur se ab avia sua, in tenera aetate, *Gregorii Thaumaturgi* ipsa verba didicisse, quibus recte de fide, in *Santissimam Trinitatem* institutus fuerit. Verba ejus sunt: *Fidei* verò nostra, quæ poterit esse evidentior probatio, quam quod à nutrice beata femina, quæ ex vestro gremio progressa est, (*Macrinam, dico Illustrem illam,*) educati sumus: à qua, & *beatissimi Gregorii* verba didicimus, quæ memoria beneficio, ad illius usque aetatem conservata, & ipsa retinuit, & nos adhuc infantes iisdem, tamquam pietatis dogmatibus formavit. Omnino, inquam, hic *Thaumaturgi* confessio designari mihi videtur. Nam totidem verbis à *Gregorio* traditam fidei *ἁποστολικῆν*, de *Santissima Trinitate* (quippe de ea ibi agit) se in infantia sua, ab avia *Macrina Neocesariensi* edoctum fuisse, discrete testatur *Basilus*. Attende Lector. *Nyssenus* refert, *Populum Neocesareensem*, per *Thaumaturgi* confessionem, à *Patrum* memoria, ad suam usque aetatem institui solitum fuisse: ait vero *Basilus*, se ab avia sua, (nempe, dum apud ipsam *Neocesaream* in *Ponto*, una cum parentibus suis vitam ageret,) in tenera aetate (hoc est, ante *Concilium Nicanum*,) rectam fidem de *Santissima Trinitate*, totidem *Gregorii* verbis conceptam, edidicisse. Quis non existimaverit de eadem fidei confessione utrumque loqui?

Et paulo post, invehens in *Sandium*. Quid jam ad hæc *Sandius*? (ait) de confessione fidei, inquit, nihil aliud dico, quam de ea tacere *Eusebium*, & *Hieronymum*, & *Sophronium*. Quasi scilicet *Eusebius*, & *Hieronymus* omnia veterum *Patrum* scripta, & facta commemoraverint. Certè *Eusebius* in *Historia sua Ecclesiastica*, nescio quo casu (nam ut credam malo aliquo consilio id factum, quod putavit *Anastasius Bibliothecarius*, à me impetrare nequeo,) *Gregorii Thaumaturgi* laudes; fere, silentio pressit, nec quicquam de *Miraculis* ejus, per totam *Christianam Orbem* celebratis, dicit. Puto in aliquo opere, quod intercidit, plura de *Gregorio Thaumaturgo* retulisse *Eusebium*. Certè in *Apologia pro Origene*, ejus *Discipuli*, *Gregorii Thaumaturgi* mentionem facit, inserta etiam ei operi *Panegyrica* ejusdem oratione in laudem *Origenis*, ut testatur *Socrates Histor. Eccles. Lib. 4. Cap. 27*. *Eusebii* autem *Historiam* ferè *ἡλικῶν*, secutus est *Hieronymus*; *Sophronius* verò tantum

*Sand. de Scrip-
Eccles. pag. 39.*

*Anast. ad Anast.
Christ. 246.*

tum Hieronymi interpretis fuit . Hactenus ille .

Quod autem de Gregorio Thaumaturgo, ipse Bullus ostendit ; de Dionysii Romano, & Alexandrino, de Origene, de Martyre Cypriano, aliisque eorum coævis, pariter astruit : quos omnes negare velle, seu posse non nisi inanissimæ, meritoque ab omnibus irridendæ vanitatis esset .

Coeterum & formulas alias, quibus deinde in Conciliis, celebriores illæ TRINITATIS, CONSUBSTANTIALITATIS, & his similes, explicatæ sunt, ante eadem Concilia fuisse ; exemplo sit, quod in Tertulliano legimus . Quod enim habetur positum contra Arianos errores in Symbolò, nempe, DEUS DE DEO, LUMEN DE LUMINE ; id ipse antea in Apologetico his verbis scripserat . *Hunc ex Deo prolatum didicimus, & prolatione generatum, & idcirco Filium Dei, & Deum dictum, ex unitate substantiæ : Nam & Deus spiritus . Etiam cum radius ex Sole porrigitur, portio ex summa . Sed Sol erit in radio, quia solis est radius, nec separatur substantia, sed extenditur . Ità de Spiritu, Spiritus, & DE DEO DEUS . UT LUMEN DE LUMINE accensum, manet integra, & indefecta materia matrix, & si plures qualitatum mutueris : ita, & quod de Deo profectum est, Deus est, & Dei Filius, & unus ambo . Ità de Spiritu, Spiritus, de DEO DEUS, modulo alternum numerum gradu non statu fecit, & à matrice non recessit, sed excessit . Iste igitur Dei radius, ut retrò semper predicabatur, delapsus in Virginem quandam, & in utero ejus caro figuratus, nascitur Homo Deo mistus .*

En costanti gradu à Tertulliano dictum, quod iisdem fere formulis in Conciliis, editisque ab illis Symbolis præfinitum est . Similiter adversus Praxeam ? *Hæc erit (inquit) probola veritatis, custos unitatis, qua prolatum dicimus Filium à Patre, non separatam . Protulit enim Deus sermonem, sicut radix fruticem, & fons fluvium, & sol radium, Nam, & istæ species probolæ sunt earum substantiarum, ex quibus prodeunt .*

Hæc, & plura alia hac de re veterum Patrum apud Bullum offendimus testimonia, quæ quia alibi de his pariter differentes, in mediùm non protulimus ; nos ea apud Bullum ipsum non reperisse Pseudo-Censores insimularunt, fri-

Nota :

Tertull. Apol.
cap. 21.

Tertull. advers.
Prax. cap. 5.

frigido eo suo frequentissimo conjecturali argumento, quod si reperissemus, ea ultrò prodere studuissemus. At, ut verum fateamur, nos ea prætermisimus, quod inter Catholicos, rem extrà quæstionem esse existimavimus. Fefellit, inquam nos, nimis pia de Censoribus ipsis opinio. Sed qui in hoc lapsi convincuntur, ex hoc uno, innumeros penè Censurarum suarum lapsus saltem discant alios: cum, videlicet educere solent: *si hoc fuisset, ille non reticuisset; si reperisset, profectò dixisset; si invenisset, non siluisset; nam contra id quod perperam illi suspicati sunt, nos reticuissemus, nos non diximus, nos siluimus, quia in Bullo invenimus, quod ad rem abundè sufficeret; non diximus, quia in Bullo reperimus; siluimus tandem, quia ille loquutus est, satisfecitque de quæstione, à nefariis Soccinianis, vel Arianis, ut diximus, sacrilegè mota.*

CAPUT VI.

Vocabula de Spiritus Sancti PROCESSIONE, & ex Filio, apud Patres longè ante Concilia, undecimo seculo congregata reperiuntur. Perperam, à Pseudo-Censoribus asseri, de aliquo Fidei Articulo Patres eosdem non differuisse, nisi cum illum ab Hereticis contigit impugnari.

EODEM spiritu, quo contra Dei Verbum Pseudo-Censores aliqui egerunt, alii simul cum eis contra S. Spiritus ex Filio processionem, ex eo præcipuè debacchati sunt, quod in nonnullis MM. Actis, non obiter aliquandò Spiritus Sanctus, non à Patre tantum, sed à Filio quoque procedere legatur, sed dogma istud expressè in illis duplici ratione comprobatum sit; quarum prima, quod Filius os Patris sit; altera verò, quia cum Pater, & Filius unum sint, Spiritus Sanctus ab uno procedere nequeat, quin ab altero etiam procedat. Ex quo evidenter elici putant, Acta hujusmodi eo seculo conscripta fuisse, quo controversia hæc agitabatur; quod nemo Patrum, ex professio articulum aliquem probare contenderit, nisi ex eo, quod ipsum impugnari contigerit. Cum verò cer-

D d tum

tum sit primis Ecclesiæ seculis, de dogmate hoc disputatum non fuisse, (uti acriter factum est undecimo seculo, quo plura Concilia coacta fuerunt super hoc dogmate, & præcipuè Barensè sub Urbano Secundo, cui, pro Latinis S. Anselmus interfuit, qui hac de causa Librum contra Græcos concinnavit.) Hinc eadem Acta (inquirunt), undecimo, vel duodecimo tantum seculo fuisse conscripta deprehenditur.

Ut verum fateamur, nil unquam fuit, quod magis mirati simus, in novis his Pseudo-Censoribus, quàm dissendendi rationem. Nullus Patrum, dicunt, ex professo articulum aliquem probare contendit, nisi cum articulum ipsum impugnari accidit: quasi ex professo Acta Martyrum, in quibus, quæ diximus offenduntur, probare aggressi sint, quod his tantummodo verbis explicare nonnulla eorum, sat habuerunt. *Spiritus Sanctus confirmator, & consolidator omnium; de quo aperte in supradicto Psalmi versiculo adjungitur: Et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum: quibus verbis aperte datur intelligi, Spiritum Sanctum; Patris, & Filii Spiritum rectissime credi, & confiteri. Quum enim os Dei, Filius Dei, ne contrariè intelligatur, qui, & Verbum Patris, Virtus, ac Sapientia Patris multarum Sanctorum Scripturarum testimoniis confirmatur. Filius vita, & Pater, quum, ut in Evangelio ipse verbi Domini ostenditur, unum sint; nullum dubium esse potest, quin Spiritus Sanctus, Patris, & Filii sit Spiritus: qui Sanctus Spiritus Paraclitus, ac consolator, à Patre, & Filio procedens (cum quibus est Deus in Trinitate perfecta.)* His, inquam, verbis Spiritus Sancti processionem disertis Censores, ex professo comprobata volunt; quod, utrum revera ita sit, an potius, quæ in Actis dicuntur, obiter melius (licet rationabiliter, seu rationi innixa, ut esse debuerunt), dicta, censenda sunt; quisquis, vel mediocri ingenio præditus, facile deprehendere valet. Deinde, ad quid illud, nemo Sanctorum Patrum articulum aliquem, ex professo comprobandum suscepit? Quis umquam hujusmodi Actis, Patris alicujus nomen tribuit? Quis ea Sanctum aliquem Patrem nuncupavit? Si verò ea, nec Patris alicujus sunt, nec ab aliquo Patre concinnata probantur; non videtis quan-

quantum in educationibus vestris, à vero aberretis?

Enimverò sit, ut vos vultis, Actorumque, quæ diximus Scriptorem, inter Sanctos Patres recensite; insuper etiam his, quæ dicit, ex professo, S. Spiritus, à Patre, Filioque processionem comprobare intenderit: ulterius nemo Patrum, quid hujusmodi probandum unquam suscepit, nisi cum illud oppugnari acciderit. Ergo, si, per vos, res ita sese habuit, articulum illum processionis Spiritus Sancti, jam saltem à temporibus Epiphanii, Athanasii, Basilii, Gregoriorum Nazianzeni, ac Nysseni, Ambrosii, Hieronymi, Augustini, Leonis primi, ac Gregorii Magni impugnari coeptum, dicendum erit; cum hi quoque, ex professo, dogma id comprobassè dicendi sint: (si tamen, ex professo illud Acta præfata, comprobare pronuncientur; cum ipsum nihilominus (uti præfati Patres), non nisi aptius, & clariùs explicent.) Igitur, ex eodem principio vestro falsum est, quod Acta ipsa, nonnisi undecimo seculo conscripta fuerint, quia falsum est prædictum dogma, tunc tantum impugnatum; quia constat longè ante impugnatum, quod, ex professo illud probare præfati Patres contenderint.

Scimus quidem Erasmo impiissimam eam insedisse opinionem, ut de Divinitate Spiritus Sancti, veterum Patrum neminem loquutum esse affirmaverit; eumque sectatum fuisse Grellium, eadem blasphemantem: horumque demum vestigiis instituisse, qui præterito seculo, sub anno 1687. in lucem hæc protulit, ubi, de Prima Nicæna Synodo; Imò nec perfectè in præfata Synodo Trinitatis Dogma fuit definitum; cum, ut, ex Basilio constat, Divinitas Spiritus Sancti, Patri, Filioque consubstantialis, non ante finem quarti seculi incipisset in tota Ecclesia publicè prædicari. Verùm nefandissimum istorum mendacium, non modo Petavius, sed etiam alibi memoratus Bullus rejecit: nam ubi, ex Tertulliano in Libro contra Praxeam, ista in medium protulit, *Duos quidem, inquit, definitum Patrem, & Filium, etiam tres cum Spiritu Sancto, secundum rationem Oeconomiæ, quæ facit numerum, ne (ut vestra perversitas infert) Pater ipse credatur natus, & passus, quod non licet credi, quoniam non est traditum. Duos tamen Deos,*

D d 2

Erasm. in Præfati. ad Opera D. Hilarii.

Petav. de Trinitis lib. 3. cap. 7. §. 5. pag. 267. Tertull. contra Prax. cap. 23.

Et duos Dominos, nunquam ex ore nostro proferimus: non quasi non, & Pater Deus, & Filius Deus, & Spiritus Sanctus Deus, & Deus unusquisque; sed quoniam retro, & duo Dei, & duo Domini predicabantur: ut ubi venisset Christus, & Deus agnosceretur, & Dominus vocaretur, quia Filius Dei Domini. Statim addit. Ubi obiter animadvertas Tertullianum, etiam Spiritum Sanctum, perinde, ac Patrem, & Filium Deum disertè pronuciare. Quod contra Erasmus noto, semerè affirmantem, aliquandiu, nempe usque ad Hilarii tempora, veteres non ausos fuisse Spiritum Sanctum Deum nominare &c. Sic ille.

Georg. Bull. De-
fen. Tid Nic.
Sec. 2. cap. 7.
§. 6. pag. 156.

Idem verò Tertullianus, præfato Libro contra Præxeam, non tantum Spiritum Sanctum Deum dicit, sed insuper, uti Martyrum, quæ prædiximus Acta, à Patre, Filioque procedentem facit. En illius verba. *Spiritum Sanctum, à Patre, per Filium deduco*. Dicetis, vos non negare dictum esse Spiritum Sanctum per Filium procedere, sed à Filio. At futilem hanc objectionem Florentini Concilii Decretum refellit, in quo Eugenius Papa hæc definit: *Quod Spiritus Sanctus ex Patre, & Filio, æternaliter est, & essentiam suam, suumque esse subsistens habet ex Patre, simul, & Filio, & ex utroque æternaliter, tanquam ab uno principio, & unica spiratione procedit. Declarantes quod id, quod Sancti Doctores, & Patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum Sanctum, ad hanc intelligentiam tendit, ut per hoc significetur, Filium quoque esse, secundum Græcos quidem causam, secundum Latinos verò principium subsistentiæ Spiritus Sancti, sicut, & Patrem. Et quoniam &c.*

Ibid. ut sup.

Concil. General.
Tom 13. Con-
cil. Florent.
Part. 2. pag.
266. Decret.
Eug. IV.

Nota.

Objicietis rursus, ex hoc ipso Decreto constare, veteres Patres processionem Spiritus Sancti, non sic explicasse, uti Acta præfata faciunt, sed alia formula; idedque ex hoc etiam constare Acta ipsa, longè post ab illis, fuisse concinnata. Verum ejusmodi decreto, non omnes Patres, sed aliquos dumtaxat, qui pro à Filio, scripsissent per Filium, comprehensos fuisse; eorundem Patrum verba disertè ostendunt.

Et quidem in primis possemus hic in medium adferre Symbolum Athanasii; sed quia illius auctoritatem Pseudo-Censores ipsi passim explodunt, idcirco Athanasium ipsum alibi

alibi rem eandem asruentem, producere statuimus. Ser-
mone igitur quarto contra Arianos, longè ante medium,
sic scribit.

*Non enim (inquit) tria principia , aut tres Patres in-
troducimus , sicut Marcionistæ , cum non tres soles ad compara-
tionem adducamus , sed unicum solem , ejusque splendorem , ET
EX UTROQUE LUCEM PROCEDENTEM . In quæ Athanasii verba
Bellarminus : Vides hic (dicit) clarissimè tria esse , SOLEM
SPLENDOREM , ET EX UTROQUE LUCEM PROCEDENTEM ? nec puto
dubitari posse , quia per solem Patrem , per splendorem Filium ,
per lucem Spiritum Sanctum Athanasius intellexerit . Quid
quæso hic responderi poterit ?*

Augustinus inter Latinos (ut alios cœteros , tum La-
tinos , tum Græcos Patres , brevitatis gratia ommittamus),
eodem verbo processionis , ex Patre , & Filio , cum de Spi-
ritu Sancto (uti Acta MM.) egit , usus est . En illius
verba .

*Nunquid ergo possumus quærere , utrum jam processerat
de Patre Spiritus Sanctus , quando natus est Filius , an nondum
processerat , & illo nato , DE UTROQUE PROCESSIT , ubi nulla sunt
tempora : sicut potuimus quærere , ubi invenimus tempora ,
voluntatem prius de humana mente procedere , ut quæratur ,
quod inventum proles vocetur ? Qua jam parta , seu genita , vo-
luntas illa perficitur , eo sine requiescens , ut qui fuerat appeti-
tus quærentis , sit amor fruuentis , qui jam de utroque , idest de
gignente mente , & de genita notione , tamquam de parente , ac
prole procedat ? Non possunt protinus ita ibi quæri , ubi nihil
ex tempore inchoatur , ut consequenti perficiatur in tempore .
Quapropter , qui potest intelligere , sine tempore generationem
Filii de Patre ; INTELLIGAT SINE TEMPORE PROCESSIONEM SPI-
RITUS SANCTI DE UTROQUE . Et qui potest intelligere in eo , quod
ait Filius : sicut habet Pater vitam in semetipso : sic dedit Filio
vitam habere in semetipso , non sine vita existenti jam Filio
vitam Patrem dedisse , sed ita eum sine tempore genuisse , ut
vita , quam Pater Filio gignendo dedit , coæterna sit vitæ
Patris , qui dedit : intelligat , sicut habet Pater in semetipso ,
ut de illo PROCEDAT Spiritus Sanctus ; sic dedisse Filio , ut
de illo procedat idem Spiritus Sanctus , & utrumque sine tem-
pore ; atque ita dictum Spiritum Sanctum de Patre procedere ;
ut*

D. Athan. Sermi.
4. cont. Arian.
pag. 233.

Nota .

Bellarmin. de
Christ. lib. 2.
c. 25. pag. 325.

D. Aug. de Tri-
nit. lib. 15.
cap. 26. 10. 3.
pag. 177.

Nota :

„ ut intelligatur, quod etiam PROCEDIT de Filio, de Patre esse,
 „ & Filio. Si enim quidquid habet de Patre, habet Filius; de
 „ Patre habet utique, ut de illo PROCEDAT Spiritus Sanctus,
 Et inferius. Sed nulla ibi tempora cogitentur, quæ habent
 prius, & posterius, quia omninò nulla ibi sunt. Quomodo ergo
 non absurdissimè Filius diceretur amborum, cum, sicut Filio
 præstat essentiam, sine initio temporis, sine ulla mutabilitate
 natura de Patre generatio; ita Spiritui Sancto præstet essen-
 tiam, sine ullo initio temporis, sine ulla mutabilitate natura,
 DE UTROQUE PROCESSIONE? Idèd enim cum Spiritum Sanctum
 genitum non dicamus, dicere tamen non audemus ingenitum,
 ne in hoc vocabulo, vel duos Patres in illa Trinitate, vel duos,
 qui non sunt de alio, quispiam suspicetur. Pater enim solus
 non est de alio; idèd solus appellatur ingenitus, non quidem in
 Scripturis, sed in consuetudine disputantium, & de re tanta,
 sermonem, qualem voluerint, proferentium. Filius autem, de
 Patre natus est, & SPIRITUS SANCTUS de Patre PRINCIPALI-
 TER; & ipso sine ulla temporis intervallo dante, COMMUNI-
 TER DE UTROQUE PROCEDIT. Diceretur autem Filius Patris,
 & Filii, si quod abborrat ab omnium sanorum sensibus, cum
 ambo genuissent. Non igitur ab utroque est genitus, SED PRO-
 CEDIT AB UTROQUE, AMBORUM SPIRITUS.

Verum, quia in illa coæterna, coequali, & incorporali,
 & ineffabiliter mirabili, atque inseparabili Trinitate, diffi-
 cillimum est GENERATIONEM, A PROCESSIONE DISTINGUERE;

Noti.

„ CHRISTIANI, DIXIMUS, dictumque conscripsimus. Inter cæ-
 „ tera enim, cum per Scripturarum sanctarum testimonia do-
 „ cuisem, DE UTROQUE PROCEDERE SPIRITUM SANCTUM: si ergo,
 „ inquam, ET DE PATRE, ET DE FILIO PROCEDIT SPIRITUS SAN-
 „ CTUS, cur Filius dixit, de Patre procedit? cur putas, nisi
 quemadmodum solet ad eum referre, & quod ipsius est, de quo,
 & ipse est? Unde, & illud est, quod ait: Mea doctrina non est
 mea, sed ejus, qui me misit. Si igitur hic intelligitur ejus
 doctrina, quam tamen dixit non suam, sed Patris; quanto
 „ magis illic intelligendus est, & de ipso procedere Spiritus
 „ Sanctus, ubi sic ait: de Patre procedit, ut non diceret de
 „ me non procedit? A quo autem habet Filius, ut sit Deus? est
 enim

5, enim de Deo Deus ; ab illo habet utique , ut de illo etiam pro-
 cedat Spiritus Sanctus ; ac per hoc Spiritus Sanctus , ut etiam
 de Filio procedat , sicut procedit de Patre , ab ipso habet Patre.
 Hic utcumque etiam illud intelligitur , quantum à talibus ,
 quales nos sumus , intelligi potest ; cur non dicatur natus esse ,
 sed potius procedere Spiritus Sanctus : quoniam si , & ipse Fi-
 lius diceretur , amborum utique Filius diceretur : quod absur-
 dissimum est . Filius quippe nullus est duorum , nisi Patris , &
 Matris . Absit autem , ut inter Deum Patrem , & Deum Fi-
 lium aliquid tale suspicemus , quia nec Filius hominum simul ,
 ex Patre , & Matre procedit : sed cum in Matrem procedit ex
 Patre , non tunc procedit ex Matre : & cum in hanc lucem
 procedit ex Matre , non tunc procedit ex Patre : Spiritus autem
 Sanctus , non de Patre procedit in Filium , & de Filio procedit
 ad sanctificandam creaturam , SED SIMUL DE UTROQUE PRO-
 CEDIT : quamvis hoc Pater Filio dederit , ut quemadmodum de
 se , ita de illo quoque , procedat . Neque enim possumus dico-
 re , quod non sit vita Spiritus Sanctus , cum vita Pater , vita
 sit Filius , ac per hoc , sicut Pater , cum habeat vitam in se-
 metipso , dedit , & Filio vitam habere in semetipso , sic ei dedit
 vitam procedere de illo , sicut , & procedit de ipso . Hac de
 illo sermone in hunc Librum transtuli , sed fidelibus , non infi-
 delibus loquens . Hactenus Augustinus .

Nota :

Educant nunc , quantum libet , Pseudo-Censores illud ,
 quod nemo Patrum , ex professo articulum aliquem pro-
 bare contendit , nisi cum ipsum impugnari contigit . Eli-
 ciant , inquam , si placet insuper , ex principio eodem , non
 nisi undecimo seculo Acta Martyrum fuisse conscripta ,
 quod eo tempore , de Dogmate processionis Spiritus San-
 cti disputatum sit . Addant , & Pseudo-Censores alii , & hac ,
 imperitiosam Censuram , dicentes : Processionem Spiritus
 Sancti , ex Patre , Filioque : item Trinitatem in Unitate ,
 & Unitatem in Trinitate , hisque similes loquendi mo-
 dos , numquam , nisi post Concilia Generalia contra varias
 Hæreses , coacta , multisque post Ethnicorum persecutiones
 seculis , auditos non fuisse : ideoque Acta MM. , in quibus
 ista offenduntur , post Concilium potissimum Florentinum ,
 in quo de Processione Spiritus Sancti , ex Patre , Filioque
 actum fuit , conscripta esse . Clament , inquam , voce majori ,
 si

si velint ; cum hæc , quæ proferunt ; nil aliud efficere valeant , quam , ut novam eruditionem hanc magis , ac magis redarguant . Numquam hi modi loquendi (inquit) auditi fuerunt : sed , quæso , à quibusnam numquam auditi fuerunt ? Certè non ab aliis , quam ab eis , qui numquam Patres audiverunt , vel eorum scripta revoluerunt : nisi enim hujusmodi essent , quomodo non audivissent , quod pleno ore , clarisque adeo notis , ipsi loquuti sunt ?

Neminem , igitur Patrum , ex professo articulum aliquem probasse , nisi cum ipsum impugnari accidisset , Augustinus , præ aliis de Sancti Spiritus processione prolixè disserens , ita falsum ostendit , ut oppositum tueri minimè possit . Collata autem cum his , quæ idem fusissimè scripsit , perpauca ea verba , quæ de ipso articulo in Martyrum Actis habentur ; quis horum Scriptorem , de articulo eodem , ex professo , ut dicitur , disserentem pronunciare audebit ? Copiosissimè autem , quia sic Augustinus disputavit , contra quos vel Hæreticos , vel infideles (dicant Pseudo-Censores) , articulum hunc propugnatum voluit , si ut ipsemet profiteretur , quæ audisti , fidelibus non infidelibus loquens , ex altero suo sermone transtulit ? Vel igitur verum non est , ex professo tunc tantum dogma aliquod probandum Patres suscepisse , cum illud impugnatum est ; vel falsum est undecimo tantum seculo , de eo processione Sancti Spiritus articulo disputatum esse : nam cum septimo , ante undecimum , seculo , Augustinus , ex professo de ipso scripserit ; non undecimo , sed quarto seculo disputationem hanc motam juxta Censores fatendum erit . Si in novissimam hanc sententiam Censores isti in arcto positi , descendendum satius duxerint , ipsorum ergò argumentum corrui , quod undecimo , vel duodecimo dumtaxat seculo , Acta præfata conscripta fuerint ; quia cum longe ante , nempe Augustini ævo , prædicta quæstio commota fuerat , cujus gratia ipse Augustinus scripsit , (nam secundum , ipsos non scripsisset , nisi articulum illum tunc impugnari accidisset) : eodem , per consequens , Augustini seculo , Acta ipsa , in quibus de ipso articulo agitur fuisse exarata , dicendum erit . Minus illis igitur indecorum erit falsum esse fateri , tunc tantum Patres probandum aliquod dogma aggressos esse , cum ipsum impugnari

im-

impie contigit, quam ut futili hac ratione, antiquitati descriptionis Actorum MM. detrahere velint; cum revera non semper in causa fuerit, quod de aliquo articulo, vel Patres, vel alii scripserint, articulum ipsum impugnatum tunc esse; cum potius passim de illo egerint, ut illum docere, ac explicare fidelibus studerent. Qua quidem ratione nil etiam credere prohibet, SS. MM. quoque, illos, quorum instructioni insisterent, processionem S. Spiritus, aliaque Mytheria docuisse, licet ea tunc minimè impugnarentur: sicut disertis iisdem formulis, quibus de eodem dogmate postea disputatum est in Florentino Concilio, longè ante ipsum Concilium, illud revera, & Augustinus, & alii docuerunt; quos apud Petavium, Bellarminum, ejusdemque Florentini Concilii Acta consulere quisque potest.

C A P U T VII.

Frustra SS. MM. Actis antiquitatem detrahere Pseudo-Censores student ex eo, quod Seculo dumtaxat Nono, particula, FILIOQUE PROCEdit, Symbolo addita fuerit. Falsum esse eam particulam Symbolis omnibus antea defuisse. Ecclesia Romana in Missa Symbolum canere minimè consuevit: ex quo Leonis III. verba intelliguntur. Contra Martyrum Acta sumpta, ex his argumenta, retunduntur. Uti in MM. Actis, sic à Sanctis Patribus Spiritus Sancti processio explicata reperitur.

RURSUS autem eandem Spiritus Sancti processionem Pseudo-Censores ex eo aggrediuntur, quod articulus idem processionis Spiritus Sancti à Filio, in Credo (nempe Symbolo) positus, nisi post Carolum Magnum, seculo nono fuerit; quapropter cum nonnulla Acta Martyrum, in ejusdem explanatione illud ponant, indicium est, (inquiunt) cum ea conscripta fuerunt, jam tunc in ipso recitari consuevisse; ideoque post seculum idem, Acta eadem fuisse conscripta.

At, ex more, falsum supponunt, vel fingunt, quod
 E e sup-

supponunt; & ex ea falsa suppositione, necessario falsa etiam educunt. Falsum enim supponunt, quia supponunt Actorum Martyrum verba, quibus agitur de Spiritus Sancti processione, Symbolum esse; vel cum ea Symboli explanationem dicunt, inepta eliciunt. Petimus igitur ab eis, utrum verba in prælibatis Actibus recitata Symbolum verè sint, an non? Si dixerint esse Symbolum; statim illis respondēbimus, non esse, quod in eis, licet Mysteria quædam expressa reperiantur, quæ in Symbolis inveniuntur; plura tamen in ipsis offendantur, quæ in nullo Symbolo sunt, neque unquam credenda Fidelibus proposita sunt; uti illud, quod in nonnullis Actibus legitur, quod videlicet columba sine felle sit; idēdque falsum est illa Symbolum esse.

Si autem dixerint verba ipsa, Symbolum non esse, sed tantum Symboli explanationem; quid cum illis, quod in *Credo*, seu Symbolo additus non fuerit articulus processionis Spiritus Sancti à Filio, nisi post Carolum Magnum seculo nono, si Symbolum ipsa non sunt? Dicere forsitan, Pseudo-Censores audebunt, Processionis Spiritus Sancti à Patre, & Filio articulum, explicare iisdem verbis, quibus illud Acta Martyrum explicant, prohibitum fuisse? At opinionem hanc innumeri Patres, qui, ut ostendimus, longè ante Caroli Magni tempora, illum sic explicarunt, prorsus retundunt. Falsum est igitur; quod Symbolum ea verba sint; & ineptum insuper, à veris Symbolis argumentum sumpsisse contra ea, quæ Symbolum non sunt; & cum explanatio dumtaxat Symboli sint, alia prorsus ratione dijudicanda noscuntur.

Sed miranda prorsus, ne deridenda dicam, ea existunt, quæ, ex huiusmodi principiis Pseudo-Censores deinde eliciunt; cum, videlicet, ex eo, quod nisi post Carolum Magnum præfatus articulus in Symbolo positus fuerit, præfata Martyrum Acta, tunc dumtaxat conscripta, cum jam in Symbolo articulus ille recitari consuevisset educunt; idēdque post seculum nonum tantum exarata contendunt. Sed cur non exarata statim, ac articulus ille in Symbolo positus est? Cur post seculum nonum, non ipso seculo nono? Opus ne erat consuetudine, ut Actorum Auctores id effi-

ce-

cèrent ? vel, ut facere possent, seculum aliud præstolari necesse habuerunt ?

Sed quod majus est, falsum omninò est, cuius Symbolo, ante seculum nonum, articulum illum processionis Spiritus Sancti à Patre, & Filio defuisse. Cujus rei disertissimus, omnique exceptione major testis est Joannes Diaconus in Vita Gregorii Magni, vel potiùs ipse Gregorius Magnus apud Joannem Diaconum, in fidei professione, seu Symbolo, quod statim ad Pontificatus apicem evectus edidit, de quo ista præfatus Joannes: *Denique in specula Sanctæ Universalis Ecclesiæ vir totius humanitatis, ac auctoritatis orthodoxæ, vidè, videri, & audiri clarius Evangelicus præco valeret, consistens; oris sui diviniissimo gladio, & rectam fidem munivit, & cunctas hæreses suo Symbolo dissipavit. Quod, videlicet sacræ confessionis Symbolum, ita se habet: Credo in Unum Deum Omnipotentem Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, Trés Personas, Unam Substantiam; Patrem ingenitum, Filium genitum, Spiritum verò Sanctum, nec genitum, nec ingenitum, sed coæternum, DE PATRE, ET FILIO PROCEDENTEM. Confiteor Unigenitum &c.*

Jo. Diacon. Vit.
D. Greg. lib. 2.
cap. 2. Tom. 1.
Oper. D. Greg.
p. 21.

Edidit autem Gregorius Symbolum hoc, (ut diximus), ubi Pontifex est creatus, nempe circa annum Domini quingentesimum nonagesimum: unde patet ante seculum nonum (trecentis saltem annis), articulum processionis Spiritus Sancti à Patre, Filioque, à Gregorio in suo Symbolo positum fuisse; ideoque falsò à Pseudo-Censoribus nostris dictum, Symbolis, præfato dumtaxat seculo insertum. Longè autem ante Magnum Gregorium, nempe Anno Christi quadringentesimo, articulum ipsum pariter suo Symbolo inseruere Toletani primi Concilii Patres. En ipsius Symboli verba. *Credimus in Unum Deum Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, visibilem, & invisibilem factorem: per quem creata sunt omnia in Cælo, & in Terra; hunc unum Deum; & hanc Unam Divinæ Substantiæ Trinitatem: Patrem autem non esse ipsum Filium, sed habere Filium, qui Pater non sit: Filium non esse Patrem, sed Filium Dei, de Patris esse natura: Spiritum quoque Paraclitum esse, qui nec Pater sit, nec Filius; SED A PATRE, FILIOQUE PROCEDENS. Est ergo ingenitus Pater, genitus Filius, NON GENITUS PA-*

Apud Card. de
Agvir. in Col-
lect. Concil.
Hispan. To. 2.
p. 68. 135.

RACLITUS ; SED A PATRE , FILIOQUE PROCEDENS . *Pater est ,
cujus vox hæc &c.*

*Ibid. ut supra
pag. 136.*

In quam fidei regulam hæc ritè observat Cardinalis de Aghirre : *Mirabile autem est , quod in eadem formula dicatur palam de Paraclito , sive Spiritu Sancto . A PATRE , FILIOQUE PROCEDENS . Quæ veritas non fuerat explicata , nec definita eousque ab Ecclesia in Symbolis Apostolico , Nicano , aut Constantinopolitano , immo , nec postea plurimis seculis definita legitur , in ullo alio Oecumenico Concilio , usque ad Lateranense IV. sub Innocentio III. , anno Christi MCCXV. ut fuse ostendi Tom. 2. Theologiae S. Anselmi , Disp. XCI. , & XCII. Nimirum altè insedit Patribus Hispanis , Tarraconensibus , Carthaginensibus (sub quorum Provincia tunc computabatur Toletum ,) Lusitanis , & Baeticis ea veritas , tanquam satis contenta in multis Novi Testamenti locis , ex palam tradita à SS. Patribus , eousque , tam Græcis , quàm Latinis , ut eo loco comprobavimus . Quapropter eandem veritatem postea alii Patres Hispani professi sunt in Concilio Toletano III. , Anno DLXXXIX. , & in IV. Anno DCXXXIII. , & in VIII. anno . DCLIII. ; ac tandem XI. anno DCLXXV. ; multo antequam Græci controversiam ea de re excitarent .*

Sic eruditissimus Cardinalis , qui pariter rejicit , quod Censores nostri objiciunt , de additione ad Symbolum Constantinopolitanum illius particulæ, FILIOQUE PROCEDIT : facta inquit (& falsò etiam secundum id , quod ipse probare intendit) , non nisi post Carolum Magnum seculo nono ; (nam id , non post Carolum , sed sub Carolo Magno contigit) ; rejicit , inquam , præfatus Aghirre , futilem ejusmodi censuram ; nam postquam sibi ista objecit . *Ex Actis Synodi Aquisgranensis sub Leone III. Papa , & Carolo Magno Imperatore circa annum Christi octingentesimum nonum , apparet additionem, FILIOQUE IN SYMBOLO introductam fuisse , à quibusdam Ecclesiis Occidentalibus , antequam Romana id probaret , aut exemplo suo confirmaret . Unde post longam disputationem in eo Concilio , & Legationem ad ipsum Leonem Tertium ; hic reprehendit , quod aliquid ab iis Ecclesiis Symbolo additum fuisset . Quare sic ad legatos dixit : Si prius , quam ita cantaretur , interrogatus essem : ne inferretur , utique respondiissem . At nunc (quod tamen non affirmando , sed vobiscum pariter*

*Card. de Aghir.
Theol. S. Anselm. Tom. 2.
Trinit. 4. de
Sac. Mist. Trinit.
Monolog.
cap. 54. disp.
22. sect. 3.
pag. 6. 21.*

tractando dico) quantum menti occurrit, ita mihi videtur posse utrumque fieri: ut paulatim in Palatio, quia in nostra Sancta Ecclesia non cantatur, cantandi consuetudo ejusdem Symboli intermittatur; sicque fiet, ut quod idipsum, ut cantaretur, non qualibet imperantis auctoritas, sed audendi id fecerat novitas; si dimittatur à vobis, dimittetur ab omnibus. Et ita fortasse, quantum esse potest, non incongruè utcumque fieri posset: ut quod jam nunc à quibusque prius nescientibus rectè creditur, credatur; & tamen illicita cantandi consuetudo, sine cujusque fidei laesione tollatur. Hactenus Leo III., ex cujus verbis videntur duo constare. Alterum, ex eo tempore nondum acceptam fuisse ab Ecclesia Romana additionem illam Symboli; alterum verò reprehensos à Pontifice Leone fuisse, qui illam induxerant, tam in Gallia, quam in aliis Occidentalibus Ecclesiis &c.

At huic objectioni, inquam, Cardinalis ipse satisfacit, postquam pluribus ostendit, controversiam illam, non excitatam fuisse circa Processionem ipsam Spiritus Sancti à Filio, sed circa additionem particulæ, FILIOQUE ad Symbolum, dicens: Leonem in primis non damnare additionem illam quomodocunque factam, sed in cantu solemnium Symboli intra Sacrificium Missæ vetare usum illius. Sic enim noviter in Galliis introducta fuerat, absque sufficiente auctoritate; & fortasse nondum in Hispania Symbolum ita additum cantabatur; sicuti, nec in Concilio Tertio Toletano. (fortè cum eruditissimus Cardinalis ista conscripsit, nondum viderat Concilium Toletanum primum, qui omnium Toletanorum etiam primus eam particulam FILIOQUE addidit, ut diximus) cantatum legitur, licet omnium Patrum ibidem congregatorum nomine prolatum extet in editione Loaysæ. Deinde, nec Pontifex absolute damnat additionem illam Symboli in cantu solemnium: sed solum hortatur ad dimittendam illam, veluti nondum convenientem in Galliis eo tempore, propter controversiam de ea ortam. Cum verò nulla circa id in Hispania fuisse legatur, potuit forsitan in ea esse, ac vigere consuetudo, cantandi in Missa Symbolum ita additum, citra reprehensionem aliquam. Verum quo tempore Hispania Ecclesiæ cæperint cantare solemniter in Missa Symbolum cum ea additione, non constat, neque hactenus invenire potui, apud Auctores allegatos.

Si-

ibid. ut sup. S. 32
pag. 694.

*Ibid ut sup. §. 33.
pag. 695.*

Similiter incertum mihi est, quo primum tempore Ecclesia Romana cæterarum Mater, & Magistra, cœperit addere particulam illam FILIOQUE in cantu solemnium Symboli Constantinopolitani, ad Sacrificium Missæ. Id saltem constat longè post tempora prædicti Leonis III. introductum fuisse: ac propterea in Actis Conciliorum Generalium Octavi, Noni, Decimi, & Undecimi, nullum ejus additionis vestigium esse, ut ostensum fuit singillatim disputatione præcedenti, sect. 2. Deinde quavis in Duodecimo Generali, idest Lateranensi IV., sub Innocentio III. definita fuerit processio Spiritus Sancti ex Filio, consentientibus pariter Latinis, & Græcis (ut constat ex cap. 4. ipsius, & habetur in cap. Firmiter de Summa Trinitate, & Fide Catholica): non tamen legitur ejus additio particula ad Symbolum, sive intra Missam, sive extra in ipso Concilio. Nam extra Concilium Generale admittam fuisse eam additionem in Symbolo ab Ecclesia Romana, longè ante tempora ejusdem Innocentii III. postea ostendimus num. 42. & suo tempore communiter admittam fuisse in omnibus Ecclesiis Latinis, testatur S. Anselmus verbis supra num. 28. exscriptis. Hactenus de Aghirre.

Poterat forsitan eruditissimus Cardinalis, ubi tam disertè ostenderat controversiam sub Leone III., & Carolo Motam, ob particulam additam FILIOQUE in Symbolo, non quomocumque Leonem ipsum improbasse, sed ex eo damnasse, quod additionem illam Gallicanæ aliquot Ecclesiæ fecissent *in cantu solemnium Symboli, intra Missæ sacrificium*: poterat, inquam, alia etiam ratione explicare, quæ Leo tunc scripsit, pertinentque ad usum Romanæ Ecclesiæ, quam nescire dicit, quo tempore addere cœperit particulam illam FILIOQUE in cantu solemnium Symboli Constantinopolitani, ad Missæ sacrificium. Nam ea verba: *Quia in nostra Sancta Ecclesia non cantatur*; videlicet Symbolum, procul dubio nil aliud innuunt, quam perpetuum ejusdem Romanæ Ecclesiæ morem, quo Symbolum nullum canere in Missa consuevit; de quo more Beruo Augiensis, Libro de rebus ad Missam spectantibus apud Baronium, sub anno Christi 1014., & Benedicto Papa VII. ista habet.

*Baron. Annal.
To. II. pag. 47.*

Cum Romanorum Presbyteri, ab Henrico Imperatore, (hujus nominis primo) interrogarentur, cur post Evangelium, (ut

(ut in aliis Ecclesiis fiebat), Symbolum non canerent ; me (inquit Berno) assistente audivi eos ejusmodi responsum reddere , videlicet : Quod Romana Ecclesia non fuisset aliquando ulla Hæresis fece infecta , sed secundum Sancti Petri doctrinam , in soliditate Catholica Fidei permaneret inconcussa : & idem magis iis necessarium esse illud Symbolum sæpius cantando frequentare , qui aliquando ulla hæresi potuerunt maculari . At Imperator D. Benedicto persuasit , ut ad publicam Missam illud decantarent . Sic Berno apud Baronium , qui addit : Placent ista , sed nobis gratius , si veneranda antiquitati annorum mille , magis delatam fuisset , quam novitati .

Ex his autem (ni fallimur) perspicuè verba intelliguntur Leonis Tertii ; & insuper tempus cognosci posse videtur , quo cum præfata particula Filioque, Symbolum in Ecclesia Romana cani cœperit ; nempe illud ipsum , quo in ea Symbolum , quod antea non cantabatur , cani cœpit . Quapropter , nil prorsus ad rem est , quod Censores afferunt , de hoc articulo in Symbolo , non nisi post Carolum Magnum seculo nono posito : tum quia in Toletani Concilii Symbolo , longe ante positum legitur ; tum quia in aliis subsequenter pariter Toletanis invenitur ; tum demum , quia à Magno Gregorio Romano Pontifice , in suo Gregoriano Symbolo scriptum reperitur . Perspicuè siquidem apparet , quod Leo additionem suo tempore factam , non iis dumtaxat ex causis , non probavit , quas disertissimus Aghirre attulit ; sed etiam , quod maluisset Constantinopolitanum Symbolum ea puritate servatum , qua primum prodierat ; cum aliis tamen Symbolis , Toletano , Gregoriano , cœterisque , quæ penes singulas Ecclesias privatim asservarentur (quis enim non credet in Romana Ecclesia , ut de cœteris taceamus , debita semper veneratione servatum , quod proposuimus , Magni Gregorii Symbolum ?) , fatiis consultum esse rectæ Fidei fidelium in hoc processionis articulo , existimaret . Unde controversiam seculo nono exortam super ejusdem articuli additionem in Symbolo ; non omnia Symbola prospexisse censendum est , sed ad Symbolum tantum Constantinopolitanum spectasse , quod intemeratam servari Leo maluisset ; idèque , ex eo , quod idem Pontifex non probaverit in Constantinopolita-

no

no id innovari, minimè, rectè educitur, tunc primum in omnibus Symbolis illud innovatum, sed potius oppositum; cum revera ante tempus illud jam alia Symbola extarent, in quibus articulus ille jam diu ante insitus fuerat; unde Constantinopolitano Symbolo ipsum addere, Leo superfluum, ut diximus, judicavit.

Quid igitur jam contra Acta Martyrum Pseudo-Censorum argumentum valeat, in aperto iisdem esse deberet. Constantinopolitano Symbolo seculo nono primum addita est particula illa, FILIOQUE; sit, ut volunt. Igitur, ex hoc primum etiam particula illa, quotquot extarent, Symbolis addita? In Romana Ecclesia ante tempus illud, sed nec eo tempore, cum eadem particula Symbolum recitabatur. Etiam. Igitur in alijs Ecclesijs Symbolum cantari, ac esse nequivit, in quo ipsa haberetur? Igitur & in ipsa Romana Ecclesia, præter Constantinopolitanum, Symbolum aliud non erat, cui particula eadem non deesset? Constantinopolitanum in Ecclesijs canebatur, non aliud. At in Romana, nec Constantinopolitanum, nec aliud canebatur quia nullum omninò Symbolum canebatur. Deinde, quid cum Symbolo, quod in Martyrum Actis recitatur (si Symbolum sit), & Constantinopolitano? Si Constantinopolitanum vocandum est, quod plura dogmata in Constantinopolitano comprehensa contineat; cur non etiam Apostolicum, quod articulos in hoc contentos comprehendat?

Dicetis forsan in illis Symbolis (si tamen Symbola ea vocare placuerit), quæ apud Martyrum coævus Scriptores, & Patres habentur, articulum illum processionis Spiritus Sancti à Patre, Filioque minime offendi, ideòque in nullo etiam Symbolo tunc fuisse censendum esse. Rectè censetis, si ea, quæ recolitis Symbola, omnia Symbola sint, quæ tunc extiterunt: si autem non omnia sunt, quo pacto, ex paucissimis, quæ extant, quæ fuerint innumera planè ea, quæ non extant elicitis? eoque magis, quod pauca ista, quæ extant, inter se haud parum differant, cum eorum, alia plura contineant, de quibus alia silent, & hæc vicissim plura dicant, quæ prima præterent?

Sed, ut hanc differendi rationem magis exploratam,
ha-

habeamus, contra ipsam, suum, quo nos impugnant argumentum, retorqueamus. Si enim ex eo, quod articulus processionis Spiritus Sancti, à Patre, & Filio non reperitur in Symbolis, Martyrum temporibus concinnatis, Martyrum quoque Symbola, in quo ipse articulus reperitur, falsa sunt: ergo pari ratione Symbola cuncta, quæ recensuimus, vel Magni Gregorii, vel Toletanorum tot Conciliorum, falsa erunt, quia articulus ipse in eis reperitur, quem tamen, nec in Nicæno, nec in Constantinopolitano, nec in Ephesino, aliisque Symbolis positum legimus. Quod quidem eo validius adstruendum putamus, quod ipsis ferme temporibus, quibus hæc Symbola exarata sunt, exarata quoque, & illa fuere. Quid ad hæc respondetis?

Coeterum, cum quæ in Martyrum Actis passim offenduntur narrationes, quibus nostræ fidei Mysteriorum ratio continetur, non Symbolum, sed Symboli potius esse explanationem Pseudo-Censores haud diffiteantur; ut tandem iidem ipsi sciant, quod nunquam ignorare debuissent, cum Censoris munere fungi amarent; nolumus latere eos, Apostolicum ipsum Sybolum, quo ad processionis Spiritus Sancti articulum, ut illud Martyres explicarunt, apud veteres explicatum reperiri. Quare Ambrosius lib. de Symbolo cap. 1. *Ipse solus est æternus (ait), quia initio, & sine caret: idest Deus Pater, qui coæternus sibi, & coomnipotens genuit Verbum, cum quo SPIRITUM SANCTUM PRODUXIT. Unde credimus Filii, & Spiritus Sancti substantiam, ante omnem existere Creaturam, extra omnia tempora: quod Pater est genitor, Filius est genitus, Spiritus Sanctus genitoris, genitricque sanctitas, spiritusque.*

Et cap. 3. *Pater (inquit) Pater est sine initio (neque enim est aliud unde Pater sit), & Filius est absque initio temporis, de Patre est, namque, & Creator omnium temporum: & ideo non sumit initium ex tempore, quia verbum, quia virtus, quia sapientia est, quæ omne tempus, & antecedit, & fecit. SPIRITUS AUTEM SANCTUS, VERE SPIRITUS EST, PROCEDENS QUIDEM A PATRE, ET FILIO, sed non est ipse Filius, quia non generatur, neque Pater, QUIA PROCEDIT AB UTROQUE, non genitus, non ingenuus, non factus. Nam omne, quod est, aut neque natum, neque factum est, aut natum, & factum non est,*

F f

*D. Ambros. apud
Petav. Tom. 2.
lib. 7. de Tri-
nit. cap. 8. pag.
684.*

*D. Ambros. in
Symb. Apost.
cap. 3. Tom. 4.
pag. 79.*

est, aut neque natum, neque factum est: aut factum, & natum non est: aut factum, & natum, & renatum est: aut factum, & natum, & renatum non est. Nunc autem propositorum memores, singulis jam rebus substantias designemus. Quod ergo neque natum, neque factum est, Pater est, non enim ab aliquo est. Quod autem natum, & factum non est, Filius est, qui à Patre genitus est. Quod verò neque natum, neque factum est, Spiritus Sanctus est: QUI A PATRE, ET FILIO PRO-
CEDIT.

Sic disertè fidelibus explicare Apostolicum Symbolum veteres Patres consueverunt; ita ut mirum omnino non sit, quod his similibus verbis, ac formulis usi quoque SS. Martyres fuerint, cum illud ipsi etiam recens conversis exponerent. Vanumque idcirco, è formulis ipsis, quæ in Symbolis minimè reperiuntur, argumentum sumere formularum, quibus Symbola ipsa olim explicata sunt: cum præcipue formulæ, ac voces eadem, quibus in ipsis Generalibus Conciliis Symbolum postea explicatum est, non nisi hæ fuerint, quas veteres antea adhibuissent, ut ostendimus.

CAPUT VIII.

Ex Manichæorum ingenio procedere cognoscitur sententia illa, quæ hodierni Pseudo-Censores scripta omnia PP., ac Martyrum Acta, in quibus præfata vocabula offenduntur, uti falsa, ac supposititia refellunt. Quis in his rejiciendis ipsorum scopus.

AT ubi, tot luculentissimis testimoniis Patrum, Scriptorumque, qui Nicæna, cæteraquæ Concilia præcesserunt, quique justis ex causis, arcanas, quas summo studio abscondere consueverant, formulas, aliquando scripto prodere sunt compulsi, quæ scripta in Actis MM. leguntur comprobari Pseudo-Censores intellexerunt; hac ratione omnem sibi evadendi viam præcludi animadvertentes, ad illud demum confugerunt, ut supposititias,
&c

& apocryphos (quis credet?) omnes eos libros, scriptaque habenda esse pronuntiarent, quæ sub nomine Scriptoris alicujus Antenicæni præcipuè circumferuntur, cum in eis, nimirum, formulas offendere fuerit, quas tantum in Concilio Nicæno, & aliis primùm fuisse inventas contendunt; & hinc nostram ignaviam, nimiamque simplicitatem ritè irridendam existimarunt, quod ad Acta quædam Martyrum asserenda, plura aliorum Martyrum Acta, in quibus hujusmodi formulæ habentur, protulerimus; nam cum omnia Acta hæc (dixerunt), juxtà probatissimorum Censuram sententiam, haud sincera sint: ideò, ex his, illa sincera comprobare tentasse, nil aliud fuit, quàm obscurum, per æquè obscurum ostendere voluisse.

Obiter, igitur, ad obtundendum, quod de formulis in Nicæno, aliisque Conciliis præfinitis, ex quibus, tum Patrum Antenicænorum scripta, tum cuncta Martyrum Acta, in quibus eadem formulæ reperiuntur potissimum rejicienda pronuntiant; insignem, ac maximum eorum lapsum rursùs adnotare hic sufficiat, quo, ex Conciliorum ad has, & illas formulas præfinitione, formulas easdem, ante ipsa Concilia, minimè fuisse, perperam astruere connixi sunt; cum profectò aliud sit, quod aliquid nunquam antea dictum fuerit, quod disputationis caput est; aliud quod statutum sit, quod in posterum nonnisi sic, & sic dicendum sit: ex hoc siquidem futurum educitur, ex altero præteritum; cumque de præterito actum fuerit, non de futuro, monstratumque sit, nonnisi formulas, quæ antea erant, Nicænum Concilium repetiisse; hinc magis, ac magis futilis, ac evanida acutissimorum Censuram apparuit ratiocinatio.

Quod verò pertinet ad universalem eam censuram, qua & scripta Antenicænorum Patrum, & cuncta simul Martyrum Acta rejiciunt, ubi in eis easdem formulas invenerint; plura nobis suppeditat Augustinus, quibus tam generalem definitionem abjiciendam censeamus. Sed valde nobis permolestum accidit, quod ea, quibus Censores innuntantur argumenta, ex Manichæorum ingenio, licet in minoris ponderis re, mutuata videantur. Hi siquidem, ubi Sacrarum Scripturarum, ac validissimarum rationum vi

D. August. cont.
Faust. lib. 10.
cap. 3. tom. 6.
pag. 90.

Nota.

constricti essent , cum quid responderent non haberent ; statim corrupta , ac falsa , quæ contrà illos testimonia afferbantur , pronuntiabant . Audi Augustinum . *Certè Faustus dixit turbari non posse , si nobis Judæi dixerint ; Quare tenetis vetus Testamentum , cujus præcepta non observatis ? Quibus nos , ejusdem Scripturæ venerata , atque servata auctoritate , respondemus . Vos quid respondetis , cum vobis dicitur : Quare tenetis Evangelicos libros , quorum vos , ad decipiendos imperitos confingitis sectatores : & quæ ibi scripta sunt , non solum non creditis , sed etiã quantis potestis viribus oppugnatis ? Certè videtis vos potius de novo Testamento , quam nos de veteri objectis respondere non posse . Omnia enim , quæ in veteri scripta sunt , nos , & vera esse dicimus , & divinitus mandata , & congruis temporibus distributa . Vos autem cum vobis objecta fuerint , quæ in libris novi Testamenti scripta sunt , nec accipiuntur à vobis , deficientes in respondendo ; & manifesta veritate faucibus pressis , anhelitu faucio dicitis esse falsata . Quid aliud possent expirare præfocata ora fallacium , vel potius quid aliud possent putere confossa cadavera mortuorum ?*

Sic (cœteris paribus) propemodum sese gerere in re , de qua disseritur , Pseudo-Censores agnoscuntur : formulas siquidem , ac voces in Nicæno , aliisque Conciliis præfinitas , ex Sanctorum Patrum auctoritate , aliisque scriptis nobis credendas proponunt , quas debita reverentia nos veneramur , amplectimur , eisque credimus . Sed cum , è contrario Ecclesiastica alia scripta , Sanctorumque Patrum Antenicænorum auctoritatem , quibus comprobatum evidentissimè itur , easdem voces , ac formulas , etiam antè præfata Concilia adhibita fuisse eis objicimus ; statim manifesta veritate faucibus pressis , anhelitu faucio , dicunt esse falsata . Quis ergò prohibet , ut eadem ratione cum Manichæis procedentes , eadem etiam cum illis , æquitate servata , Augustini sententia feriantur ?

Verum , ne sola rerum , ac ratiocinationis similitudine , assertiones hujusmodi repellere videamur ; ex eodem Augustino firmissima argumenta producantur , quibus tandem rejecta commenta sua confiteri cogantur . Ipse igitur Augustinus , cum Sacrarum Scripturarum testimoniis allatis , Faustum , ac Manichæos perstrinxisset , illique , quo
eva-

evaderent, nescientes, ad assuetum Cenforum nostrorum per fugium confugissent, quod, scilicet, testimonia ipsa, contra eos allata, corrupta, ac falsa esse dicerent, eos his verbis perurget.

Hoc est, quod paulo antè dixi, quia ubi sic manifesta veritate isti præfocantur, ut obsessi dilucidis verbis Sanctarum Scripturarum, exitum in eis fallaciæ suæ reperire non possint, id testimonium, quod prolatum est, falsum esse respondent. O vocem, à veritate fugacem, in amentia pertinacem! Usque aded invicta sunt, quæ adversus vos de Divinis Codicibus proferuntur, ut non sit aliud, quod dicatis, nisi eos esse falsatos? Quæ jam authoritas Litterarum aperiri, quis sacer liber evolui, quod documentum cujuslibet scripturæ, ad convincendos errores vestros exeri potest, si hæc vox admittitur, si alicujus ponderis æstimatur? Et illicò explicans quinam libri, ut corrupti, ac falsi, vicissim à contententibus rejicerentur, subdit. Aliud est ipsos libros non accipere, & nullo eorum vinculo detineri: quod Pagani de omnibus libris nostris; quod Judæi de novo Testamento faciunt; quod denique nos ipsi de vestris, & aliorum Hæreticorum, si qui suos, & proprios habent; vel de iis, qui appellantur apocryphi: non quod habendæ sint in aliqua authoritate secreta, sed quia nulla testificationis luce declarati, de nescio quo secreto, nescio quorum præsumptione prolati sunt. Aliud est ergò authoritate aliquorum, vel librorum, vel hominum non teneri, & aliud est dicere, iste quidem vir sanctus est, & omnia vera scripsit, & ipsa Epistola ipsius est, sed in ea ipsa, hoc ejus est, hoc non est ejus. Ubi cum ex adverso audieritis; proba: non confugias ad exemplaria veriora, vel plurimum Codicum, vel antiquorum, vel linguæ præcedentis, unde hoc in aliam linguam interpretatum est: sed dicax inde, proba hoc illius esse, illud non esse, quia hoc pro me sonat, illud contra me. Tu es ergò regula veritatis? quidquid contra te facit, non est verum? Quod si alius, simili insania, sed tamen qua tua duritia confringatur, existat, & dicat: Imò illud, quod pro te sonat falsum est: hoc autem, quod contra te est, verum est: quid acturus es, nisi fortè alium librum prolaturus, ubi quid quid legeris, secundum tuam sententiam possit intelligi? Hoc si feceris, non de aliqua ejus particula, sed de toto audies contradicentem, & clamantem, falsus est. Quid ages? Quo te

D. Aug. ut sup.
lib. 11. pag 91.
cap. 2.

Nota:

Nota:

con-

„ convertes ? Quam libri à te prolati originem , quam vetustatem , quam seriem successionis testem citabis ? Sic Augustinus .

Agamus igitur cum Censoribus nostris , uti Augustinus innuit . Vos dicitis Antenicænorum omnium Patrum , ac Scriptorum opera ; necnon omnia simul Martyrum Acta , in quibus formulæ , ac voces deprehenduntur , quæ in Nicæno , aliisque Conciliis præfinitæ sunt , falsa esse . Si nos vicissim eadem abuteremur , qua vos abutimini , licentia , ut recipiatis quidquid pro vobis est , & quod contra vos est , rejiciatis ; Postnicænorum Patrum , qui illas formulas , & voces in Concilio Nicæno , non modò præfinitas , sed ut vos autumatis , primùm excogitatas fuisse scribunt , auctoritatem rejiceremus , ac opera , quæ sub illorum nomine circumferuntur , uti apocrypha , abjiceremus : quid diceretis ? Non potestis (dicitis) id asserere , nam quod dicitis falsum est . Vos estis , ergò regula veritatis ? Quidquid contra vos est , non est verum , quidquid pro nobis , est falsum ? Unde probatis verum quod dicitis , nonnè ex Patribus , & Historiis ? aliunde certè probare non potestis . Cur ergò , quod similiter nos , ex Patribus , & Historiis probamus ut falsum conspuitis , & vestrum verum censendum erit , nostrum , minimè ? Cur apocrypha nostra , & non vestra ? Cur majoris authoritatis vestra , quam nostra ? Respondebitis fortasse , quod plures dixerint , quod vos dicitis , quod Historiarum Scriptorum nomina recensere valetis : quod facere minimè nos possimus , qui nomina Auctorum , qui Acta Martyrum conscripserunt , ignoremus ? At id nihil cum veritate . Plures enim , simul decepti , falsitatem aliquam in re historica , secundum vos , asserere possunt : & veritas , (ut vos asserere soletis) apud pauciores tutius aliquando reperitur . Nomen quoque verum Scriptoris , atque Historici , veritatem Historiæ minimè tribuit . Quis enim ignorat Cornelii Taciti , & opera , & nomen ? & nihilominus (ut alibi dicitur) : *mendaciorum loquacissimum* , eum Tertullianus appellat . Quare Augustinus . *Illud autem nihil ad rem cognoscendam (ait) valere arbitror , qualis fuerit ille , qui scripsit : honestissimè tamex bonis creditur , cujus literis generi humano , posterisatque consultum est : & exigui nominis*

Tertull. in Apolog. aduers. Gent. cap. 16. pag. 228.
D. Aug. de Utilit. credend. ad Honorat. c. 5. tom. 6. p. 342.

nis Scriptores, sæpè sæpiùs, veritate uberiores, vos ipsi dicitis: è contrà verò, sub magno nomine, quasi sub umbrà, haud rarò mendacia plura delitescere, pronunciatís.

Demùm liceat, nobis, etiàm nolentibus, ut Censorum nostrorum ingenio, atque differendi rationi indulgeamus, Arnobii illud, alias commemoratum cum eis usurpare. Non creditis scriptis nostris? & nos vestris non credimus scriptis. Falsa (de formulis, ac vocibus, de quibus est sermo, in Martyrum Actis, & apud Antenicænos Patres) compincta sunt; & vos de iisdem inania, & falsa jactatis. Neque enim Cœlo Deus lapsus est, & suis res vestras commentatus est manibus, aut ratione consimili nostris rebus derogavit. Ab hominibus hæc scripta? & illa sunt ab hominibus scripta, mortalibus ediserta sermonibus. Et quidquid dicere de nostris Conscriptoribus intenderitis, & de vestris hæc dicta pariter sumite, atque habetote momenti. Vultis vera esse, quæ in vestris comprehensa sunt scriptis, certisquæ eorum haberi Auctores? & quæ in nostris consignata sunt, illorumque Scriptores confiteamini necesse est, esse veros. Falstatis arguitis res nostras? & nos vestras arguimus falstatis. Quid ad hæc disertissimi Censores respondebunt? Quo confugient?

*Arnob. advers.
Gent. lib. 1.
pag. 438.*

At Augustinus ipse, rursus detegens, ad Honoratum scribens, unde morbi istius origo manaret, quoque consilio, qui novas inducere opiniones commoliuntur, vel apocripha, vel corrupta tot scripta pronuncient: hæc primùm de Manichæis, & contra Manichæos, Librum Actuum, Apostolorum rejicientes, dicit. *Hoc de illo Libro fecerant, qui Actus Apostolorum inscribitur, quod eorum consilium cum mecum ipse pertracto, nequeo satis mirari. Non enim sapientiam hominum in hac re, sed cor mediocriter desidero. Tanta enim liber iste habet, quæ similia sunt bis, quæ accipiant, ut magna stultitia mihi videatur, non & hunc accipere, & si quid ibi eos offendit, falsum, atque immissum dicere. Aut, si talis oratio impudens est, sicuti est, cur in quatuor Evangelii Libris ea valere aliquid putent, in quibus haud scio an multò plura sint proportione, quam in illo libro esse potuerunt, quæ à corruptoribus interjecta credi volunt.*

Et mox subdit. *Sed nimirum illud est, quod mihi vi-*

*bid. ut sup.
de-*

derur, quod peto placidissimo, & serenissimo iudicio mecum consideres. Nosti enim, quod Auctoris sui Manichæi personam, in Apostolorum numerum inducere molientes, dicunt Spiritum Sanctum, quem Dominus Discipulis se missurum esse promisit, per ipsum ad nos venisse. Itaque si illos Actus Apostolorum acciperent, in quibus evidenter adventus Sancti Spiritus prædicatur; non invenirent, quomodo id immissum esse dicerent. Volunt enim, nescio quos corruptores Divinorum Librorum, ante ipsius Manichæi tempora fuisse. Corrupisse autem illos, qui Judæorum legem, Evangelio miscere cupiebant. Hoc autem de Spiritu Sancto dicere nequeunt, nisi forte divinasse illos asserant, & posuisse in suis libris, quod contra futurum aliquando Manichæum, qui Spiritum Sanctum per se missum esse diceret, proferretur.

Hactenus Augustinus, cui, ut audisti, magnæ stultitiæ visum est, Manichæos Actuum Apostolorum Librum, non recepisse, quod multa hic similia haberet his, quæ accipiebant; unde Censores nostros pudere inter alia debet, nostram comprobandi Acta SS. MM. rationem carpisse, quod similibus aliorum Martyrum Actis, ab ipsis etiam interdum, in speciem saltem receptis, ipsa asserere potissimum connixi sumus. Deinde (quod caput est), nil aliud potissimum illos spectasse, qui libros passim, vel Scriptoribus abrogarunt, vel corruptos dixerunt; nisi ut scriptis cunctis, quæ inanibus, & falsis, suis opinionibus, contraria cognoscerent, fidem abnegarent. Hoc jam Gentilium fuit ingenium, cum Sybillinos Libros rejicerent, ut ex Lactantio supra monuimus. Hoc Hæreticorum, & præteriti, & præsentis temporis, cum plerisque Sacræ Scripturæ libros non admittunt. Hoc tandem Censorum nostrorum, ut suas plerumque sententias tueantur; itaut verum, genuinum, ac certum haberi non velint, nisi, quod pro illis est; falsum verò deputari, quod contra illos est, semper contendat. Ipsi, & sibi, & aliis facti regula veritatis.



CAPUT IX.

*Sententia quadam Augustini de Operibus certis aliquibus
Conscriptoribus asserendis explicatur. Improbè à
Censoribus veterum ignaviam, hebetudinem-
que insectari; certisque Auctioribus
certa scripta detrahi.*

AT quamvis Augustinus pluribus insectatus sit, ut
audistis, eos, qui vel Auctioribus libros detrahe-
bant, vel Auctiorum libros, ac scripta corrupta
insimulabant; tamen est aliquid, in quo Censores centuriis
suis Augustinum annuisse arbitrari posse videntur. Dicit
enim, cum Fausto Manichæo disserens. *De quo libro certum
erit, cujus sit, si litteræ, quas Apostolorum dicit, & tenet
Ecclesia ab ipsis Apostolis propagata, & per omnes gentes tanta
eminentia declarata, utrum Apostolorum sit, incertum est: &
hoc erit certum scripsisse Apostolos, quod huic Ecclesiæ contra-
rii Hæretici proferunt Auctiorum suorum nominibus appellati,
longè post Apostolos existentium? Quasi verò, & in litteris
secularibus non fuerint certissimi Auctiores, sub quorum nomi-
nibus multa postea prolata sunt, & idèd repudiata, quia vel
bis, quæ ipsorum esse constaret, minimè congruerent, vel eo
tempore, quo illi scripserint, nequaquam innotescere, & per
ipsum, vel familiarissimos eorum in posteros prodi, commenda-
rique meruerunt. Nonne, ut alios omittam, sub Hippocratis
Medici nobilissimi nomine quidam libri prolata, in auctioritatem
à Medicis non recepti sunt? Nec eos adjuvit nonnulla simili-
tudo rerum, atque verborum, quando comparati eis, quos
verè Hippocratis esse constaret, impares iudicati sunt, & quod
ab eo tempore, quo & cætera scripta ejus, non innotuerunt,
quod verè ejus essent.*

D. Aug. lib. 33.
contra Faust.
cap. 6. p. 182.

Nota.

Unum illud, in primis hic docere Augustinus cogno-
scitur, ad vindicandum alicui Auctiori opus aliquod neces-
sarium esse, ut opus ipsum, nimirum, cæteris ejusdem
Auctoris certis congruat scriptis. Verùm id nihil ad nos,
vel certè ex hoc nihil contra nos: hic enim Augustinus,

G g

de

de quibusdam apocryphis scriptis agit , (& forsan illorum , quorum haud semel supra meminimus) , qui Apostolorum nomine circumferebantur , quæque eorum non esse perspicuè agnoscebatur ; tum quod quam continerent doctrinam , veræ Apostolicæ doctrinæ minimè congrueret ; tum quod multò post Apostolos prodissent ; quod quidem ut audisti , librorum Hippocratis probat exemplo .

Sed hæc , inquam , nihil ad nos , nam præterquam quod Augustinus hic loquitur de peculiaribus quibusdam libris , certis Auctoribus perperam adscriptis , non verò de pluribus libris , ac Auctoribus , inter quos ratio nulla intercedat , circa quos præsens quæstio versatur : ad hoc insuper , ut juxta ejusdem Augustini sensum , scriptum aliquod incertum , cum certo scripto collatum , minimè ejusdem judicetur Auctoris , non modo non congruentia , sed etiam certis scriptis opposita , ac contraria continere debet . Hoc siquidem verbo *non congruere* , quo ipse usus est , non aliud significare voluisse , quam *adversari* ; ex causa , ac ratione , ob quas illud profert , educitur . *Et hoc erit certum* (inquit) *scripsisse Apostolos , quod huic Ecclesiæ contrarii Hæretici proferunt Auctorum suorum nominibus appellati , longè post Apostolos existentium* . In confessio autem apud omnes est , eos , qui sub Apostolorum nomine prodierant libros , non tantum non congruentia , verum etiam opposita verè Apostolicis libris continuisse . Quapropter cum hoc comprobare librorum Hippocratis exemplo contendat , eorumque nonnullos , uti non ejusdem Scriptoris , rejectos fuisse asserat , quod cum certis minimè congruerent ; non congruentia hæc sic est accipienda , non quod in sola rerum , ac verborum dissimilitudine esset ; (cum imò oppositum fuisse ipse assermet) , sed quod res ipsæ certis Hippocratis sententiis , ac doctrinæ adversarentur ; aliter exemplum , quod affert , rei , quam astruere conatur , minime contentiret . Idcirco , si aliquis huic Augustini auctoritati innixus , quia hæc , vel illæ formulæ , ac voces in his , exempli gratia , scriptis Justini , Dionysii , aliorumque Antænicenorum Patrum reperiuntur , eo quod in aliis eorundem Patrum libris minimè legantur , illa propterea rejicienda putaret ; profecto in errore esset , quia non congruen-

gruentia, quæ impellere debet, ut id decernatur, doctrinæ, ac sententiarum, non verò vocum, ac formularum esse debet. Minusque etiam ad rem faceret, si quis sententiam hanc Augustini obtenderet, ex ipsaque astruere vellet, plurimorum, ac inter se distinctorum Auctorum scripta rem eandem astruentia, illorum non esse, quorum hucusque nomen præfulerunt, eo quod in singulis aliis, quæ exararunt operibus, unusquisque eorum rem ipsam non memoraverit; nam tunc, licet quam semel tantum hi retulerunt, ipsorum aliis testimoniis non fulciretur, tamen cæterorum Scriptorum auctoritate tueretur, quam respicere manifestissimæ dementiæ esset: quodve, si liceret, nobis etiam eorum omnium, quos Adversarii proferunt Auctorum, pari licentia, auctoritatem, ut diximus, abjicere vetitum non esset,

Cæterum, cum ex præfata Augustini auctoritate perspicuè agnoscatur, veteres aded hebetes, ac ignavos non fuisse, (utî Pseudo-Censores autumant, cum retroactorum seculorum hominibus, diligentiores se veritatis exploratores arbitrantur), ut sine delectu, tam in Ecclesiasticis rebus, quam in secularibus disciplinis, certis Auctoribus scripta tribuerent, vel vindicarent; ex illorum eadem hac diligentissima cautela meritò coarguendi Pseudo-Censores ipsi noscuntur, qui post tanta temporum, ac annorum, intervalla, scripta, quæ iidem veteres uno ore, ac prævio, quod diximus, examine, certis Scriptoribus tribuerunt, iisdem nunc detrahere audent; digni idcirco, qui statim post præfata verba, ab eodem Augustino sic perstringantur,

Platonis, Aristotelis, Ciceronis, Varonis, aliorumque *Ibid. ut sup.*
 „ *hujusmodi Auctorum libros; unde noverunt homines, quod*
 „ *ipsorum fuit, nisi eadem temporum sibi met succedentium conte-* *Nota.*
 „ *statione continua? Multi multa de litteris Ecclesiasticis con-*
 „ *scripserunt, non quidem auctoritate Canonica, sed aliquo ad-*
 „ *juvandi studio, sive discendi, Unde constat quid cujus sit! nisi*
 „ *quia his temporibus, quibus ea quisque scripsit, quibus potuit*
 „ *insinuavit, atque edidit, & in alios, atque alios continuata*
 „ *notitia, latiusque firmata ad posteros etiam, usque ad nostra*
 „ *tempora pervenerunt, itaut interroganti cujus quisque liber*
sit,

„ sit , non hæsitenus quid respondere debeamus ? sed quid pergam
 „ in longè præterita ? Ecce istas litteras , quas habemus in mani-
 „ bus , si post aliquantum tempus vitæ hujus nostræ , vel illas
 „ cujusquam Fausti esse , vel has neget esse meas : unde convinci-
 „ tur , nisi quia illi , qui nunc ista noverunt , notitiam suam ad
 „ longè etiam post futuros , continuatis posteriorum successionebus
 „ rejiciunt ? Quæ cum ita sint , quis tandem tanto furore cecatus ,
 „ nisi Dæmoniorum mendaciloquiorum malitia , atque fallacia
 „ consentiendo subuersus sit , qui dicat hos mereri non potuisse
 „ Apostolorum Ecclesiam , tam fidam , tam numerosam Fratrum
 „ concordiam , ut eorum scripta fideliter ad posteros trajicerent ,
 „ cum eorum Cathedras , usque ad præsentès Episcopos certissima
 „ successione servaverint , cum hoc qualiumcumque hominum scri-
 „ ptis , sive extra Ecclesiam , sive in ipsa Ecclesia , tanta facili-
 „ tate proveniat ?

Et hæc pro illis , qui novi , recentisque venerunt ;
 tantaque securitate , nè dicamus audacia , post tot seculo-
 rum curricula , quibus certis Auctoribus à posterioribus Pa-
 tribus , atque ab universali totius Ecclesiæ sensu scripta ali-
 qua asserita sunt , effutire nihilominus non verentur : opus
 id falsò Nazianzeno tribuitur ; illud non est Basilii : per-
 peram aliud , exempli gratia , Arnobio tribuitur , & sic de
 singulis . Unde enim constat , quod opus aliquod alicujus
 sit , nisi ex continuata in alios , atque alios notitia ? Ab
 hac igitur notitia recedere velle , non quidem scire , sed
 ignorare est , cum sit plus iis scire velle , qui proximiores
 fuere , & alia ratione scire velle , quàm ex aliorum tradi-
 tione datum sit , sine qua tamen non datur scire posse .

Hæc autem , quæ dicimus , cum ad totam , latèque
 patentem de hac re disputationem dumtaxat spectent ; sin-
 gulis idcirco argumentis , quæ pro singulis scriptis , ab Ad-
 versariis objici possent , respondere , uti non nostri infi-
 tuti , prætermittimus .



CAPUT X.

Ubi antiquis PP., ac Historicis certa opera frustra detrabere Pseudo-Censores connixi sunt : nova comentiuntur, quæ iisdem attribuant. Non nisi hac ratione, & SS. M. M. Acta, & Ecclesiasticam omnem Historiam eos evertere potuisse. Augustini auctoritate eadem opera conficta demonstrantur : ac adversariorum fundamenta, ac argumenta de hujusmodi veterum recens editis operibus rejiciuntur.

EADEM vero fundatissima Augustini Doctrina, quæ non modo receptissimas antiquorum Patrum, ac Auctorum scriptiones, ac opera, sed Divinorum etiam Librorum, auctoritatem firmat; eadem ipsa, quæ passim, & perperam Patribus iisdem, ac Scriporibus Opera Pseudo-Censores tribuere præsumunt, repellit, ac depicit. Ubi enim, vel Opera certis eorum Auctoribus, vel Operibus certissimos Auctores frustra detrabere se connixos tandem intellexerunt: illud excogitarunt, ut aliis confictis eorundem, aliorumpue Patrum, ac Historicorum scriptis, priora decerperent, eorumque vim everterent, ac deturbarent. Hinc quotidie novis, & Historicorum, & Patrum editionibus exornatis, in iis, quæ numquam antea prodierant, eorundem Patrum, Historicorumque scripta in lucem proferuntur, quæ existimio suo studio Pseudo-Censores ipsi, utpotè diù mortua, è sepulchro asurgere faciunt: quippe qui soli invenisse, quæ antiquissima perierant monumenta inaniter gloriantur, quibus seculorum præteritorum omnium ignorantie tenebras depulerint; cum tamen non nisi caliginosiores imperitis tenebras offundere studeant; nam, ut Tertullianus olim scribebat, totum illorum studium, non de veritate est, sed hæc nova *suffodiunt*, non ut nostra confirment, sed ut sua ædificent.

De præscriptis

Et revera, qua, quæso ratione Tilmontius, Bailettus, Natalis ab Alexandro, alique præterea his similes innumeri, sursum deorsum Ecclesiasticam omnem Historiam,

& Sanctorum Martyrum Gesta scripto tradita, atque à certissimis, totaque Ecclesia receptissimis monumentis accepta evertere potuissent, nisi monumenta alia confinxissent, vel à sodalibus suis studio antea confecta, in medium protulissent, quorum auctoritati innixi priora impetere, ac dejicere nisibus totis curarent? Consulat Catholicus Lector, eorum, quos recensuimus, & insuper aliorum his similium Historias, quas Criticas vocant: consulat, novas SS. Patrum editiones; intelligetque profectò, dummodo serriò explorare eas velit, omnia, & singula, quibus utuntur, ad adoriendas veteres Historias argumenta, & rationes, non aliunde petiisse, quam à novis, ac numquam antea cognitis, (vel si fuissent, semper abjectis) Chronicis, Martyrologiis, Ritualibus, Historiis, Epistolis, & his similibus, quæ, vel veteres semper latuere, vel numquam, (cùm Opera hujusmodi ex nomine tantum agnoscerent,) se tamen reperire potuisse ingenuè fassi sunt. Nisi enim perpetuò inaudita hæc, ac invisâ Pseudo-Censores proderent, nullatenus nostra apud omnes stabilita, ac firmata convellere possent; ut ridendum, an dicam potius lugendum sit, quod statimac Antiquorum aliquem, quid scripto tradidisse iis innotuit, quod deinde exciderit; illicò illud in promptu habeant, ut prodant, ac reperisse statim se jactant; itaut nostro hoc tempore, nihil præteritorum monumentorum absconditum fuerit, quod non reveletur, & occultum, quod non sciatur.

At majorem etiã facinoris stuporem ingerere debet, quod hæc tam abscondita, tam occulta, se eruisse persæpè haud diffiteantur, vel ex Bibliothecis recens coacervatis, quæque ab antiquitate per consequens commendari minimè possunt; vel à regionibus, ac locis in quibus decimosexto seculo, à furentibus Hæreticis, sacra omnia, ac Ecclesiastica hæc monumenta igni tradita sunt, ac feraliter absumpta: quam impiam, universalemque penè vastationem, Scriptorum, tam Hæreticorum, quam Catholicorum nemo, non dicam, negavit, sed ultro luculentissimè non descripsit. Et tamen, ex hujusmodi locis, Archivis, Bibliothecis, direptis, igneque deletis, videmus (inquam), non modo ea, quæ alibi ferta tecta custodita sunt, prodire; sed alia insuper,

per, quæ in locis aliis à tam gravi infortunio expertibus, reperiri nequeunt; & ac si nihil horum illa pafsa efsent, aperta fronte in lucem emitti.

Quia verò peculiari Opere de his agere cœpimus; idcirco, ut fraudem hanc detegamus, his immorandum non duximus; fatifque nobis erit, ut universè omnia scripta hæc recens reperta, ac edita, quibus, & Ecclesiastica Historia subvertitur, & SS. MM. Gesta impetuntur, & ut uno verbo dicam, seculum omne confunditur, ad probatiffimam, quam retulimus, Augustini censuram avocemus.

Potiffima ejufdem Augustini argumenta, quibus certiffimè certis Scriptoribus scripta aferenda cenfet, hujusmodi sunt. Primum, ut scripta, de quibus fortè ambigi contigat, an alicujus Scriptoris sint, cœteris scriptis, quæ certiffimè ejufdem sint, congruant. Aliud ut, ex quo tempore Auctor aliquis scripsit, in alios, atque alios, continuata notitia, latiusque ad posteros firmata, usque ad nostra tempora pervenerit, itaut interrogatus quisque, cujus hic, exempli gratia, liber fit, non hæfitet, quid respondere debeat, sed, ut à perpetua traditione accepit, Libri ejufdem statim Auctorem prodat.

Dicant, igitur Pseudo-Censores tot Operum, quæ quotidie in lucem edunt, quænam ea sint, quæ firmissimis his Augustini innixa sint fundamentis? Esto, (si tamen fit), quod hujus, vel illius Scriptoris, quæ recens referuntur scripta, ejufdem Scriptoris aliis congruant, idest, ut explicavimus, non adversentur; fat fortè id erit, ut illis propterea nova hæc, ac usque adhuc invisa, necessariò aferantur, si præcipuè incongruentia illa, quæ in ejufdem Scriptoris cœteris scriptis non reperitur, ideò non reperiat, quia in cœteris scriptis res non attigerit, de quibus in recentioribus his scriptis disseritur: quæ tamen cœterorum receptiffimis, vetustioribus scriptis non congruant, videlicet, adversentur? Congruere fortè astringent, ex stylo, scribendique ratione? At congruentiam hanc, uti leviffimam (de qua peculiari modo inferius agemus), veteres, cum de Hippocratis Libris supposititiis ageretur, meritò repuliffè, Augustinus testatur: cum supposititios, nimirum ipsos Libros, nonnullam rerum, atque verborum similitu-

dinem non adjuvise, ut propterea Hippocrati assererentur, disertè scribit. Ex vetustate autem Codicum, vel characterorum antiquitate desumpta argumenta, congruentiam ipsam minimè juvare posse, omnibus in aperto est: tum (ex inferius dicendis), tum quia, ut aliquid probare possent, scriptum cum scripto conferre, & cum certissimis Autographis novis his scriptis collatis, congruentiam hanc deprehendere necesse esset. At ubinam sunt modo certissima Autographa ea, cum quibus nova hæc scripta conferri possint?

Baluz. in Not.
ad Lactant.
pag. 351.

Probet deinde, quod ex eo tempore, quo Auctor scripsit, novi Operis, quod modo edunt, in alios, atque alios continuata notitia, latiusque ad posteros firmata, usque ad nostra temporis pervenerit. Probo (inquiet Stephanus Baluzius), ex auctoritate S. Hieronymi, quem edidi: *De moribus Persecutorum Lactantii Librum*, ipsius Lactantii esse: quia ipse in Cathalogo Virorum illustrium recensens opera Lactantii, inter ea commemorat Librum de persecutione, nimirum hunc nostrum. At unde scit Baluzius hunc suum esse Lactantii Librum, quem Hieronymus commemorat? Alia Scriptorum, & Patrum Opera, imò ejusdem Lactantii Libros Hieronymus commemorat, (uti illos exempli gratia Divinarum institutionum), quos certissimè scimus quinam sint: quia, ex quo illos scripsit, quibus potuit insinuavit, atque edidit, & in alios, atque in alios continuata notitia, latiusque firmata ad posteros etiam usque ad nostra tempora pervenit. Hujus vero, quem modo Baluzius edidit, quænam quæso continuata, ac ad posteros usque ad nos propagata notitia, illum ipsum esse, quem Lactantius scripsit, & Hieronymus commemoravit, certiores nos reddit?

Imò eum, quem Baluzius edidit, Lactantii Librum non esse, quem vere Lactantius scripsit, & Hieronymus commemoravit; præter alia, (quæ alibi, ut innuimus dicenda erunt, ac studio hic inserere prætermittimus), illud indicat, quod eorum, quæ in hoc Libro narrantur, nullam notitiam se habere Hieronymus ostenderit: elicere enim fortè liceret, Librum Hieronymum ignorare non potuisse, si congrua iis, quæ in Libro habebantur prompsisset. Verum

rum longè nimis, ab excogitati hujus Lactantii sententiis, in ipsis recensendis persecutoribus, ac persecutionibus Hieronymus idem abhorruit, ut propterea (inquam) elicendum sit Librum ipsum non ignorasse: nam quam ipse in Libro de Scriporibus Ecclesiasticis, in Cypriano, Valeriani, & Gallieni *Octavam persecutionem* dicit; non solum confictus hic Lactantius *Quartam* asserit, sed insuper, ut cœteras, quas Hieronymus certissimas supponit persecutiones excludat, post secundam Domitiani, ex Baluzii ingenio scribit: *Rescissis, igitur Actis Tyranni, non modo in statum pristinum Ecclesia restituta est; sed etiam multo clarior, ac floridius enituit, secutisque temporibus, quibus multi, ac boni Principes Romani Imperii clavum, regimenque tenuerunt,* NULLLOS INIMICORUM IMPETUS PASSA, *manus suas in Orientem, Occidentemque porrexit &c.* Paucisque interjectis. *Sed enim postea LONGA PAX interrupta est. Exstitit enim, POST ANNOS PLURIMOS execrabile animal Decius &c.* Si igitur, à Domiziano ad Decium, ac deinde ad proximè subsequen-tem Valerianum, nullos inimicorum impetus Ecclesia passa est, ac sub bonis Romanis Principibus diuturnam pacem habuit, quæ non nisi post annos plurimos, sub Decio primum, deinde sub Valeriano interrupta est: qui ista noverrat, ex Lactantii Libro Hieronymus, quomodo octavam, quam quartam pronunciare debuerat, Valeriani persecutionem pronunciavit?

At Hieronymus (dices), & Lactantianæ hujus sententiæ, & Libri, in qua contineretur, scientiam habere potuit, nec tamen inde sequitur, quod sententiam Lactantii sectari debuerit. Verum sententiam hanc tunc aliquem somniasse, unde probatur? Ex opposita, è contra, quam Hieronymus sectatus est, facilius ejusdem notitiam non habuisse, quam habuisse elicitor, quod quidem nunc caput disputationis est: imò cum, nec hujus, nec aliarum plurimarum in hoc Pseudo-Lactantio congestarum narrationum, vel apud Hieronymum ipsum, vel in aliis Ecclesiasticis monumentis vestigium deprehendatur; & Hieronymi, & cœterorum Ecclesiasticorum monumentorum narrationes, ab immemorabili tempore tota Ecclesia receptæ, his opposita tenuerint, ac retulerint: in iisque nihil subodorari umquam,

H h

à quo-

Miscellanea
Lib. 2. p. 4.

à quovis potuerit vel operis, vel sententiarum in iis contentarum Pseudo-Lactantii, licet monumenta eadem, de iisdem egerint, de quibus ipsum egisse confingunt: quis non videt, ex toties repetito validissimo Augustini argumento, conficto huic Lactantii Operi omne illud deesse, quo eidem Scriptori ritè ipsum asseri posset; nimirum in alios, atque alios ejusdem continuata notitia, latius ad posteros propagata, quæ usque ad nostra tempora pervenerit? Imò, quis diffiteri poterit, ex eodem Augustini argumento ritè proferri, ac probari posse, uno Hieronymo excepto, qui tamen, non hunc Baluzii, sed Lactantii tantum Librum, (ut diximus), & alio quidem titulo prænotatum commemoravit, non modo Baluzianæ inventionis, nullam in alios, atque alios continuatam derivasse notitiam, nec eam ad posteros umquam perlatam, sed novam omninò à solo Baluzio nobis fuisse productam?

Possemus hic addere, iis, quibus destitutum penitus excogitatum Lactantii id Opus dignoscitur, continuatæ, videlicet traditionis subsidiis, cumulatissimè Ecclesiastica monumenta fulciri, quæ impetere hac arte, ac dejicere Pseudo-Censores commolliti sunt; uti, quod de persecutorum, ac persecutionum numero innuimus, Sanctæ Susannæ Acta, & alia hujusmodi, quorum omnium in alios, atque alios continuata notitia, latiusque firmata etiam ad posteros, usque ad nostra tempora immutabilis, ac illæsa pervenit; sed quia, ut toties diximus, hic confictum id opus refellere non suscepimus, idcirco ab his in præsens abstinemus.

At eodem prorsus Augustini certissimo experimento passim conicidere innumera ea, quæ jactant è tenebris eruta Pseudo-Censores antiquitatis monumenta, absque dubio videre erit; tanto, absque dubio tutius dejicienda, atque refellenda, quanto præclarius speciosissimis persæpè spectatissimorum Scriptorum, ac Patrum nominibus honestantur. Quis enim credet, vel Augustini, vel Hilarii, vel Hieronymi genuina scripta, tanto studio, ac sedulitate toto Orbe conquistata, tanta diligentia toties conscripta, toties edita, lyuceos tot præstantissimorum Virorum oculos, cuncta in quavis Bibliotheca, Archivio, & singulis Ec-

Ecclesiis, Coenobiisque rimantes, ac perscrutantes, post tot seculorum curricula fugere potuisse? Et tamen (inquires) ea fugerunt, quia in nullo præteritorum seculorum, ea diligentia adhibita fuit, qua, iis è latebris eruendis modo incumbitur. Verum id frustra asseritur; at posito quod sic sese res habuerit, cum tamen abscondita ista, quæ nunc revelantur, passim non nisi, ex uno, vel altero nescio cuius Bibliothecæ secreto eruantur; idcirco quin meritò spernantur effugere nequaquam possunt, quod, videlicet, Augustini sententiæ minimè, se subducere valeant, imò eidem eo magis obnoxii censendi sint, quo clarissimorum Virorum nomina præferant. Obscuro, siquidem, ac nullius nominis Scriptoris alicujus diù Opera abjecta delitescere posse, nemo mirabitur, neque impossibile judicabit: at Sanctorum Patrum, aliorumque præstantissimorum scripta, tamdiù neglecta, tamdiù abjecta, tamdiù in angulo delitescere potuisse; cordatus certè nemo credet. At, inquam, manserint: nemo illa tamen, non dicam tuto, sed absque temeritate Patri, vel Scriptori alicui, ut vera, ac genuina asserere poterit: quia, ut ritè asserere posset, ea probatione uti deberet, qua una, non modo certis Auctoribus, certa scripta asseruntur, sed ipsorum Divinorum Librorum, per perpetuam traditionem veritas, ac authoritas in Catholica Ecclesia (ut Augustinus ostendit), statuitur: continuata, nimirum, à tempore, quo ipsa exarata sunt, usque ad nostra traditio, quod ipsamet hi, & hi Scriptores exaraverint. At si modo tantum, post tot seculorum curricula hujusmodi, & Opera, & Scriptorum nomina emergunt; undenam utraque mutuare probationem hanc poterunt?

Ad hæc, quid ipsi? Respondebunt sane, quod si quid hujusmodi argumentum valeret, à proposita Augustini regula, plura, quæ à Romana Ecclesia recipiuntur Patrum, ac veterum scripta, è medio auferre necesse esset; nam, ut alia prætereamus, S. Dionysii Areopagitæ Opera, diù incognita, ac per consequens perpetuæ traditionis præsidio destituta, eo, quod prædiximus judicio, damnanda essent: & tamen mordicus, ut tanti Patris genuinos foetus, Libros eodem eam tueri, ac venerari quis ignorat?

Quibus nos, breviter respondemus, quod cum præ-

cipuum Pseudo-Censorum, contra Dionysii opera argumentum, silentio præcipuè Eusebii, Hieronymi, aliorumque innitatur, quod, nimirum hi, nec Dionysii, nec Operum ejus meminerint; inde tamen elici tuto non potest, perpetuam ipsorum traditionem, tempore, quo opera ipsa delituisse dicuntur, fuisse apud omnes universè interruptam: nam necesse, nec est, neque umquam fuit, ad hoc, ut non in interrupta traditio aliqua dici posset, quod singuli eam perspectam haberent. Vigebat proculdubio ea Libri, quem de cunctorum Martyrum Gestis, Constantini ævo Eusebius Cæsariensis conscripserat; & tamen Eulogius Alexandrinus Episcopus, homo nimirum Græcus, Scriptoris Græci Librum non viderat: & Magnus, de eodem Libro, ad Eulogium ipsum scribens, Gregorius ingenuè fatetur: *Hæc, (nempe Martyrum Gesta ab Eusebio collecta) neque si collecta non sint, neque si sint, ante Vestra Beatitudinis scripta cognovi. Ago ergo gratias, quia sanctissimæ vestra doctrina scriptis eruditus cæpi scire, quod nesciebam. Quid igitur? Quia Opus hoc Eusebianum Eulogius non viderat, ejusdemque notitia, ad Gregorium perlata non fuerat, ejusdem Operis traditio ad posteros derivata non erat?*

*D. Gregor. Epist.
Lib. 7. Epist. 29.*

Agant, igitur, Pseudo-Censores, cum de Dionysii hisque similibus veterum Patrum scriptis disseritur, eodem argumento. Hieronymus nescivit, Eusebius, non dixit, cæteri siluerunt; ergo eorundem Operum notitia, ad posteros deinde propagata non fuit? Transeat, quod apud singulos non fuerit, ritè ne inferri ex hoc poterit, quod apud omnes omninò non fuerit? Si apud illos non fuit, certè, vel apud Arianos fuit, qui Dionysiana Opera studio occultasse dicuntur, vel apud alios antiquiores Hæreticos, vel apud Gentiles, vel apud ipsos Catholicos, quibus cordi fuit, ut Opera ipsa minimè proderentur, nec publico exponerentur. Quod quidem, dicas, oportet, de aliis Patrum, Scriptorumque Operibus ab Ecclesia receptis: eorum siquidem perpetuam traditionem, vel per manus accepit, vel ex ipsorum sententiis, intellexit, vel ex aliorum scriptis percepit, nec sine horum prævio, ac diligenti examine, ipsa certis Scriptoribus adjudicavit. Verum Operum, quæ à quovis, pro libitu, passim in lucem edun-

eduntur, ac vetustissimorum Scriptorum, ac Patrum nominibus honestantur, quænam horum veritati adstipulantur?

A scriptionis chartarum, characterorumque ratione; manuscriptorum, unde nova hæc Opera eruuntur antiquitatem mutuare, haud me lætet Pseudo-Censores consuevisse; utpotè qui singulorum præteritorum seculorum peculiarem scriptionis modum, & cœtera adedè perfectè sciunt, ut, quæ huic seculo, quæ alteri convenient perfectissimè dignoscant. Sic ex trypode, de suo Pseudo-Lactantio, ac Codice unde illum accepit, Baluzius pronunciat. *Ostin-
gentorum* (dicens), *aut circiter annorum esse videtur*. At cum paulò post addat: *Compositus, & absolutus est liber eo anno, quo post extinctos persecutores, dulcissimum, ac pulcherrimum pacis nomen auditum est in Ecclesia Christi*: longè nimis abesse à tempore, quo Liber ipse à Lactantio compositus fait, quæ ejusdem Libri, ex Codice scriptio exhibetur fatenda est, ut propterea genuinum Lactantii esse Librum fateri necesse sit; nam, cum plura inter Lactantii, & Codicis hujus scriptionem intercesserint secula, seculis, quæ posteriorem hanc scriptionem præcesserunt, quinam sunt ii, qui Lactantio priorem scriptionem asserant, etsi posterior hæc vera esset? Si verò non sunt, cui suadere erit Librum hunc (id de cœteris dicas), verè Lactantii esse, si non modo continuata ejusdem usque ad nos notitia non fuit, sed insuper plurium seculorum intercapedine interrupta extitit: & insuper, nec posterior hæc scriptio, prioris testimonio fulciri queat, nec vicissim prior posterioris testimonio suam genuinam antiquitatem probare valeat?

Quod ad scriptionis, hisque similibus rationem attinet, de quibus tam liberum Pseudo-Censores subripuere sibi iudicium, ut hoc seculo id, altero, alterum scribendi modum tutò definiant: ut verum esse, quod dicunt suadeant, probandum illis profectò est, singulis seculis adedè apud omnes scriptionis præfinitam fuisse formam, ut eam prætergredi nulli liceret; itaut, exempli gratia, Gothorum seculo, non nisi Gothorum caractere, uti fas esset. Si enim id non probant, & perperam eliciunt, & nihil, ex suis istiusmodi iudiciis tutum definiunt. Verum, quis tam vecors esse poterit, qui

Ue sup. pag. 346.

qui & chartarum, & scriptiois, & si quid est aliud hujusmodi, non dicam apud omnes nationes, sed insuper apud omnes homines, intra certos fines, singulis seculis, sic cohibitam regulam fuisse, ut aliter, atque aliter, & chartam conficere, & scriptiois modum tenere, prout cuique libuisset, non licuisse, suaderè sibi possit, itaut ex hoc elicere tutum sit, hoc, & illud scriptum, non nisi ad hoc, vel illud tempus pertinere? Studio non videmus hunc, & alterum, posthabita, ea, quæ passim modo in usu est scribendi ratione, non nisi antiquorum characteribus conscribendis sedulo inhærere? In magnorum Principum aulis, & , ut alias misas faciamus, in ea Summi Pontificis, nonne, & hodie videmus, aliis, atque aliis characteribus, & quidem antiquissimorum formam præferentibus, & Brevia ad Principes, & Bullas, & Diplomata, & Indulgentiarum concessionem, & Epistolas conscribi; quorum alia hedina, alia communi, vel alia charta exarantur? Unde igitur est illud, hoc scriptum ad nonum, vel decimum certissime spectat, quia hæc scribendi ratio, hæc charta iis seculis in usu fuit; si quovis seculo, quam quisque voluit scribendi formam sectari potuit, si cunctis seculis, non una omnibus, nec chartarum, nec scribendi, sed, è contra diversa, ac multiplex ratio fuit?

Prætereamus, & nullo propè negotio (posito etiam, quod falsum est, quod singula, nempe secula peculiarem suam scriptiois rationem obtinuerint), ista confingi posse; uti revera confixisse impium eum Photium, apud Baronium sub ann. 818. Nicetas, & Constantinus Manasses referunt. Qui, nempe, de Basilio Macedone, ad captandam ipsius gratiam. *Historiam, & genealogiam format, & fugit eam, qua neque est, neque umquam fuit, Sexcentis etiam mendaciis historiam illam cum repleset, vetustissimis quidem membranis, characteribus etiam Alexandrinis, pro virili immitatis talia scribit, & antiquissimis papyris, ab antiquissimo Libro detractis omnia hæc obvolvunt, ac deinde in magna Palatii Bibliotheca illa deponit.* Ex qua quidem conficti Codicis inventionem (inquit Baronius) origo amicitiae Photii cum Basilio, Ecclesiasticae pacis perditio, & prioris confusionis innovatio. Prætereamus nostris hæc etiam temporibus

Noti.

ribus, in hujusmodi veterum Scriptorum confictores, Seculares Potestates, severè, ut par erat, haud rarò animadvertere debuisse. Sinè tamen alcujus piaculo, vel ex loco, in quo servantur, vel aliunde contracta tabe, etiam recens scripta obsoleta, ac præ vetustate confecta, quoties scripta nobis apparent? Nullum igitur, ex hujusmodi solidum argumentum educi valet, quo antiquis, quæ nunc passim emergunt Opera, tutò adscribi possint. Ad hæc objicient fortè Pseudo-Censores generali adedò definitione venerandos omnes infimul Codices M. S. comprehensos fateri necesse esse; cum tamen Sancta ipsa Romana Ecclesia, vel in Sacrorum Bibliorum emendatione, vel in Sanctorum Patrum editionibus, ipsos studiosissimè consuluisse certum sit. Verum frustra id objicitur, si seriò perpendatur, vetustissimos Codices, quos Ecclesia Romana honorifice, in instruendis, quæ recensuimus Operibus consuluit, juxta fundatissimam eam Augustini regulam, testimonium firmissimum perpetuæ traditionis, à primis Ecclesiæ exordiis, usque ad nostra tempora propagatæ obtinuisse, idedòque tuto ipsos Codices eam consuluisse. At quæ nunc hoc testimonio penitus destituta, antiquorum emergunt scripta, quam fidem merentur, ut scripta ab iis, quorum nominibus (sæpe pro libito) honestantur, censerì possint? At redeamus ad alia, ab adversariis, à Conciliaribus rebus desumpta argumenta.



CA-

CAPUT XI.

Sanctorum Martyrum Acta ante Concilia Generalia conscripta non fuisse perperam ab adversariis contenditur; vel si post scripta sint, frustra ab iisdem eorundem sinceritas impetitur. Ad fidei dogmata probanda nunquam in Conciliis Acta Martyrum in medium prolata, nec necessario proferenda: sed neque Patrum scripta adducta.

SED audiamus potissimum argumentum aliud, quo, omnia simul Martyrum Acta, in quibus Divinorum Mysteriorum expressæ formulæ depræhenduntur, decipere Censores contendunt. Si Acta hujusmodi (inquiunt) sincera, ac legitima extitissent, profecto ante Concilia Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum, Calcedonense fuisse exarata, fateri necesse esset, ideòque aliquos saltem, ex multis Episcopis, qui iisdem Conciliis interfuerunt, latere non debuissent, cum præsertim Martyrum Gesta in Episcoporum Archivis servarentur. *Verum ea nesciisse certum est, nam si hujusmodi illa habuissent, absque dubio, contra Hæreticorum fautores, nempe Arii, Macedonii, Nestorii, atque Eutichetis illa protulissent; ea pari ratione, qua superiorum Patrum testimonia, licet rem quam vellent, expressè satis minime probarent, explicarentque minus, quam opus esset Trinitatis, ac Incarnationis Mysteria, in medium afferre non dubitarunt. Si igitur præfati Patres, tum in memoratis Conciliis, tum in singulis, quæ exararunt operibus, Martyrum Actorum numquam meminissent; quis ea tunc extitisse asserere poterit? Sic illi, qui, ac si nos immedicabili vulnere confodissent, statim ovantes subjungunt. Huic difficultati adequatè respondeat, deinde, uti libuerit, se offensos dicant, nam æquissime dicent.*

Quòd igitur, insigni benignitate permittunt, prætermittere nefas esset: verum, ne irrationabiliter, vel ex sola pietate hoc à nobis agi non credant, totum, id quod tan-
to

to verborum apparatu affruunt, negamus. In primis enim nil credere prohibet Acta eadem ante Generalia Concilia fuisse exarata; quia totum id, ob quod non exarata à Pseudo-Censoribus putantur, voces, ac formulæ, nimirum, quæ deinde in Generalibus Conciliis, ad controversias fidei dirimendas, adhibitæ sunt, ante ipsa Concilia, ut ostendimus, jamdiù antea apud fideles in usu erant. Et, ex præmissis deinde, perperam etiam assertum dicimus, quod ad hoc, ut Acta hujusmodi sincera dici debeant, antè Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum, ac Chalcedonenſe Concilia concinnata esse debuerint: cum prius hoc vel postèrius, nil ad eorum sinceritatem conferat, ut suprâ multis probavimus, quæ hic denuo recensere, inutile prorsus, ac supervacaneum judicamus.

Ex Ephesini, deinde Concilii Act. 6 elici posse videtur, Martyrum Acta in medium fuisse prolata: nam ibi legitur. *Petrus Presbyter Alexandria, & Notariorum Primicerius dixit. Præ manibus habemus Codices Sanctissimorum Patrum, & Episcoporum, DIVERSORUMQUE MARTYRUM: selegimus autem ex eis pauca Capitula, quæ si placet relegamus.*

Apud Labb
Concil. Gener.
vol. Tom. 3.
pag. 671.

At fuerint hæc, uti ea SS. Patrum, & Episcoporum, sic diversorum Martyrum dicta potius, & scripta, quam gesta: rogamus igitur, enixeque precamur Pseudo-Censores, ut unico saltem exemplo ostendant, à nascentis Ecclesiæ exordio, usque ad hæc nostra tempora moris fuisse, ut ad Dogmata, vel rejicienda, vel firmanda, testimonia Actorum Martyrum in innumeris penè Conciliis, ad insurgentes comprimendos errores, toto Orbe coactis, adhiberentur. Opinionem siquidem hanc bonam de ipsis concepimus, quod aded in universum Acta Martyrum rejecta semper non fuisse putent (aliqua saltem miseratione commoti iagentis, ac immensæ cladis, quam Censuris suis tali ratione afferrent), ut nonnulla eorum in Ecclesiis admissa arbitrentur. In his vero certum est aliqua saltem reperta, quibus suborientes, tam multiplices, tam multiformes hæreses compeſci poterant. Doceant, hoc posito, igitur, in quam Ecclesiarum Synodo (Generalia Concilia prætereamus), seu Provinciali, seu Diæcesana, ex certissime receptis ab Ecclesiis ipsis Martyrum Actis, ad impia

Dogmata evitanda, ad ea, quæ fidei essent constabillenda, aliqua eorum saltem fuisse semel prolata. Evoluant omnia, etiam, vel Arianorum, vel cæterorum Hæreticorum scripta Pseudo-Concilia, in iisque aliquid rei hujus vel vestigium deprehendant; deinde, ex eo quod factum non est, Acta Martyrum insimulent, quorum culpa factum non est, quod fieri debuisset. Verum, si non probant certissime id fieri moris fuisse, ideòque fieri debuisse; qua fronte, quo pacto, quave ratione culpæ possunt factum non esse, quod faciendum esse minime probant? Ex eo quod factum non est, non benè inferitur quod faciendum esset; sed è contrà, ex eo quod faciendum esset, culpæ debet quod minime factum sit.

Ad astruenda, quæ aserebant, inquirunt Pseudo-Censores, absque dubio Patres ea protulissent, si ipsis illa innotuissent; verum quis prohibet aliquid scire, eoque non uti? Quid responderent, si ex sacra Historia, hæc ipsis sic ratiocinando proponerem. David cum Philistæo congressus misit manum suam in peram, tulitque unum lapidem, & funda jecit, & circumducens percussit Philistæum in fronte; ergo in pera sua David, præter unum, lapidem non habebat, si enim plures habuisset, absque dubio plures etiam in Philistæum jecisset, quibus illum percuteret? Tamen, quinque limpidissimos lapides in eadem sua pera Davidem habuisse, diffiteri forsitan poterunt? Sic etiam, si diceretur, Abner aversa hasta Asaël in inguine transfodit: ergo Abner non habebat gladium. Rectene id inferri existimarent? Sed communiora proferamus, ut argumentationis imbecillitas magis in aperto sit. Causatur ex Pseudo-Censoribus unus, quod nescio quis, amarissimo animo, injuriosissimam alapam sinistra manu, dextræ maxillæ suæ infigerit; igitur, nec ipse sinistram maxillam, nec ille dexteram manum habuit? Quænam quæstio est ista hæc ratiocinandi ratio, ut ex eo, vel quod silentio prætermisum est, quod illud commemorare opus non esset; vel quod proferri, quidem poterat, sed ut proferretur necessarium existimatum non est, illud omninò non fuisse inferri valeat?

Innotuisse sanè Patribus, qui Concilii Nicæno, Constantinopolitano, Ephesino, Chalcedonensi, aliisque inter-

1. Reg. cap. 17.
v. 49.

2. 1. Reg. c. 2.
v. 23.

fuere Acta ea Martyrum credendum est; at ex eo quod illis innotuerint, necessario non sequitur illa in medium proferre debuisse, uti gladium exerere Militi alicui necessitas nulla incumbit, cum vel hasta, vel lancea hostem transfodere, ac occidere, sibi magis accomodum credit. Apud eos plurimi Actorum Martyrum authoritas valebat; verum eam contra Hostes non nudandam existimarunt; vel quod alia ratione cum eis agendum ducerent, vel quod hoc gladio eos interimendos non judicarent. Quibus addas, quod si Acta Martyrum in Conciliis, ad aliquod Dogma fidei astruendum à Catholicis Episcopis, penes quos servabantur, producta fuissent; idem, ut facerent, Pseudo-Episcopis Hæreticorum ansa præbebatur. Quænam vero, nisi falsata, ac impiis eorum blasphemis corrupta ipsi protulissent? Ut igitur ab hoc se temperarent, ac alterius quæstionis (utraque enim pars veriora, ac sinceriora Acta, quæ protulisset, ostendere contendisset), litem non commoverent, à proferendis Martyrum Actis abstinuisse, merito censendum est. Præterquamquod, ut diximus, ea, quæ ad fidei doctrinam comprobendam valere poterant, potissimum, ex Scripturis, & traditionibus sumenda erant, & licet hæc, ex Actis asseri possent, quod tamen illas historicè tantum prosequerentur, minus apta idcirco Acta ipsa, ad astruendum, quod intendebatur, judicata sunt. Quod mirum esse non debet, nec Actorum Martyrum contemptum aliquem indicat; nam formulæ, ut pluries diximus, admirabilis Eucharistiæ Sacramenti, quæ ex Divina & Apostolica traditione ad nos usque pervenit, Ecclesia semper adhæsit; nec tamen ex hoc, Evangelicam Historiam, in qua aliquantulum alia, à tradita eadem formula esse videtur, eandem Ecclesiam posthabuisse, nemo nisi impius, ac sacrilegus excogitare umquam potuit.

Quod vero in iisdem Conciliis priscorum Patrum scripta, ad fidei Dogmata comprobanda prolata sint; nihil officit, nam eorum certè non poterat rejici testimonium, vel reticeri, quos de iisdem Dogmatibus, ex professo, ut dicitur, egisse exploratum erat. Omnia enim eorundem Patrum scripta, ut apud omnes in aperto est, tria hæc potissimum prospexere; vel, ut objectas à Gentilibus, vel Ju-

dæis contra Christianam fidem calumnias confutarent ; vel ut exortas , vel insurgentes hæreses contra Fidem comprimerent ; vel demum , ut Ethnicos in Fide erudirent . Quid igitur mirum , quod in Fidei negotio testes ii adhiberentur , qui fidem , vel à maledictis laceffitam vindicaverant , vel ab hæresum labe intactam servaverant , vel sincerissime docuerant ? Martyrum Acta docere , magis exempla , quam doctrinam poterant , & ostendere potius , proprium illorum erat , uti , & nunc est , quæ facienda , in persecutione , quam quæ à Catholicis universim , semperque credenda essent .

Patres demum Antepicanos horum Actorum in scriptis suis minimè meminisse , mirum est , quod Pseudo-Censoribus mirum videatur , & magnum quiddam ab ipsis putetur , quod factum non sit , si Acta existissent , quod solo suo iudicio faciendum erat . Non ita profecto visum est , Antiquis Patribus illis , summa licet sapientia , ac eruditione conspicuis . Quia , ut disertè scribit Halloix : *Scriptores antiqui , præter Sacram Scripturam , vix ullas citabant nominatim Auctores , aut si id faciebant , id fere necessariò , & ad revincendos Hæreticos faciebant ; Quin & S. Athanasius 4. Saeculo Scriptor , Arianos reprehendit , quod præter auctoritatem Scripturarum , ad alios quoque Auctores præsidii causa converterentur . Nec ipse quidem usus fuisse reperitur , nisi forte si ipsi adversarii aliquos magna auctoritatis viros pro se usurpassent . Ita enim Origenem , & Dionysium Alexandrinum ab illis , ut suæ opinionis , vindicator eripuit , docuitque non Arianis illos favere , sed Catholicis . Sic ille , qui inferius respondens ad ea , quæ sibi objecta fuerant , vel potius , quæ sibi objecit , quod nempe , nec Athanasius , nec Nazianzenus , Areopagitæ in scriptis suis meminissent , ista addit . Respondeo primo , quia nec Sancti Ignatii Martyris , nec Clementis Romani , nec Polycarpi , nec Athanasiorum , nec Irenæi , nec Theophili , nec Iustini , nec Gregorii Thaumaturgi , quorum tamen extabant , & nunc extant opera , mentionem fecerunt ; hoc est , quia non fuit illis in more alios Auctores citare nominatim ; neque in scribendo eam pati moram , quæ ad citandas aliorum auctoritates , necessario adhibenda foret : Sed si quid , è veteribus fortè legerant Scriptoribus , id sibi acquisitum suis esse*

*In Apolog. pro
Oper. S. Dionysii
in Bibl.
PP. tom. 2.
pag. 119.*

Ut sup. pag. 121.

efferebant verbis . Nisi fortè , ut ante dixi , ipsi adversarii essent refutandi : tum enim , & nominandi erant , & tam ipsorum , quam aliorum , quos ipsi pro se allegabant , verba nonnumquam producenda : ut Origenis , Dionysii Alexandrini , Theognosti ab Athanasio . Secum enim facere Origenem , & Dionysium Alexandrinum contendebant Ariani , & nullum Antiquorum iis vocabulis (ut Censores nostri denuò astruere modo connituntur) usum esse , quibus Concilii Niceni Patres uterentur . Quare Athanasius pro se Theognostum produxit , & Origenem , ac Dionysium Alexandrinum , quos adversarii producerant , in suas partes traxit .

Respondeo secundo , ut ante insinuavi , improbasse Athanasium in Arianis , quod præter Sacras Scripturas , & pias rationes humanas , alia firmamenta è veteribus scriptis conquirerent . Ita enim scribit in Epistola de sententia Dionysii contra Arianos sub initium . [Si igitur confidunt (inquit) iis , quæ sentiunt , & dicunt , nudam Heresim proferant ; ac si quid pro ejus defensione , vel è Scripturis , vel ex aliqua ratione humana , quæ quidem pia sit , demonstrare possunt , demonstrent : sin ejusmodi habent nihil , taceant . Ita ille , atque hæcenus eruditus Areopagitæ Apologista .

Quæ cum ita sint , petimus à disertis Censoribus nostris , quænam necessitas incumbere Patribus potuit , ut Acta Martyrum memorarent , si à commemorandis priscis Patribus , atque Scriptoribus , quorum tamen doctrinam in Conciliis proferebant , se abstinuissent evidentissimè comprobatur ? Nonne æquius censendum videtur , ex more , quem custodiebant , quod nempe , si quid è veteribus fortè legerant Scriptoribus , id sibi acquisitum suis efferrent verbis , existimasse , plura , ex vocabulis , quæ in medium attulere , ex Martyrum Actis , eorum supressio nomine , accepisse ? Potius igitur , quam Gordianum nodum exhibitum , nullius ponderis est contra nos propositum argumentum ; quod cum nullo prope negotio solutum sit ; dolemus profecto Pseudo-Censores scrutando talia defecisse .

* *
*

CA-

CAPUT XII.

Frustra recens conscripta Acta Martyrum existimantur, quod in iis quadam juxta Vulgatam editionem dicta offendantur. De eadem Vulgata editione agitur.

MARTYRUM Actis antiquitatis honorem, ex eo etiam ritè, ac meritò se detrahere Pseudo-Censores putant, quod in iis passim Sacræ Scripturæ testimonia, imò verba, è Vulgatæ editionis Psalmis, & Evangeliiis desumpta producantur, uti exempli gratia *culturam* pro cultu: quod quidem Actorum præfatorum Scriptores, non nisi post Gregorium Magnum ipsa exarasse, juxta eos, comprobant. At nos in primis nimis posteriorum seculorum Auctoribus, (qui nenas hujusmodi sectari solent) Pseudo-Censores nostros innixos hæc protulisse arbitramur; vel certè priorum temporum Scriptores ignorasse, fatendum est. Si enim non ignorassent, verbum illud *cultura pro cultu* in Tertulliano præcipuè offendsent, qui in Libro de Trinitate ista profert: *Qui similiter adhuc magis in notitiam nostri volens pervenire, ad CULTURAM sui nostras excitans animos agebat: Ego sum Dominus, qui feci lucem &c.*

Tertull. lib. de Trinit. pag. 233. a. H.

Sed quia ista legentes, statim fortè irridere præsumunt, quod immeritò librum de Trinitate Tertulliano attributum velimus; ideo aliud ex eodem, Tertulliano proponamus, ex quo tutius, apertiusque Censuræ imbecillitas deprehendatur. In Apologetico, igitur adversus Gentes Cap. decimo sexto, cui hic titulus præponitur. *De capite asinino, & cæteris insignibus, quorum CULTURA Christianis objiciebatur. Hæc habet. At enim idem Cornelius Tacitus, sanè ille mendaciorum loquacissimus, in eadem Historia refert Gn. Pompejum cum Hierusalem cepisset, proptereaque Templum adisset, speculari Judaicæ Religionis arcanis, nullum illic reperisse simulacrum. Et utique si id colebatur, quod aliqua effigie representabatur, nusquam magis, quam in Sacratio suo exhiberetur, eo magis, quia nec verebatur extraneos ar-*

Tertull. Apolog. advers. Gent. cap. 16. p. 218.

arbitros, quamquam vana CULTURA solis enim &c.

Est insuper ejusdem rei, in eodem Apologetico aliud Tertulliani testimonium: *Ex ea enim, (ipsius sunt verba) quod aliud à se colis dicis, quam colis, negat quod colis; & CULTURAM, & honorem in alteram transfert &c.*

*Ibid. ut sup.
cap. 22. pag.
220.*

Sic Tertullianus, ex cujus auctoritate profecto evanescit, quod ex falsa suppositione Censores eduxerant; posterioribus, nempe seculis vocem hanc (quam fortè corruptam ex cultu culturam existimarunt) dumtaxat fuisse inventam, ideoque Acta SS. MM., in quibus reperiretur, minimè prisca seculis fuisse exarata; nam illum, qui ea usus est Tertullianum, tertio seculo floruisse, nemo non novit.

Sequenti vero videlicet quarto, verbum ipsum etiam Lactantius usurpavit, cum de Dæmonibus agens, scripsit. *Illi autem, qui desciverunt à Dei ministerio, qui sunt veritatis inimici, & prævaricatores Dei, nomen sibi, & cultum Deorum vindicare conantur, non quod ullum honorem desiderent (quis enim honor perditis est), nec ut Deo noceant, cui noceri non potest, sed ut hominibus, quos nituntur à CULTURA, & notitia veræ Majestatis avertere, ne immortalitatem adipisci possint.*

*Lact. Divin. Inst.
lib. 2. cap.
16. p. 549.*

Si vero à cultura proculdubio cultores etiam dicti sunt, eodem loco idem Lactantius, ubi de ipsis Dæmonibus agit. *Iustos autem (scribit), idest CULTORES Dei metuunt.* Et lib. 4. earundem Inst. cap. 4. *Neque CULTORES Deorum (inquit) poenam sempiternæ mortis effugient &c.* Quo verbo etiam alibi utitur. Ut prætereamus post Lactantium, Augustinum, & alios, qui passim hoc verbo usi sunt. Ista igitur, & alia plura Pseudo-Censores ignorantes, ad asserendam scriptionis Actorum SS. MM. antiquitatem, quam ex vocibus his, ac verbis planè laceffitam existimarunt; nil aliud nobis suppeteret, (ut inuimus) crediderunt, quam, ut Vulgatæ editionis auctoritatem in medium produceremus, qua eorum argumentum retunderetur. At minime animadverterunt, probare illos prius debuisse, in sola Vulgata editione verbum id usurpatum, (idem de aliis, quæ passim eodem argumento afferre solent, dicendum est); ideoque non aliundè, quam ab illa Actorum Martyrum scri-

scriptores, ipsum desumere potuisse. Alioquin, ex tam latè patente suppositione, eadem, quæ pro verbo *cultura* procedit, eadem ipsa pro verbis *panis*, *vinum*, exempli gratia, procedere ratio deberet; quod, videlicet, ex eo, quod in Vulgata editione reperiantur, ab illa tantum existimentur accepta.

Dicent; verba *panis*, *vinum*, alibi memorata offendi, ideòque non esse, cur, à Sacra Scriptura Vulgatæ editionis tantum mutuata credantur. At idem dicant, de verbo *cultura* necesse est, nisi ostendant nullibi, nisi in Vulgata, illud usurpatum reperiri. Quapropter, prius probare, quod supponunt, deindè ex probato supposito educere discant; ne ex non supposito eliciendo, sibi ipsis illudant.

Et quidem illusio, nec minima est illa, ut innuimus, qua ex usurpatis è sacra Vulgatæ editionis pagina, vel verbis, vel Psalmorum, & Evangeliorum testimoniis, inferunt Acta Sanctorum, non nisi post Magnum Gregorium fuisse exarata: quòd eo dumtaxat tempore Vulgata editio, vel prodierit, vel in communem Ecclesiæ usum comparata fuerit. Qui enim hæc protulerunt, eos, quid Vulgata sit ignorasse perspicuum est; ideòque ut suum deprehendant lapsum, de Vulgata ipsa Scriptorum opiniones hic recensere, quæ potuimus brevitate, non piguit.

*Bellar. de Verb.
Dei lib. 2. c. 9.
pag. 83.*

Vulgatam non esse Hieronymi arbitrantur, vel certè suspicantur (ait Bellarminus) Sanctes Pagninus, præfatione suæ interpretationis Bibliorum ad Clementem VII. Pontif. Max., ac Paulus Foro-Sempronii Episcopus lib. 2. cap. 1. de die Pass. Domini.

Contrà, illius esse contendunt Augustinus Eugubinus, & Joannes Picus Mirandulanus, in lib. de hac re editis, aliique nonnulli.

At mixtam esse, ex vetere, & nova, docent Joann. Driedo lib. 2. cap. 1. de Ecclesiæ Dogmat., & Scripturis. Sixtus Senen. lib. 8. Bibliothecæ Sanctæ: & postremò, aliis prætermisissis, Baronius noster disertissimè his verbis rem hanc prosequitur.

*Baron. An. Chr.
231. tom. 2.
pag. 368.*

Sic igitur Occidentalis Ecclesia novam accepit editionem à S. Hieronymo elaboratam, ut tamen vetorem illam Septuaginta etiam retineret; factumque est, ut duo essent Vulgatæ edi-

editiones, altera *Vetus dicta*, Nova altera nuncupata; hisce enim nominibus *Eucherius* utramque distinguit, sicut, & *Sanctus Gregorius*, qui *præfatione in libros Moralium*, ait: *Novam translationem differo; sed (ut probationis causa exigit) nunc Novam, nunc Veterem per testimonia assumo; quia Sedes Apostolica, cui, auctore Deo, præsideo, utraque utitur. Et in ipsis commentariis, quam per Novam intellexerit, declarat. Nam cum ait, eam ex Hebraico, atque Arabico esse translata, planè Hieronymi esse significat, qui in Præfatione ad Job Librum affixa, se tum ex Hebraica veritate, tum etiam Arabica interpretatione, Librum illum latinitate donasse testatur: ut dubium non sit per Veterem, Gregorium intelligere versionem Septuaginta: per Novam autem, quam ex Hebrao Hieronymus transtulit, easdemque ab invicem fuisse distinctas, utramlibet per se notam, & utramque ab Ecclesia Romana susceptam.*

D. Greg. Præf.
Mor. cap. 5.

Accidit autem post Gregorii tempora (en id, ex quo gravissimam Censores nostri æquivocationem sunt passi), quoto vero potissimum anno, quoque Auctore, incertum remanet, ut quoniam duæ simul Vulgatæ editiones Vetus, & Nova diffensionum, ac contentionum interdum ministrarent occasionem; in diversa studia fideles ea in re distraherentur ab invicem, dum alii Veterem, Novam alii sequerentur; & quisque pro sua (ut assolet) contentiosè disereret, turbas ciceret, alteramque defendens, in alteram minùs dignè inveberetur: essetque ea diversitas, veluti seminarium jurgiorum, ac turpem redderet Ecclesiæ faciem, dum in divinis laudibus, cæterisque sacris officiis, alii aliam psallendo, legendo, concionando, tractando consecrarentur: ut hac ex parte penè divisâ, schismate Ecclesia videretur. Sed Divino afflante Numine

Nota:

provisum est, optimèque consultum, ut ad Ecclesiasticum munem usum, una ex duabus, quæ usui omnibus essent Ecclesiis, constaretur, quæ communis omnibus, atque Vulgata, uno nomine à cunctis diceretur, explosa illa Veteris, & Novæ nomenclatura. Resque evenit ex sententia, ut eam unam Occidentali Ecclesiæ usu recipiente, omnis mox ea de re cessaverit controversia &c. Et paulò post.

Porrò, qui hujus Veteris, & Novæ factæ permixtionis, minùs attentæ considerarunt originem, aut causam sunt per-

K k

scru-

scrutati, neque aded exactè ipsum Divina Scriptura consentaneum examinarunt; has de eadem, quam habemus præ manibus, controversias excitarunt, dum alii hanc esse illam Veterem Septuaginta, sed emendatam, alii verò Novam esse Hieronymi tradiderunt. Sed illi, mea sententia scopum veritatis attingisse noscuntur, qui ex utraque mixtam esse dixerunt. Quod verò tum ex Veteri, tum ex Nova, Vulgatam hanc nostram constatam esse dixerimus, & in ea Septuaginta illa exscripta esse videatur, quam (ut dictum est) idem S. Hieronymus emendavit, non autem Veterrima illa, quam mendis scataisse idem affirmat; cumque in eadem Nova illa simul insuper contexta sit, quam idem Auctor ex Hebræo sermone convertit: hac ratione, quod in utraque Sancta Ecclesia laboribus Hieronymi usa sit, eam esse Hieronymi jure dici posse videtur, quam ejusdem Ecclesiæ auctoritate post aliquot secula, ex utraque ejus editione appareat fuisse collectam.

Nota.

Sic Baronius, cujus sententiæ Bellarminus adhærens ostendit, Vetus Testamentum à Hieronymo ex Hebræo in Latinum fuisse conversum, nostramque idcirco editionem ipsius esse, quod in Latinum ex Hebræo constat esse translata. Ex hac tamen ejusdem translatione, Sapientiæ, Ecclesiastici, & Machabæorum excipit libros, quorum translationem disertissimè alteri, quàm Hieronymo, & multò ante Hieronymum factam fuisse ab Auctore, cujus nomen ignoratur, eique tribuendam demonstrat.

Insuper Psalterium nostrum Vulgatæ editionis, illud non esse, quod Hieronymus ex Hebræo transtulit: neque aliud, quod ex Græca versione Septuaginta Interpretum convertit; sed illud quod ipse emendavit ab antiquo Interprete, ex editione Sancti Martyris Luciani translatum perspicuè docet. Passus autem dicitur Lucianus, sub anno Christi 311., vel 312.

Ostendit demùm Testamentum Novum latine redditum, quod in nostra Vulgata editione habemus, ipsum esse, quod in antiquissima versione habebamus; licet in eo nonnulla, jussu Damasi Pontificis Hieronymus emendaverit. Et hac profectò ratione commixtio illa Novæ, & Veteris Vulgatæ, quam Baronius, ipse Bellarminus, ac alii astruunt, perspicuè dignoscitur.

Ex

Ex hac autem commixtione luce clarius apparet, quàm graviter lapsi sint nostri Censores, dum ex eo, quod solum post Gregorii tempora, quàm habemus, Vulgata prodierit, cuncta ejusdem vocabula, vel tunc tantum temporis prodita, vel saltem cuncta uni Hieronymo adjudicanda existimarunt: cum tamen, nec omnia Hieronymo (nisi èo sensu, quo Baronius dicit) sint tribuenda, & longè ante Hieronymum illius pars potior ea ipsa fuerit, quæ modò extat.

Et quidem si Adversarii, ex ea dumtaxat, quæ certò creditur Hieronymi esse Vulgatæ parte, Actis SS. MM. detrahendi argumentum sumere solerent, tolerabiliùs fortè videretur: at ex libris Psalmodum, & Evangeliiis, quos Hieronymus minimè transtulit, sed in antiquissima illorum editione reliquit, Acta eadem recens conscripta educere velle; quid aliud, quam evidentissimæ imperitiæ argumentum est? Neque enim illos movere debet, quod libri ipsi ab eodem Hieronymo emendati dicantur, nam Inclyti ejusdem Patris laborem, ac studium in eo non fuisse, quod verba corrigeret, ex ejusdemet verbis laudatus Baronius comprobat, & ostendit, ubi de Novi Testamenti editione his verbis agit.

Sunt multi, qui contendant eandem Novi Testamenti editionem non esse Hieronymi; sed plures, qui defendant, quorum & longè potiora sunt jura. At licet non sit nostri instituti, vel otii hic cuncta disquirere, & qui hæc diffusius tractata cupiunt, habeant, quos consulant; tamen non omittimus illud unum, quod partem illam pertingit Annalium, quæ ad antiquiores Ecclesiæ mores pertinet, disseremusque adversus illos, qui ex eo dixerunt Vulgatam Novi Testamenti editionem non esse S. Hieronymi, quod rudia, & impolita quadam inveniantur in ea, quæ à Hieronymi stylo penitè discrepent. Ibid. ut sup.

” Atque hæc ipsa ratione ejus esse probatur: nam quod non
 ” novam ipse cuderet, sed veterem emendaret editionem illa ipsa
 ” verba rudia, simplicemque dicendi stylum, ne in minimo qui-
 ” dem mutare voluit, ubi verba, atque sententiæ à Græco, ut
 ” ait, non dissentirent, ob eamque causam, nec vitia quadam
 ” impolita orationis abradere, aut verborum ornatum inducere
 ” curavit. Quod quidem satis sit ejusdem Hieronymi exemplo,

D. Hieronymus in
Ezechiel. cap.
40.

ac testificatione evidentius in aliis demonstrare. Ipse enim in Ezechielem Prophetam scribens, hæc habet. [Illud sapius monuisse sufficiat, nosse me cubitum, & cubita neutrali appellari genere; sed pro simplicitate, & facilitate intelligentia, vulgique consuetudine, ponere, & genere masculino. Non enim cura nobis est vitare sermonum vitia, sed Scriptura Sancta obscuritatem, quibuscumque verbis disserere.] Et inferiorius. [Quod cubitos genere masculino, & non neutrali cubita dicitur, juxta regulam Grammaticorum (ut in superioribus docuimus), non ignorantia id facere, sed consuetudine propter simplices quosque, & indoctos, quorum in Congregatione Ecclesie major est numerus.] Sic igitur videas Hieronymi in emendanda primum antiquitus tradita Divina Scriptura consilium: ut non modo in ea barbarismos, quos invenisset, non corrigeret, sed imitaretur de industria: sicque, secundum quod invenisset translata à Latino interprete editionem Septuaginta, non tantum, si error non esset in sententia, non emendavit, sed & in ea (audiant Censores) quam ipse ex Hebraico fonte suis ipsis verbis in Latinum traduxit, cum liberum esset in proprietate sermonis, & candore orationis curam impendere, contempsit omnino, veneranda tantum tribuens auctoritati, ut vocum, & sententiarum elegantiam posthabuerit.

Idem in Ezech.
cap. 47.

Nota:

addimus ad hæc, & aliud de eadem re ejusdem Auctoris exemplum. Cum enim in Latina Septuaginta versione, limen portæ theæ, positum invenisset, Sc. noluit vocem Græcè positam in Latino textu mutare, & Latine dicere, limen portæ; sed ut positum erat, theæ, reliquit, sic legens. [Et thea tertium aequalem calamo in latitudinem trium.] Sed quid tractando subdit? [Diligentem (inquit) & studiosum Lectorem admonendum puto, si tamen scientia scripturarum, & non vanis

Idem in Ezech.
cap. 40.

Nota.

Oratorum declamationibus ducitur, ut sciat omnia propè verba Hebraica, & nomina, quæ in Græca, & Latina translatione sunt posita, nimia vetustate corrupta, Scriptorumque vitio depravata, & dum de inemendatis scribuntur inemendatiora, de verbis Hebraicis, facta esse Sarmatica, immò nullius gentis, cum, & Hebræa esse deserint, & aliena esse non ceperint.] Quæ quidem idem Auctor (magna profecto continentia) quod earum vocum sensum, sciret in Ecclesia notum, noluit emendare.

Hæc

Hæc itaque ex S. Hieronymo sunt allata, ad declarandum ejus, in emendando, vel interpretando Scripturam, mentis propositum, & institutum. &c. Hucusque Baronius.

Proferant igitur quæcumque volunt, de rebus hujusmodi Censores nostri argumenta frigido illo suo *ante*, & *post*; sit, quod Vulgata editio, nisi *post* Gregorium prodierit, sit etiam, (quod non est) quod illa tota uni Hieronymo adscribatur. Quid inde? Igitur Hieronymus, vel in Sacrarum Scripturarum translatione, vel in ipsarum emendatione sententiarum, verborum, & hujus generis alia omnia, ab eo quod antea in vetustissima Vulgatæ Veteris editione essent, inverfit? Igitur Acta Martyrum, in quibus Vulgatæ, quam habemus sententiæ proferuntur, ab eo dumtaxat tempore, quo suam Hieronymus versionem elaboravit, vel quo ex Veteri, & Nova versione facta est commixtio, fuere conscripta? Verum, si longè post Hieronymum Magnus Gregorius, ut audistis, utraque usus est; cur ante illum Gestorum Martyrum Conscriptoribus inhibitum esse potuit, ut ea uterentur, quæ ipsis magis arrisit?

CAPUT XIII.

Ex stylo, scribendique ratione desumptum argumentum, ut Scriptoribus scripta detrabantur, fallax ostenditur. Verisimilitudinis, quam Censores portant rationem, inanem esse. Difficile nimis, ex dicendi modo inter se Scriptores internoscere.

EX his, quæ Baronius ad asserenda Hieronymo Vulgatæ editionis volumina affert, ut audistis; quam persæpè vanum sit, ac inane Censorum nostrorum judicium, educitur, quo (præter ea, quæ supra diximus), pro arbitrio, scripta Scriptoribus, ac Auctoribus, vel auferunt, vel adjudicant, ubi illa eorum stylo minus congruere arbitrantur.

Hinc censoria auctoritate absolutissimè illos, tamquam
ex

ex cathedra pronunciare haud semel audivimus : *Opus id non est Augustini ; illud falsò Hilario tribuitur ; aliud perperàm Chrysofomi nomen praefert . Qui , si sciscitati fuerint , quomodo id sciant , statim respondere audies ; ex stylo ; nàm (inquirunt) hic non est Augustini stylus , illud Hilarii stylum non sapit , alius ab hoc Chrysofomo stylus est . Et certè quis neget alium Augustino , alium Chrysofomo , Hilario alium stylum fuisse ? Sed tamen , quis uuquam certiores Censores nostros reddere poterit , Scriptores uno semper stylo scripssisse ; adèut , quidquid eo stylo exaratum non sit , ab ipsis certissimè scriptum non sit ?*

Hac vanissima , fallacissimaque dijudicandi ratione , plures è sacris Libris , propriis , certisque suis Auctoribus impiissimi Hæretici detraxere , vel Apostolorum non esse pronunciarunt , ut suo loco suprâ vidimus ; adèut hoc unum sat esse videri possit , ut ejusdem generis argumenta valdè suspecta semper habenda sint . Si enim à nobis semper firmissimè credendum est , Epistolas , verbi gratia , quæ Pauli nomen gerunt , ejusdem Pauli esse , licet non eundem unum semper Pauli stylum sapiant , ac habeant , uti est illa ad Hebræos , quæ stylo longè differt ab aliis ; & nihilominus eam uni Paulo ; qui alias conscripsit fidelissimè asserimus ; cui credere nefas erit , plura alia etiam scripta certis Auctoribus ab immemorabili tempore attributa , licet stylo ab aliis eorundem Auctorum scriptis differant , illorum nihilominus esse , ac post tam longam annorum seriem , iisdem , hac unica fallacissima ratione , immeritò detrabi ?

Certum est aliam orationis structuram ; ac dicendi modum , ab hominibus , vel temporum , vel hominum , vel locorum , in quibus loqui oporteret , diversitatem exegisse . Et aliam insuper Orationem , aliam Historiam , aliam Epistolam postulasse , itaut hominum quemlibet non unum , sed plures dicendi , vel scribendi stylos habuisse , fateri necesse sit . Ut igitur perfectissimè internosci posset ex stylo cujusque scripti Auctor , omnem , qua usus est dicendi rationem , pro locorum , hominum , temporumque differentia , exploratam habere oporteret ; nàm uno semper stylo usum esse , vel cum in Senatu peroraret , exempli gra-

gratia, Ciceronem, vel cum ruri, inter agrestes, ac rusticos homines, de aliqua re ad agrorum culturam pertinente, vel scriberet, vel ageret, aut cum inter domesticos, ac familiares versaretur, vel opinari ineptissimum esset; cum humanæ vitæ, atque conversationis necessitas minimè uno semper stylo loqui posse, ut diximus, permittat, ejusque rei documenta experientia ipsa exhibeat.

Plures ergò quotquot sunt, & quotquot fuere homines, loquendi, ac scribendi modos habere coacti sunt, pro temporum, locorum, ac personarum diversitate; unde qui ex stylo decernere volunt, non unum dumtaxat dicendi modum, quem illi adhibuerint, sed omnes, quos adhibuerunt compertos habere necesse est. Nam sicut vos aliter, vel loquimini, vel scribitis, cum ad Principem, scribitis, ad quem nisi elaborata oratione, ac expolitis verbis scribitis, & aliter ad famulum vestrum, ad quem nisi communibus, ac è medio petitis verbis, scribitis; & sicut de vobis, ut ritè pronuciare possimus, (cum eadem semper ratione, haud loquamini, nec scribatis), plures vestros dicendi modos cognoscere debemus; ita pariter, & vos, cum de alienis scriptis judicatis, non unam tantum scriptionis rationem, quam Scriptor ille, in hoc vel illo scripto tenuit cognitam habere debetis; sed omnem prorsus, ac multiplicem (quem pro temporum, locorum, ac personarum qualitate styllum habuit), compertum habeatis oportet.

Si igitur vos, qui tanto animo, ac securitate pronuciare præsumitis, hoc illius non est, scriptum illud illi perperam adscriptum est, quotiescumque hoc dicitis, omnia ea perspecta habetis, quæ ut rectè dicatis, recteque judicetis necessaria sunt; Censuram vestram ex stylo, & nos securi amplectemur: verùm si ex eo, quod noscere, unius Scriptoris in aliquo scripto styllum vobis videmini, omnes, ac coeteros illius stylos (plures enim unumquemque habuisse, tam vecordes non eritis, ut adhuc diffiteri præsumatis), vos agnovisse existimatis; in vestram, profectò sententiam, quam procul à veritate aberrare, compertum est, nequaquam descendere possumus, aut debemus.

Ut

Ut autem, licet verissimum, negare tamen pro more non audeatis, quod diximus, de pluribus stylis unicuique hominum necessarium tribuendis; testimonium saltem ex veteribus unum, vel alterum in medium proferre, permittetis, illudque sit in primis Plinii Secundi, qui quod Magistratu perfunderetur, plura pro munere scribere, sed valde à sua scribendi peritia aliena, officio tamen, quod exercebat accomodata, se compulsus, in Epistola ad C. Plinium Minutium Fundanum suum, his verbis conqueritur. *Socer Pompejus Julianus cum cetera vita, tum vel hoc uno magnus, & clarus, quod ipse provinciæ princeps hunc inter altissimas conditiones generum, non honoribus principem, sed sapientia elegit. Quamquam quid ego plura de Viro, quo mihi frui non licet? An ut magis angar? quod non licet. Nam*

» *distingor officio, ut maximo, sic molestissimo. Sedeo pro tri-*
 » *huali, subnoto libellos, conficio tabulas: scribo plurimas, sed*
 » *illiteratissimas litteras. Soleo nonnumquam (nam idipsum,*
quandoque contigit) de his occupationibus apud Euphratem,
queri &c.

*C. Plin. jun.
Epist. lib. 1.
Ep. 10. p. 10.*

Sic Plinius, pro muneris, quod exercebat qualitate scriptionis stylum immutare compulsus. Quod pariter se facere coactum profitetur Magnus ille Aurelius Cassiodorus, qui cur Epistolarum Libris, quos edebat *Variarum* nomen imponeret, rationem proferens, Veterum de hoc, de quo disserimus sensum, sic prodit, & docet. *Quod in Quaestura, Magisterii, ac Praefectura dignitatibus à me dictatum, in diversis publicis actibus potui reperire bisena librorum ordinatione composui: ut quamquam diversitate causarum legentis intentio concitetur, efficacius tamen rapiatur animus, cum tendit ad terminum. Illud autem sustinere alios passus non sumus, quod nos frequenter incurrimus in honoribus dandis impolitas, & precipites dictiones: quæ sic poscuntur ad subitum, ut vix, vel scribi posse videantur. Cunctarum itaque dignitarum sexto, & septimo libro formulas comprehendi: ut & mihi quamvis sero prospicerem, & sequentibus in angusto tempore subvenirem. Ita, quæ dixi de præteritis convenient, & futuris: quia non de personis, sed de ipsis locis, quæ apta videbantur explicari. Librorum verò titulum, operis indicem, causarum præconem, totius orationis brevissimam vocem, VARIA-*

*Cassiod. in Praef.
in duodecim Lib.
Variar. Oper.
Tom. 1. pag. 2.*

RUM

RUM nomine pranotavi, quia necesse nobis fuit, stylum non
 unum sumere, qui personas varias suscepimus admonere. Ali-
 ter enim multa lectione satiatis, aliter mediocri gustatione su-
 spensis, aliter à litterarum sapore jejunis, persuasionis causa
 loquendum est: ut interdum genus sit peritiæ, vitare, quod
 doctis placeat. Perinde Majorum pulchra definitio est, sic apte
 dicere, ut audientibus possit concepta vota suadere. Neque
 enim tria genera dicendi incassum prudens definivit antiquitas.
 Humile, quod communione ipsa serpere videatur. Medium,
 quod nec magnitudine tumescit, nec parvitate tenuatur: sed
 inter utrumque positum, proptia venustate ditatum, suis fini-
 bus continetur. Tertium genus, quod ad summum apicem di-
 sputationis exquisitis sensibus elevatur, videlicet, UT VARIE-
 TAS PERSONARUM congruum sortiatur eloquium; & licet ab
 uno pectore profueret, diversis tamen alveis emanaret: quan-
 do nullus eloquentis obtinet nomen, nisi, qui trina ista vir-
 tute succintus, causis emergentibus viriliter est paratus. Huc
 accedit, quod modo Regibus, modo Potestatibus aulicis, modo
 loqui videamur humillimis: quibus alia contigit sub festinatione
 profundere, alia verò licuit cogitata proferre; ut meritò VA-
 RIARUM dicatur, quod tanta diversitate conficitur.

Nota:

Terentius demum, aliis ex causis factam hanc styli
 immutationem in Prologo Andriæ confirmat, dicens.

*Menander fecit Andriam, & Perinthiam,
 Qui utramvis rectè norit, ambas noverit:
 Non ità dissimili sunt argumento, sed tamen
 Dissimili oratione sunt facta, ac stylo,
 Quæ convenere in Andriam ex Perinthia,
 Fatetur transtulisse, atque usum pro suis.*

Terentii. Prolog. in
Andr.

Sic ille.

Quapropter ritè Aloysius Lippomanus in Præfat. ad
 2. tom. Vit. Sanct. ; ubi de Paulino agit Vitæ S. Ambrosii
 Scriptore. At dices (inquit), qui vitam describit Ambrosii
 Presbyter appellatur ab aliquibus, non Episcopus, & stylo ru-
 diusculo, & ineleganti satis rem illam agit, adedut Nolani
 Episcopi, nullo pacto esse videatur. Quasi verò fieri non po-
 tuerit, ut Paulinus Nolanus Episcopus multo tempore Presby-
 ter, Monachusque permanserit, & sub hujusmodi titulo vitam
 illam describere non valuerit, vel Episcopi ipsi non se interdum,

Lippom. 2. tom.
Vit. SS.

„ & Sacerdotes, & Presbyteros appellaverint &c. Sed nec styli
 „ demissio ab hac nos opinione remouet: hoc enim, & Augustino,
 „ & Hieronymo, & aliis Sanctis Patribus, quinimò, & ipsi
 „ Paulo Apostolo contigisse quandoque reperimus, ut pro locorum,
 „ temporum, & personarum qualitate, modo altius, modo de-
 „ missius loquantur. Quamuis, & alius stylus deceat sacris ini-
 „ tiatum virum, alius prophanis adhuc deditum, ne ipsemet Au-
 „ sonius eidem dicit, inquiens:

Quid abdicatas in meam curam, Pater,

Redire Musas precipis?

Negant Camanis, nec parent Apollini,

Dicata Christo pectora. Sic ille.

Albertus quoque Pius aduersus Erasmus scribens.

Pariter, & imbecillis (inquit) est ille alius locus tibi pluri-
 „ mum familiaris, videlicet, phrasis est diuersa; igitur opus non
 „ est eiusdem authoris. Constat enim eloquentissimos viros pari-
 „ ter, & sapientes pro rei argumento varia phrasi, usos fuisse,
 „ verbaque accommodasse rebus, non res verbis. Praterèa nec
 „ eosdem eadem de re agentes, dictione semper sibi constitisse: sed
 „ nonnumquam depresso, aut extulisse, fuisseque oblectatos modo
 „ humili, modo elata, nunc arcto, & emuncta, nunc diffusa, &
 „ profluenti oratione. Multa possent hujus rei testimonia recen-
 „ sèri grauium Scriptorum, sed illa omnia tibi sunt exploratif-
 „ sima. Quamobrem ea omitto. Sed & si nulla essent, tibi satis
 „ esse deberet unus Cicero, aut Aristoteles: hic sapientiæ, ille
 „ eloquentiæ, vel citrà controversiam princeps. Et si uterque,
 „ & sapientissimus simul, & eloquentissimus. Non enim eadem
 „ utitur dictione Aristoteles in his, quæ scripsit ad sapientiam,
 „ & scientiam pertinentia, & in contrariis sermonibus. Quinimò
 „ diuersa in his, quæ de natura, aut ultra naturam tractauit,
 „ ab his, quæ de moribus humanis, rebusque publicis, & legibus
 „ differuit. Nec idem Cicero in Epistolis, quas familiares vo-
 „ cant, & ad Pomponium Atticum, vel in orationibus, & in
 „ his, quæ ad philosophiam, & artem dicendi spectant. Quod &
 „ de operibus Horatianis multò manifestius est. Quapropter ex
 „ sola phrasis varitate, solido argumento non conuincitur aliquod
 „ opus non esse authoris, cui inscriptum est. Perindè elumhi
 „ argumento probas Apocalypsim non esse Joannis Apostoli, &
 „ Evangelista, ob styli diuersitatem. Postebant revelationes dæ-

ver-

versa ditione ab Evangelio scribi, nomenque ipsius sapius clari, cum ipsi soli illa revelarentur. Ejusque nominis repetitio ampliore fidem, & auctoritatem revelationi præstat; efficitque ut diligentius excipiat, magisque hominum animis hæreat. Evangelium autem scribenti, cum res gestas Servatoris narraret, historiamque teneret, non conveniebat auctoris nomen inculcare.

Apud Syr. 10. r.
Pag. 643.

Percelebre illud est etiam, quod de Joanne Chryso-
stomo refertur, qui, nempe cum sermonem altius extolleret,
quam id vulgi ingenium caperet; mulier quædam, quæ
prompto quidem, & alacri animo concurrerat, eorum
autem, quæ dicebantur, altitudinem assequi non poterat,
ejus orationem aperte reprehendere, eamque infrugiferam
nuncupare non dubitavit, propterea quod minimè adepta
esset, id quod desiderasset. Quod cum ad Joannis aures dela-
tum fuisset, statim deinceps murato stylo, intellectu facilio-
rem, ac apertiore componendi rationem iniisse, narratur.

Cum igitur ex innumeris penè causis styli mutatio
evoriri potuerit, imò passim ad id, qui scribunt, vel lo-
quuntur, inviti etiam compellantur: undenam quæso cer-
tis Scriptoribus, ex una hac re, tam dubia, ac incerta,
ritè scripta detrahi possunt? Dicetis, quod licet stylum
Scriptores aliquando mutaverint; tamen in cunctis, quæ scrip-
sere, nescio quid semper reliquum prioris, ac usitatoris eo-
rum styli fuisse, quo eorum scripta, quamvis alio stylo exa-
rata, semper ab aliis aliorum Scriptorum internoscerentur.

Sed quod pro magno vestræ assertionis argumento af-
fertis, fallacissimum esse, illud ostendat, quod supra ex
Augustino protulimus, cogimurque id repetere, ut vobis
respondeamus. In quo enim est stylus? Nonne in structura
orationis, ac dicendi modo? Et tamen falsò adscriptos
Hippocrati libros quosdam Augustinus idem affirmat,
quamvis verorum Hippocratis librorum quandam rerum,
atque verborum similitudinem præferrent. Ut igitur ad
asserendum Scriptori alicui scriptum verborum similitudo
non sufficit; sic falsum est, ut nescio quid suum, quod in
cunctis unius Auctoris Operibus semper necessariò depre-
hensuros existimatis, vel certissimum argumentum sit,
ut alicui semper Opus aliquod adjudicetis, vel ut ubi non

1. Corint. 13.
v. 11.

De Doct. Christi.
lib. 4. cap. 6.
p. 24.

inveneritis , detrahatis . Quot enim à priori , quo diù scripsere , stylo aded sese elongarunt , vel peritiores facti , vel alia ex causa , ut in posterioribus , quæ exararunt , vestigium nullum primæ scribendi rationis , inveniatur ? Quid vos ? cum juniores esletis , ac scholas frequentaretis , ac etiam multò post , priusquam proveciore ætate , elegantiore dicendi rationem ab eloquentioribus Scriptoribus , qui vos antea latuerant , didicissetis ; tam disertè fortè loquebamini , vel Italicè , aut Latinè , ac eodem stylo scribebatis , quo modo ; vel potius , tamquam adhuc rudes , ac imperiti imperito etiam stylo (ut Apostoli verbis utamur) loquebamini , ut parvuli ? Nonne sæpè numero accidit , ut quot vestri ingenii monumenta edidistis , toties etiam stylum immutasse visi sitis , itaut , qui omnium , quæ scripsistis vos ignoraret auctores , jure meritò , juxta hanc vestram censuram , eorum , quæ præ aliis , disertissimè concinnastis , vos Scriptores non crederet ? Vos , vos ipsi , cum illa , quæ alio tempore , alia ætate scripta exarastis , revolvitis , nonne per sæpè ex styli vestri priori imperitia , ac rudi dicendi modo , vix ea vestra esse recognoscitis , vobisque ipsis sic illa scripsisse vix creditis ? Quomodo ergo , qui in illis , quæ digitis vestris scripto mandastis , ingenio elaborastis , ore prompsistis , tam cæcutitis : in dijudicandis aliorum scriptis tanta perspicacitate videre præsumitis ? Audite Augustinum . *Sicut est enim quædam eloquentia , quæ magis ætatem juvenilem decet , est , quæ senilem , nec jam dicenda est eloquentia , si personæ non congruat eloquentis ; ita est quædam , quæ viros summa authoritate dignissimos , planeque Divinos decet . Hac illi locuti sunt , nec ipsos decet alia , nec alios ipsa : ipsis enim congruit : aliis autem quanto videtur humilior , tanto altius , non ventositate , sed soliditate transcendit &c.*

Nec contemnendum fallaciæ hujusmodi Censuræ argumentum illud est etiam , quod haud rarò audivimus vos , inter vos ipsos digladiantes , contendente , ex stylo ex vobis altero hoc illius esse , contrarium altero , ex eodem stylo astruente . Si enim una , ac certissima , ut jactatis , hæc esset scripta quæcumque dignoscendi ratio ; quomodo utrique , & opposita , & inter se pugnantia judi-

ca-

care, & utrique etiam vestram censuram veram habere, possētis? Nam si modus hujus censuræ certus est, & verus; apud unum ex vobis, cum inter vos discrepatis, profectò falsus est. Apud quemlibet verò vestrum falsus sit, modum semper censuræ hujus pariter falsum ostendit, nam quisquis eo falsò usus est, falsum comprobavit.

Dicētis, non certissime de his pronunciari judicia, sed tantum ex verisimilitudine, quod nempè ex tali modo scribendi verisimile appareat hoc scriptum illius esse, illud verò non. At hæc imbecillis valde excusatio, nam ut dicit Augustinus: *Certè, quod oculi vident, non dicitur falsum, nisi habeat aliquam similitudinem veri. Ut verbi causa homo, quem videmus in somnis, non est utique verus homo, sed falsus, eo ipso quod habet veri similitudinem. Quis enim canem videat, & rectè se dicat hominem somniasse? Ergo, & ille falsus canis est, ex eo quod similis vero est. Quid vigilans quisque, si viso equo putet se hominem videre, nonne eo fallitur, quod ei appareat aliqua hominis similitudo? Nam si nihil ei appareat, nisi equi species, non potest arbitrari sese hominem videre. Dicimus item falsam arborem, quam pictam videmus, & falsum turrium motum navigantibus, falsamque infractionem remi, ob aliud nihil, nisi quod verisimilia sunt. Ita & in gemmis fallimur, ità in ovis, ita in singulis figillis uno annulo impressis, & in cæteris talibus. Similitudo igitur rerum, quæ ad oculos pertinet mater est falsitatis. Et post multa. Ergo apparet nos in omnibus sensibus, sive equalibus, sive in deterioribus rebus, aut similitudine lenocinante falli, aut etiam si non fallimur suspendentes consentionem, seu differentiam dignoscentes, tamen eas res falsas nominare, quas verisimiles deprehendimus.*

Et inferius: *Sed attende utrum tibi videatur, cum ova similia videamus, aliquod eorum falsum esse, rectè nos posse dicere. A. Nullo modo videtur; Omnia enim, si ova sunt, vera ova sunt. R. Quid cum de speculo resultare imaginem videmus, quibus signis falsam esse comprehendimus? A. scilicet, quod non tenetur, non sonat, non per se movetur, non vivit, & cæteris innumerabilibus, quæ prosequi longum est. R. Video te nolle immorari, & properationi tuæ mos gerendus est. Itaque, ne singula repetam, si & illi homines, quos videmus in somnis, vivere, loqui, teneri, à vigilantibus possent, nihilque inter ipsos*

D. Aug. Soliloq.
lib. 2. cap. 6.
tom. 1. p. 205.

U. sup. cap. 7.
pag. 106.

ipfos differret, & eos, quos expergefatti, ac fani alloquimur; numquidnam eos fallos diceremus? A. Quo pacto illud rectè diceretur? R. Ergo fi eo veri effent, quo verifimillimi apparerent, nihilque inter eos, & veros omninò diftaret; eoque falſi, quod per illas, vel alias differentias diffimilos convincerentur, nonnè fimilitudinem veritatis Matrem, & diffimilitudinem falſitatis eſſe fatendum eſt?

Sic Auguſtinus, quo Doctore intelligimus, quænam fit illa fimilitudo, quæ veritatis mater fit, nempe illa quæ veris rebus omninò fimillimas alias facit, ita ut nihil ab illis differant; & inſuper quænam fit ſomniata rigidiorum Cenſorum noſtrorum verifimilitudo, quæ falſitatis potius Mater dicenda eſt, ex eo ipſo quod ſimilia vero ſe cognoscere inaniffimè jaçtat. Cum enim ipſi hujusmodi ſua ex ſtylo cenſura, eoque vel vix, vel numquam pervenire poſſint, ut comprobent ea ſcripta illius eſſe, vel non eſſe, quod nihil omninò inter illa, & vera diftent; vel è contra falſa eſſe, quod per illas, vel alias differentias à veris penitus diffimilia convincantur: idcirco vaniſſimam ſuam hujusmodi Cenſuram fateantur neceſſe eſt, & eo magis, quod tali paſſim ſe verifimilitudini innixos animadvertent, quæ falſitatis potius eſt argumentum.

Sat eſſet tamen, ad hanc Cenſuram explodendam, eam, & ſi non falſam, nihilominus ſaltem dubiam, ac incertam eſſe poſtendiſſe; nam in quo, quæſo tribunali, in quo foro, apud quem Judicem, poſt dluturnam plurium ſeculorum, ac quietam, & pacificam poſſeſſionem, contra aliquem ſententia privationis bonorum prolata eſt, ex exurgente tantummodo recens teſte aliquo, qui ſolis, ac dubiis conjecturis innixus, eadem bona ad illum minimè pertinere contendat? Quonam igitur pacto vos, quod in ſeculari quolibet judicio fieri nefas judicaretis, id nulla judiciaria auctoritate inſignes, facere præſumitis, injuſtiſſimè detrahentes, ac ſpoliantes Venerabiles interdum Eccleſiæ Patres potioribus, quæ poſſident bonis, nempe ſcriptis, quæ ediderunt, ſuper quorum poſſeſſione, nemo illis umquam litem intendit, & hoc ex vaniſſimis, ac excogitatis ex ſtylo verifimilitudinibus? Si neſciretis quæ Varonis, quæ Ciceronis ſcripta eſſent, niſi temporum ſibimet ſuc-

succedentium contestatione, (ut suprà diximus ex Augustino). Si multa possidetis ex avita hæreditate bona, atque nescitis quomodo vestra sint, nec unde in familiam vestram venerint, nec cur in eo potius loco, quam in altero illa obtineatis, & tamen nihil curæ vobis est, ut quærat, an verè vestra sint, sed legitimè ea possidere creditis, & si quis super ea vobis litem inferre voluerit, jam vulgare illud respondisse vobis sat esse creditis: Possidemus quia possidemus. Quo consilio, quo jure vanissimis vestris verisimilitudinibus ducti, tot insignes Scriptores, tantum ex stylo, è scriptorum, quæ diutissime possederunt, possessione deturbatis?

Huc accedat, quod stylo affinitas inter Scriptores adèd magna sit, ut haud raro ea de causa, ubi Auctorum nomen non innotescit, quæ unius sunt, ab altero falso scripta credantur. Quapropter Augustinus. *Si acutus, & fervens (inquit) adsit ingenium, facilius adhaeret eloquentia legentibus, & audientibus eloquentes, quam eloquentia præcepta sistentibus. Nec desunt Ecclesiasticae litteræ, etiam præter Canonem in auctoritatis arce salubriter collocatum, quas legendo homo capax, & si id non agat, sed tantummodo rebus,*

» *quæ ibi dicuntur intentus sit; etiam eloquio, quo dicuntur,*
 » *dum in his versatur, imbuitur, accedente, vel maxime exerci-*
 » *tatione, sive scribendi, sive dictandi, postremo etiam dicendi,*
 » *quæ secundum pietatis, ac fidei regulam sentis. Sic ille.*

D. Aug. de Doct.
Christ. lib. 4.
cap. 9. pag. 23.
tom. 3.

Nota.

Si igitur acuto, & ferventi cuilibet ingenio facilè est imbui eloquio, quo cujusque Scriptoris exarata sunt scripta, & eo facilius, si scribendi, vel dictandi exercitacionem habuerit: quis nosse poterit cujusnam scripta fuerint ex uno eloquio, cum quod unius erat, illud suum alii legentes, ac scribentes, proprium effecerint? Restat ergo, ut ex eo tantum internoscatur, quod temporum sibi met succedentium contestatione, hoc vel illud scriptum illi, vel alii fuerit attributum. Quia vero nos ipsi de nonnullis aliquando diserentes, ex desumpto ex stylo argumento ea comprobare, vel negare visi sumus: ideo ne hic improbare existimemur, quod alibi probasse censerì posset, vim roburque aliud, ad quidquid vel negandum, vel asserendum præfato ex stylo arrepto argumento, nec tribuisse, nec tribue-

buere apertissime profiteamur, quam quod, ex his quæ hic diximus, ritè ei dandam prudens Lector judicabit: qui non ex ipso, sed aliunde res ipsas, ad quas asserendas illud quoque in medium produximus, satis comprobatas, si velit, estimare poterit.

CAPUT XIV.

*De propriis quibusdam nominibus mota à Censoribus
quæstio, nullius ponderis demonstratur.*

JAM verò de propriis nominibus agamus, de quibus minimè prætercenda est insignis pariter ea Censura, quæ passim ex illis, quæ in Martyrum Actis leguntur, mirabiles quasdam Quæstiones Censores nostri movere solent.

Perstrepunt, inquam, quod *illud*, vel *hoc nomen* nullibi memoratum reperitur: quod qui eum hominem, Scriptor alius nominavit, alio nomine ab eo, quo Acta, nomen illius recitaverit: quod demùm alicujus linguæ proprium hoc, vel illud nomen minimè dignoscatur; ex hisque nãniis corrupta passim Sanctorum Acta proclamant.

Gen. 2. 7. 19.

Et quidem, si cum Deus formatis de humo cunctis animantibus terræ, & universis volatilibus Cœli adduxit ea ad Adam, ut videret, quid vocaret ea: (nãm omne, quod vocavit Adam animæ viventis, ipsum nomen ejus fuit), adduxisset cum eis pariter cunctos homines, qui futuri erant, ut unicuique illorum nomen imponeret; forsan, uti cœterorum animantium, eorum quoque nomina nobis innotuissent. Verum cum id minimè factum reperitur, comperta habere singulorum hominum nomina, difficile nimis negotium esse cognoscitur.

Et id certè in primis necessarium esse videretur Censoribus nostris, ut nempè perspicuè quæcumque nomina hominibus imposita fuerint, agnoscerent, ut de illis, quam præsumunt, sententiam proferre possent. Nam, quo pacto (ut de aliis his similibus Censuris æquè diximus)

mus) afferere valent, hoc nomen numquam fuit, si quæcumque fuerent nomina ignorant? Nec aliquid valet, ut dicatur, hoc nomen memoratum alibi non reperitur, igitur non fuit; nam cum omnia, quæ indita hominibus fuerent nomina haud scripta fuerint, ex eo, quod scripta non legantur, ritè educi non potest, quod non extiterint.

Scire nihilominus posse Censores nostros fatendum est nomina hominibus imposita, si rem altiùs peterent, noscerentque quonam modo, & cur ab antiquis nomina imponerentur. *Principia enim rerum* (inquit Ambrosius) *priùs requirenda sunt, ut earum notitia plenior possit haberi. Tunc enim faciliùs poterunt demùm intelligi, cum earum origines discantur. Apud veteres igitur nostros* (ejusdem sunt verba) *occasione nomina imponebantur, ut Isaac propter risum, & Jacob propter calceamenta, & iste* (videlicet Apostolus Paulus) *propter inquietudinem, Saulus est nuncupatus. Postquam autem credidit, ex Saulo Paulum nuncupatum, hoc est immutatum se dicit.*

Nec modo apud Hebræos, sed apud Gentiles etiam, ex occasione nomina imposita fuisset testantur exempla Scipionis Africani Minoris, qui primus omnium Cæsar est dictus, quod defuncta parente excisus in utero, in lucem venerit, ut Solinus, & Sylvius Italicus narrant; & Agrippæ, qui hujusmodi nomen sortiti sunt, quod in nascendo non caput, sed pedes primi exierint; qui partus, cum difficillimus, ægerrimusque habeatur, idè ab ægritudine, & pedibus sunt nomen adepti, ut Solinus idem, & Gellius, ex Varrone referunt.

Hinc interdum, ex loci quoque occasione nomen datum; unde Melesigenes ille dictus fuit, qui temporis processu deinde Homeri appellationem promeruit; quod juxta Fluvium Meletem, ut Plutarchus, & Herodotus narrant, à Matre editus fuerit. Et Virgilius, à virgisse cognominatus fertur, quod inter illas natus sit. Unde illud Calvi.

Et vates cui virga dedit memorabile nomen

Laurea.

Demum ab arte, quas exercuissent, nonnumquam vel hominibus, vel familiis nomen attributum testatur Plinius, cum refert clarissimas Romanorum Familias ab

M m

Agri-

*D. Ambrosius tom. 3.
in Praef. in
Epist. B. Paul.
ad Rom. pag.
235.*

*Ibid. cap. 1. pag.
238.*

*Solinus in Po-
lystob. cap. 4.
Syl. Italic. lib. 13*

*Solinus ut sup.
Gellius lib. 6.
cap. 16. ex
Varrone.*

*Plutarchus & He-
rodotus.*

*Cæcil. Minuc.
Apulej.*

*Plinius Hist. lib. 1. &
cap. 3.*

Agriculturæ arte nomen adeptas. Ideò Pilumnus dicitur, qui pilum pistrinis invenerat. Pisco, à piscendo. Item Cicerones, & Lentuli, alteri ob ciceres, alteri ob lentescens eximie cultas. Fabii, à satione Fabarum. Hortensii, quod hortorum studio tenerentur. Suilli, Bubulci, Bupecii, Caprarii, Porcii, Ovini, Captilli, Equitii, & Tauri, à pecudibus, & armentis nomina tulere, & in Valeria Familia à lactucarum egregia cura, lactucini quidam appellati perhibentur. Ut data opera prætereamus, quæ ex egregiis facinoribus, & naturalibus defectibus, vel fortuitò nomina indita reperiuntur, quæ, ut imponerent, ex qualibet re occasionem arripere veteres consuevere.

*Idem lib. 19.
cap. 4.*

Doceant igitur Centores eruditissimi, ex tam amplis, tamque latè patentibus innumerabilium penè rerum occasionibus, quæ nomina hominum singulis imposita fuerunt; vel singulas occasiones numerent, ex quibus nomina processere; deindè cum ex illis hoc, vel illud nomen exoriri non potuisse probaverint, audacter eorundem nominum veritatem negent. Si verò occasiones omnes, ex quibus nomina prodire, se nescire posse verissimè fatebuntur; igitur causare nos desinant, quod eos culpemus, quod non omnia nomina illis comperta sint; quodque ex paucissimis, quæ sciunt, immeritò de innumeris, quæ eos latent, argumentum vanissimum sumere justissimè coarguamus. Doceant Scriptorem aliquem, qui probatissimum nominum omnium indicem confecerit, quavis lingua, quovis loco, quovis tempore nomina eadem imposita, vel in morem inducta fuerint: (nomina siquidem, quæ in una regione, aut lingua primùm inventa sunt, ad alias nationes demigrare potuisse, cum hominibus, qui ea habuissent, vel aliter, nemo tam vecors est, qui negare possit, demonstraturque insuper, ut cœtera missa faciamus, ex nomine Marci, quod peculiare, plerisque Romanorum proceribus fuisse constat, & nihilominus Marci Evangelistæ, & aliorum Hebræorum proprium fuit.) Deinde si in eo indice nomina, quæ ficta existimant, non repererint, mendacii, aut calumniæ nos tutò insimulent. Si verò è contrà non invenerint quæ fuere, quo pacto non fuisse asserere audent?

III

Illi nihilominus (ut diximus) ritè falsitatis Acta Martyrum coarguere posse arbitrantur, cum huic exempli gratia homini nomen ab eo Scriptore tributum est, eisdem verò ipsi, aliud ab Actis. Verùm hujusmodi levitatem censuræ meritò Augustinus ridet, dum de nomine agit Thaddæi Apostoli. *In nominibus Discipulorum* (illius sunt verba) *Lucas, qui eos alio loco nominat, cum prius eliguntur in Monte, à Matthæo non discrepat, nisi in nomine Juda Jacobi, quem Matthæus Thaddæum appellat: nonnulli autem Codices habent Labbaum.* **QUIS AUTEM UMQUAM PROHIBUERIT DUOBUS, VEL TRIBUS NOMINIBUS HOMINEM UNUM VOCARI?** Sic ille.

*D. Aug. de Conf.
Evang. lib. 2.
cap. 3. pag. 168*

Probent igitur disertissimi Censores nostri, cum in Martyrum Actis, vel Consulium, vel Præsidum, vel Præfectorum, quædam nomina offendunt, quæ alia ab iis sint, quæ iisdem à prophanis, vel aliis Scriptoribus tribuuntur; probent, inquam, prohibitum iis omnibus fuisse, ne plura nomina haberent; & statim iis victoribus, ac triumphatoribus nos ipsos commitemus.

Illud insuper ostendant unius nominis plures homines, judicis, exempli gratia munere, uno, eodemque tempore diversis in locis fungi nequivisse: deinde ex hoc liberius, quàm consueverint, Acta Martyrum reprehendant, inferantque, ut libuerit, quod cum Judex, Præses &c. Cajus nomine, tali temporis circumstantia Romæ fuerit, Cajus etiam Præses, & Judex in Africa eodem tempore degere nequiverit. Nam, ut idem Augustinus dicit, cum de muliere, atque unguento pretioso, quod in Bethania gestum est considerat. *Lucas, quamvis simile factum commemoret, nomenque conveniat ejus apud quem convivabatur Dominus: tamen, quia non est contra naturam, vel contra morem hominum, UT SI POTEST UNUS HOMO HABERE NOMINA DUO; MULTO MAGIS POSSINT, ET UNUM NOMEN HABERE HOMINES DUO; potius credibile est illum fuisse illum Simonem non Leprosam, in cujus domo hoc in Bethania gerebatur &c.*

*Ibid. ut sup. de
Conf. Evang.
lib. 3. cap. 69
pag. 182.*

Aliud etiam quod astruunt, comprobent; nimirum, in tanta linguarum corruptione, nationum, ac gentium inter se commixtione, idiomatum confusione, sola nomina cuncta tutò incorrupta, vel in unaquaque regione,

remanfisse, vel ab una in alteram demigrasse. Hoc enim si ostendunt, jam ut falsa, ac commentitia ea omnia nomina habenda erunt, quæ ex certa aliqua regione, vel idiomate minime derivasse deprehenduntur. Verum cum tantum persæpè abfit, ut incorrupta Censores nostri nomina velint, quin potius ea, quæ minimè corrupta sunt, corrupta nihilominus (veritate, antiquitate, monumentis etiam repugnantibus) ethymologiarum suarum studio contendant; idèd futilem, sibi que ipsi contrariam Censuram, illis ipsis rejiciendam dimittimus.

*Phil. de Agri-
cult. in princ.
pag. 155.*

Demum quod Philo animadvertit, ad hæc, de quibus agimus, non immeritò pertinere aliquammodo posse videtur: quod nempe: *Vulgus hominum rerum naturas ignorans in nominibus eis imponendis erret, oportet; nam qui eas, velut per anatomiam considerant, facile assequuntur appellationes eorum proprias; qui autem res tractant confusis; non tam exquisitas.* Nomina siquidem omnia, non tam rebus, quam hominibus imposita, à disertis semper, vel sermone, vel lingua nequaquam data sunt; idèdque non mirum, si quæ ab incultis, rudibus, ac imperitis prodire, imperita, inculta, ac persæpè corrupta, nihilque significantia videantur.



CAPUT XV.

*Temporum rationem posthabuisse, nil Martyrum Actorum
veritati detrudere, præcipuè Augustini auctoritate
rursus ostenditur; nec ei officere Chronolo-
gicas regulas non tenuisse, ex
Hieronymo probatur.*

RATIONABILIOR tamen ea Censura, præteritis omni-
bus, absque dubio pronuncianda videtur, quæ ad
temporum ordinem spectat; in historia siquidem
illud potissimum desideratur, quod rerum sibimet succe-
dentium series perspicuè appareat, quodque priùs evenit
antea referatur, ad illudque tempus referatur, quo evenit:
quodque postea, deinde; utque demùm facta temporibus,
ac factis tempora congruant, & convenient.

Et quidem in Historiis prophanis, necnon in Eccle-
siasticis pluribus scriptis, ab eruditis viris summo studio,
ac labore concinnatis id servatum fuisse, (ob hoc dignif-
simum, quod summis laudibus extollerentur), ultrò fatemur.
Tamen, ut adversarii contendunt, ubi vel Scriptorum
incuria, aut imperitia, aut spretu id minimè reperire est;
non illicò falsitatis sententia in illorum eorundem scri-
pta proferenda est, eum ipsorum plures eo tantùm prospe-
xerint, ut Sanctorum gesta posteris ad ædificationem scri-
pto traderent; non autem magni fecerint diligentissimè
tempus, quo eadem gesta fuerint, observare, cum nil id
ad eandem ædificationem pertinere, vel saltem parum,
putaverint. Qui quidem, licet contrà humanas Historiæ
leges peccasse, non ideò tamen contra veritatem deli-
quisse dicendi sunt. Cum igitur hoc uno, ac solo fine po-
tissimum Acta Martyrum conscripta credenda sint; haud
mirum idcirco ad eam perfectam Chronologicarum regula-
rum rationem in iis deprehendi, ut Censuram nostrorum
palatii exquisitissimo sapere possint.

Sed quia de hoc pluries alibi, licet serè obiter egimus;
ideò, ne quæ diximus, repetere cogamur, illis hic dumtaxat

rat subnectere sufficiat, quæ adnotare prætermisimus præfertim ex Augustino, qui summa, & omnium excellentissima Sacrorum Evangeliorum auctoritate, cæterorum Scriptorum, qui illum exactissimum narrandi ordinem, quem Censores nostri expetunt, minimè servaverunt, incolumitati consuluit. Dicit igitur.

D. Aug. de Conf.
Evang. lib. 2.
cap. 39. p. 170.

Matthæus dicit: [Tunc responderunt quidam de Scribis, & Phariseis dicentes; Magister volumus à te signum videre &c.] usque ad illud, ubi ait: [Sic erit generationi huic pessima.] Hæc etiam Lucas enarrat eo quidem loco, sed aliquanto dispari ordine. Nam illud, quod petierunt, signum à Domino de Cælo, supra commemoravit post illud de muso miraculum: & non ibi retulit quod eis ad hoc Dominus respondisset, sed postea cum turba concurrissent, dicit hoc fuisse responsum eis, quos dat intelligi superius à se commemoratos; quod de Cælo signum quærebant: & hoc annectit postquam interposuit de muliere, quæ dixit Domino: [Beatus venter, qui te portavit.] Hanc autem mulierem interponit, cum de sermone Domini commemorasset, quod spiritus immundus exiens ab homine redit, & invenit mundatam domum. Post mulierem ergo illam cum diceret responsum esse turbis de signo, quod de Cælo quærebant interposita similitudine Jona Propheta, deinde continuato sermone ipsius Domini, commemorat dictum de Regina Austri; & de Ninivitis: ita aliquid potius commemoravit, quod Matthæus tacuit, quam aliquid prætermisit eorum, quæ hoc loco ille narravit. Quis autem non videat superfluo quæri, quo illa

Noet;

„ ordine dixerit Dominus, cum & hoc discere debeamus per
„ Evangelistarum excellentissimam auctoritatem non esse menda-
„ cium, si quiquam non hoc ordine, cujusquam sermonem diges-
„ serit, quo ille, à quo processit, cum ipse ordinis nihil inserit
„ ad rem, sive ita, sive ita sit &c. Et post pauca. Terminato
„ autem isto sermone, in aliud perguit Lucas: IN QUO UTRUM
„ ORDINEM RERUM GESTARUM SERVAVERIT, INCERTUM EST. Ita
„ enim connectit: [Et cum loqueretur, rogavit eum quidam
„ Phariseus, ut prouderet apud se.] Non autem ait, cum hæc
„ loqueretur, sed cum loqueretur. Nam si dixisset, cum hæc
„ loqueretur, necessariò cogeres intelligere hoc ordine non tan-
„ tum à se fuisse narrata, verum & à Domino gesta.

Ibid. cap. 40.

Sequitur ergo Matthæus, & dicit: Adhuc ergo eo loquen-

te

te ad turbas, ecce Mater ejus, & fratres stabant foris &c. usque ad illud ubi ait: [Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in Cælis est, ipse meus frater, & soror, & mater est.] Hoc sine dubio consequenter gestum intelligere debemus: præmisit enim, cum ad hoc narrandum transfret: Adhuc eo loquente ad turbas. Quid est autem adhuc: nisi illud, quod loquebatur? Non enim dixit & eo loquente ad turbas, ecce Mater ejus, & fratres: sed adhuc eo loquente. Quæ cum dicit, cogit intelligi, hæc loquente, quæ supra indicabat: Nam, & Marcus post illud, quod de blasphemia Spiritus Sancti, quid Dominus dixerit, retulit: Et veniunt, inquit, Mater ejus, & fratres: prætermittis quibusdam, quæ in eodem textu sermonis Domini, & Matthæus prolixius Marco, & Lucas prolixius Matthæo posuerunt. Lucas autem non hujus rei gesta ordinem tenuit, sed præoccupavit hoc, & recordatum ante narravit. Denique hoc sic interposuit, ut solutum appareat à nexu, & superiorum, & inferiorum. Post commemoratas enim quasdam parabolas Domini; ita hoc de Matre, & fratribus ejus recordatum interposuit: [Venerunt autem ad illum, inquit, Mater, & Fratres ejus, & non poterant adire eum præ turba.] Non expressit quando ad eum venerint. Rursus cum, & hinc transit, ita loquitur: [Factum est autem, inquit, in una dierum, & ipse descendit in naviculam, & Discipuli ejus.] Et hic utique cum dicit: [Factum est in una dierum]: satis indicat non necesse esse, ut hæc dies intelligatur, in qua hoc gestum est, vel illa, quæ continuo sequitur. Nihil itaque habet repugnantia cum cæteris duobus, quod Matthæus de Matre, & Fratribus narrat, neque in verbis Domini, neque in ipso ordine rerum gestarum.

Nota.

Item inferius, ubi illa, quæ Domino in patria sua accidisse Evangelistæ narrant. Lucas, inquit, eandem rem gestam latius indicat, & plura ibi commemorat. Nec longe post baptismum, & tentationem ejus hæc inserit: Sine dubio præoccupans, quod multis rebus interpositis, postea gestum est. Unde quisque possit advertere, quod huic tam magnæ quæstioni, quam de consensu Evangelistarum enodandam, Deo adjuvante, suscepimus plurimum necessarium est non nescientes (audiant Censores) aliquid eos prætermisisse, AUT NESCIENTES

Us sup. cap. 42.

Nota.

QUEMADMODUM SE ORDO RERUM GESTARUM HABERET, ALIUM
PO-

» POTIUS ORDINEM SUÆ RECORDATIONIS TENUISSE. *Quod bis*
 » *evidentissime intelligi potest, quia Lucas antequam aliquid*
 » *narraret Dominum fecisse in Capbarnaum, præoccupavit hanc*
 » *locum, quem nunc consideramus, ubi cives ejus, & potentiam*
 » *virtutis ejus in eo stupebant, & ignobilitatem generis contem-*
 » *nebant. Et post multa.*

Ibid us sup.

Nota:

» *Quid est ergo evidentiæ, quam hoc eum scientem præoc-*
 » *cupasse narrandum, cum utique jam magna ab illo in Capbar-*
 » *naum facta fuisse, & ipse noverit, & ipse commemoret, quæ*
 » *se nondum narraſſe utique ſcit? Neque enim tantum ab ejus*
 » *Baptiſmo progreſſus eſt, ut oblitus putetur nondum ſe aliquid*
 » *commemoraffe de iis, quæ in Capbarnaum geſta fuerant. Qui-*
 » *bus Auguſtinus oftendere procul dubio voluit, ſcientem,*
 » *ac volentem, Lucam temporum, ac rerum rationem non*
 » *habuiſſe.*

U ſup. cap. 44.

Nota.

» Inferius inſuper, ubi Martyrium, ac ſepulturam
 » Joannis Baptiſtæ Evangeliſtæ narrant: Lucas (dicit) non
 » eodem ordine id recordatur, ſed circa ipſum Baptiſmum, quo
 » Dominus baptizatus eſt. Unde hoc præoccupaffe intelligitur,
 » & ipſe ex occaſione, ut ibi narraret, quod multo poſt factum eſt.
 » Cum enim commemoraffe Joannes verba de Domino: [*Quod*
 » *ventilabrum in manu ejus ſit, & mundabit aream ſuam: fru-*
 » *menta recondet in horreum ſuum, paleas autem comburet igni*
 » *inextinguibili.*] Continuo ſubjecit, quod non continuo factum
 » eſſe Joannes Evangeliſta apertiffime exponit, cum commemo-
 » rat, poſteaquam baptizatus eſt Jeſus, iſiſſe illum in Galilæam,
 » quando fecit de aqua vinum: & inde poſt paucorum dierum in
 » Capbarnaum habitationem, rediſſe ad Judæam terram, &
 » ibi baptizaffe multos circa Jordanem, antequam miſſus eſſet
 » Joannes in carcerem. Quis autem putet, niſi qui minus in lit-
 » teris eruditus eſt, tamquam poſt illa verba de ventilabro, &
 » de area mundata, continuo ſit à Joanne. offenſus Herodes, ut
 » eum in carcerem miſerit? Non autem hoc ordine iſta memorata,
 » quæ geſta ſunt, & alibi jam probabimus, & hoc ipſo loco, non
 » quilibet alius, ſed idem Lucas hoc probat. Si enim poſt verba
 » illa continuo Joannes in carcerem miſſus eſt, quomodo poſt ipſam
 » commemorationem Joannis in carcerem miſſi, baptizatus eſt
 » Jeſus ſecundum ipſius Luca narrationem? Proinde manifeſtum
 » eſt, ex occaſione recordatum præoccupaffe; & ante multa, quæ
 » priuſ-

» priusquam Joanni hoc fieret, gesta narraturus erat, hoc præoc-
 » curatum in sua narratione præmisisse.

Item in illa Domini verba secundum Matthæum :
 » Scitis, quia post biduum Pascha fiet &c. Huic (ait) atte-
 » stantur alii duo Marcus, & Lucas, ab eodem ordine non rece-
 » dentes : neque hoc tamquam à Domino dictum insinuant : hoc
 » enim intimare prætermiserunt. Ex sua tamen persona, & Mar-
 » cus dicit : [Erat autem Pascha, & azima post biduum.] Et
 » Lucas. [Appropinquabat autem dies Festus azimorum, qui
 » dicitur Pascha.] Sic ergo appropinquabat, ut esset post bi-
 » duum, sicut alii duo apertius consonant. Joannes verd tribus
 » quidem locis commemoravit ejusdem diei festi propinquitatem,
 » cum alia quadam duobus superioribus locis narraret. Tertio
 » autem loco apparet ejus narratio circa ipsa versari tempora, ubi
 » hoc etiam illi tres intimant ; idest impendente jam Dominica
 » Passionis die. Sed hoc videri potest parum diligenter intuen-
 » tibus esse contrarium, quod Matthæus. & Marcus posteaquam
 » dixerunt Pascha post biduum futurum, deinde commemorave-
 » runt, quod erat Jesus in Bethania, ubi de unguento illo pre-
 » tippo dicitur. Joannes autem ante sex dies Paschæ dicit Jesum
 » venisse in Bethaniam, de unguento eadem narraturus. Quo-
 » modo ergo, secundum illos duos, post biduum futurum erat
 » Pascha, cum posteaquam id dixerunt, inveniantur cum Joan-
 » ne in Bethania illud de unguento, quod ipse, narrantes : Cum
 » autem ipse dicat POST SEX DIES futurum Pascha ? Sed qui
 » ita moventur non intelligunt Matthæum, & Marcum illud,
 » quod in Bethania de unguento factum erat, recapitulando po-
 » suisse, non post illam de biduo prædicationem suam, sed ante
 » jam factum, cum adhuc sex dies essent ad Pascha.

Ut sup. cap. 62.

Nota.

Celeberrima demùm, ut alia, data opera, missa fa-
 ciamus, est illa quæstio de hora tertia, & sexta, quibus
 crucifixus ab Evangelistis dicitur Dominus, de qua inter
 cœtera hæc habet Augustinus ipse. Nisi fortè aliter po-
 tuerit eandem dissolvere quæstionem : non enim habeo unde con-
 vincat non fuisse tunc horam tertiam, & ided veridico Evan-
 gelistæ potius credendum, quam contentiosis suspicionibus ho-
 minum. Unde, inquit, probas horam tertiam fuisse ? Respondeo
 quia credo Evangelistis. Quibus, & tu si credis, ostende quem-
 admodum, & hora sexta, & hora tertia potuerit Dominus

Ut sup. lib. 3.
 cap. 12. p. 192.

crucifigi . De sexta enim , ut fateamur , narratione Joannis urgemur : tertiam Marcus commemorat , quibus ; si uterque nostrum credit , ostendo tu aliter quemadmodam fieri utrumque potuerit , & libentissime acquiescam . Non enim sententiam meam , sed Evangelii diligo veritatem . Atque utinam etiam plures ab aliis inveniantur hujus exitus quaestionis . Quod donec fiat , utere mecum isto si placet . Si enim nullus alius exitus poterit inveniri , solus iste sufficiet . Si autem potuerit , cum demonstratum fuerit , eligemus . Tantum non potest con-

Nota .
 ,, sequens esse , ut quilibet omnium quatuor Evangelistarum men-
 ,, titus sit , aut in tanto , & tam sancto culmine auctoritatis et-
 ,, raverit . Et post multa .

Ut sup. pag. 193.

Quisquis autem dixerit , potuisse Marcum , si ita esset , eo tempore dicere fuisse horam tertiam , quo erat hora tertia , cum vox Judaeorum de crucifigendo Domino sonuisset ; dicere etiam , quod eum tunc ipsi crucifixerint : (quibus nimirum tamquam insolubilibus argumentis passim Censurae nostrorum Adversariorum scatent ; cum nil familiarius in ore , vel in scriptis suis habeant , quam dicere ; si hoc , vel illud fuisset , utique Scriptor sic , vel sic dixisset , vel dicere non praetermississet , vel explicasset) NIMIS SUPERBE LEGES NARRATORIBUS VERITATIS IMPONIT . Sic enim potest dicere , si haec ipse narraret , eo modo , eodemque ordine ab omnibus debuisse narrari , quo ipse narravit . Dignetur ergo consilio Marci Evangelistae superari consilium suum , qui eo loco id ponendum judicavit , quo loco divina inspiratione suggestum est . Recordationes enim eorum , ejus manus gubernatae sunt , qui gubernat aquam , sicut scriptum est , qualiter illi placuerit . Fluitat enim humana memoria per varias cogitationes , nec in cujusquam potestate est , quid , & quando ei ventat in mentem . Cum ergo illi , & veraces viri , quasi fortuita recordationum suarum , propter narrationis ordinem , occulta Dei potestate , cui nihil fortuitum est , commississent , non oportet quemquam hominum dicere , longe abjectum ab oculis Dei , & longe peregrinantem , hoc loco poni debuit , quod valde ignorat , cur eo loco Deus poni voluerit .

Ita Augustinus , qui cum divina dispositione , ista Evangelistas commississe certissime asserat ; quod ex humanae imbecillitate memoriae , Scriptoribus aliis accidere

po-

potuit, ostendere procul dubio voluit sicut alibi, ut pluries vidimus, statuit: nil, nimirum historicæ veritati officere, si temporum tam exacta ratio, uti Censores nostri in suis animadversionibus exquirunt, in historiis ipsis minimè reperiatur: cum certissima, atque verissima tam in Evangelica, quam in cœteris Sacris Historiis, sint quæcumque in iis leguntur; licet ad liquidum plura in ipsis deprehendantur, quæ temporibus, rerumque gestarum ordini, non consentire videantur.

Demum probabilem excusationem illorum, qui Acta Martyrum primis Ecclesiæ temporibus scripsere, afferre sufficiat ex Hieronymo, qui cum ostendit primos nostræ Religionis Scriptores, rerum soliditatem sectatos fuisse, parvique, aut propè nihil duxisse futiles, ac inanes, tum temporum, tum nominum quæstiones; profectò demonstrat cur in hac parte exquisitam eam diligentiam non adhibuerint, quam in illis Censores desiderant, imò injustè ab eis exigunt. Illud siquidem exponens Apostoli ad Titum: *Stultas autem quæstiones, & genealogias, & contentiones, & pugnas, quæ veniunt ex Lege devita. Ista habet.*

Ad Tit. cap. 2.

Quod ait genealogias, & contentiones, & rixas, quæ veniunt ex Lege devita: propriè postulat Judæos, qui in eo se jactant, & putant Legis habere notitiam, si nomina teneant singulorum, quæ quia barbara sunt, & atymologias eorum non novimus, plerumque corruptè proferuntur à nobis. Et si fortè erraverimus in accentu, in extensione, & brevitate syllabæ, vel brevia producentes, vel producta breviantes, solent irridere nos imperitiæ, maximè in aspirationibus, & quibusdam cum rasura gula litteris proferendis. Hoc autem evenit, quod Septuaginta Interpretes, per quos in Græcum sermonem Lxx Divina translata est, (nonnullas litteras, atque verba) (quia cum duplici aspiratione Græcam linguam transferre non poterant), aliis litteris additis expresserunt. Verbi causa, ut Rabel, Rachel dicerent, & Hieribo, Hiericho, & Hebron, Chebron, & Seor, Segor. In aliis verò conatus iste deficit. Nam nos, & Græci unam tantum litteram, S, habemus, illi verò tres, Samech, Sade, & Sin, quæ diversos sonos possident. Isaac, & Sion per Sade scribuntur, Israel per Sin, & tamen non so-

D. Hieron. Com.
lib. 1. Epist. ad
Tit. pag. 282.

nat id, quod scribitur. *Seon Rex Amoraorum per Samieob litteram, & pronunciatur, & scribitur. Si igitur à nobis hac nominum, & lingua idiomatica, ut videlicet barbara, non ita fuerint expressa, ut exprimuntur ab Hebrais, solent chachinnum attollere, & jurare se penitus nescire, quod dicimus. Unde & nobis curæ fuit omnes veteris legis libros, quos vir doctus Adamantinus in exapla digesserat, de Cesariensi Bibliotheca descriptos, ex ipsis authenticis emendare, in quibus, & ipsa Hebraea propriis sunt characteribus verba descripta, & Graecis litteris tramite expressa vicino. Aquila etiam, & Symmachus, Septuaginta quoque, & Theodotio suum ordinem tenent. Nonnulli verò libri, & maxime hi, qui apud Hebraeos versu compositi sunt, tres alias editiones additas habent, quam quintam, & sextam, & septimam translationem vocant, auctoritatem sine nominibus interpretum consecutas. Hæc immortale illud ingenium suo nobis labore donavit: ut non magnoperè pertimescamus supercilium Judæorum, solutis labiis, & obtorta lingua, & stridente saliva, & rafa fauce gaudentium.*

Est, & illis alia occasio superbiæ: quoniam sicut nos, qui Latini sumus, Latina nomina, & origines de lingua nostra habentia, facilius memoriæ tradimus: ita illi à parva ætate vernacula sui sermonis vocabula peritissimis sensibus imbiberunt, & ab exordio Adam, usque ad extremum Zorobabel, omnium generationes, ita memoriter, velociterque percarrunt, ut eos suum putes referre nomen. Hoc nos, qui aut alias litteras didicimus: aut certè serò credidimus in Christum: aut etiam, si infantes sumus Ecclesiæ mancipati, magis Scripturarum sensam, quam verba sectamur: si fortè non ita novimus, PUTANT SE IN OMNIBVS REFERENDIS, ET IN SVPPVTATIONE ANNORVM, ET IN NEPOTIBVS, ET ABNEPOTIBVS, AVIS, PROAVIS, ET ACTAVIS, DOCTIORES. Audiui ego quemdam de Hebrais, qui se Romæ in Christum credidisse simulabat, de genealogiis Domini Nostri Jesu Christi, quæ scripta sunt in Mattheo, & Luca, facere quæstionem, quod videlicet à Salomone usque ad Joseph, nec numero sibi, nec vocabulorum æqualitate consentiant: qui cum corda simplicium perverisset, quasi ex adytis, & oraculo, deferebat quasdam, ut sibi videbatur solutiones: cum magis debuerit iustitiam, & misericordiam, & di-

dilectionem Dei querere, & postea illa, si forte occurrissent, de nominibus; & numeris disputare.

Satis forsitan de Hebræorum supercilio, & plusquam necesse fuerit, dixerimus: sed occasio nobis data est, de genealogiis, & contentione, & rixis, quæ ex lege veniunt discernendi. Dialectici, quorum Aristoteles Princeps est, solent argumentationum tela tradere, & vagam rhetoricæ libertatem, in syllogismorum spineta concludere. Hi ergo, qui in ea totos dies, & noctes terunt, ut vel interrogent, vel respondeant: vel dent propositionem, vel accipiant, assumant, confirmant, atque concludant, quosdam contentiosos vocant, qui, ut libet, non ratione, sed stomacho disputent litigantium. Si igitur illi hoc faciunt (quorum propriè ars contentio est) quid debet facere Christianus, nisi omninò fugere contentionem? Rixæ quoque legales, peccatis removenda sunt, & Judæorum stultitiæ relinquenda. Sunt enim inutiles, & vana, quæ tantum speciem scientiæ habent: cæterum nec dicentibus, nec audientibus profunt. Quid enim mihi prodest scire quot annos vixerit *Mathusalem*: quoto ætatis suæ anno *Salomon* sortitus sit conjugem: Nota: „ ne forsitan *Roboam* undecimo ætatis suæ anno natus esse credatur? & multa istiusmodi, quæ aut difficile est invenire propter „ librorum varietatem, & (dum paulatim de inemendatis, inemendata scribuntur), errores inolitos, aut etiam, si inveniremus „ magno studio, & labore, nihil profutura cognovimus. „ Frequentèr accidit, ut habeamus pugnas Legis, non ob desiderium veritatis, sed ob jactantiam gloriæ, dum apud eos, qui audiunt, docti volumus æstimari, aut certè ex hoc rumusculo turpia sectamur lucra.

Hucusque Hieronymus, cujus sententiæ, ac verba, quam Censoribus nostris congruant, data opera ostendere præmittimus; ne illos, illorumque studia, ipsamet, ac Gentilium, & Judæorum, inviti etiam, quasi digito prode compellamur.



CAPUT XVI.

Censura, quæ contra miracula in Actis Martyrum relata profertur, cum Gentilibus, & Hæreticis communis. In eo tamen illa differt Pseudo-Censuram, quod non omnia, sed vel plura, vel inusitata, vel persæpè ad-dita Actis miracula rejiciant. Quid sit miraculum. Inusitata, ac insolita miracula negasse nullius ponderis argumentum esse, ex Augustino probatur.

DETERIUS nihilominus est id, in quo Censores nostri Acta Martyrum culpant (ut haud raro nos ipsi & legimus, & audivimus), cum videlicet ea corrupta insimulent, quod in iis miracula legantur: quod quidem Auctorum, qui eadem conscripserunt, vitio tribuunt. Eadem à Gentilibus, Christianis (vel ut melius dicamus) Evangelicis scriptis olim fuisse objecta, supra innuimus verbis Arnobii, qui calumnias eorundem referens, tacitèque illorum sibi objectionem faciens, scribit: *Sed Conscriptores nostri mendaciter ista prompserunt, extulerunt in immensum exigua gesta, & angustas res satis ambitioso dilatavere præconio &c.* Communem quoque nostrorum temporum Hæreticorum hanc esse sententiam, cum ex hoc impiissimè, ac insipientissimè Catholicam Ecclesiam, in qua sola vera miracula patrari possunt, irridere solemnè habeant; qui illorum scripta, vel parum evoluit, perspicuè agnoscere potuit.

*Arnob. lib. 1. contra
Gentes
pag. 439.*

Non est tamen, quod Censores nostri, vel omninò miracula facta denegent, ut Gentiles, vel quæ in Actis Martyrum leguntur omnia falsa, ut Hæretici existiment; sed in eo corrupta Acta Martyrum censent, quod inusitata quædam prodigia, seu plura, quam necesse esset, miracula in illis deprehendantur. Sic medii incedentes veritatis scopum se attingere autumant. Eos insuper magis dubios reddit legisse (ut dicunt), addita in nonnullis Martyrum Actis miracula, quæ in aliis minimè adnotata in-

ve-

venere, ac quibusdam seculis (acceptum ab Erasmo est dixerunt), *plam vasfritionem miracula confingendi viguisse*. Et hinc, tamquam ex generalibus, certissimisque principiis sibi liberum censent ea omnia Martyrum Acta conspuere, in quibus, ut ajunt, vel insolita, ac inusitatiora, vel plura nimis, vel tandem miracula recensita, quæ ab aliis Actorum Scriptoribus minimè memorantur, offenderint.

Sed hæc, vel alia his similia, quæ objici possunt, quam levia sint, ac nullius momenti, vel cæcutientes agnoscent. Nam in primis respuisse miracula, quod insolita, ac nimis inusitata fuerint; nil aliud profecto fuit, quam ignorasse Evangelium, immo etiam quid sibi velit miraculum nesciisse. Miraculum siquidem (juxta communem vocabuli hujus significatum, ac sensum, quo accipi solet, & quo etiam modo accipimus), nil aliud est, nisi quidquid contra, vel præter naturæ usum evenit, & ideo in admirationem nos trahit. Quidquid igitur præter naturæ usum est, miraculum est, magisque, ac minus (ut dicitur) non variant speciem; unde quod aliquid vel magis, vel minus à naturæ usu eveniat, semper uno miraculi vocabulo nuncupandum est, neque altero appellandum; sufficit enim ad hoc ut sit, quod dicitur, ut tantum præter naturæ usum, ac ordinem sit; neque ex eo est miraculum, quod majus minusve sit, sed tantum ut præter naturæ ordinem sit. *Sicut autem Deo (inquit Augustinus) non fuit impossibile, quas voluit instituere; sic ei non est impossibile, in quidquid voluerit, quas instituit, naturas mutare.* De Dei potentia hic non agi Censores respondent, nam se scire fatentur, non esse impossibile apud Deum omne verbum, sed quæstionem in eo esse; an Deus fecerit, quæ facere potuit, ut in Actis Martyrum inusitata, inverisimilia, ac insolita facta narrantur. His igitur respondendum.

D. Aug. de Civit. Dei lib. 21. sem. 5.

Respondeat igitur Augustinus ipse, dum huic similem vanissimam Paganorum objectionem, qui factum Jonæ tamquam incredibile irridebant, refellit. Sic enim scribit ad Deogratias.

Postrema quæstio proposita est de Jona, nec ipsa, quasi ex Porphyrio, sed tanquam ex irrisione Paganorum. Sic enim

D. Aug. tom. 2. Epist. 49. pag. 64.

po-

Nota .

posita est. Deinde, quid sentire, inquit, debemus de *Fona*; qui dicitur in ventre ceti triduo fuisse, quod ἀτθάρων; (Improbabile) est, & incredibile, transuoratum cum veste hominem fuisse in corde piscis? Aut si figura est, hanc dignaberis pandere. Deinde, quid sibi etiam illud vult supra evomitum *Fonam* cucurbitam natam, quid causa fuit, ut hæc nasceretur? Hoc enim genus questionis multo cachinno à Paganis gnauiter irrisum animaduertere.

Ad hoc respondetur, QUOD AUT OMNIA DIVINA MIRACULA GREDENDA NON SINT: AUT HOC CUR NON CREDATUR, CAUSA NULLA SIT. In ipsum autem Christum, quod tertio die resurrexit, non crederemus, si fides Christianorum cachinnum metueret Paganorum. Cum autem hinc questionem non proposuerit amicus noster: Utrum credendum sit, vel Lazarum resuscitatum esse quarto die, vel ipsum Christum tertio die resurrexisse; Multum miror hoc, quod factum est de *Fona*, eam pro incredibile posuisse: nisi fortè facilius putet mortuum de sepulchro resuscitari, quam unum in tam vasto ventre bellæ potuisse seruari. Ut enim omitam commemorare quanta magnitudo belluarum marinarum, ab eis, qui experti sunt, indicetur: venter, quem, costæ ille muniebant, quæ Carthagine in publico fixæ, populo notæ sunt, quot homines in spatio suo capere posset, quis non conjiciat, quanto hiatus patebat os illud, quod velut janua speluncæ illius fuit? nisi fortè, ut posuit, vestis esset impedimento, ne *Fonas* devorari posset illæsus; quasi per angusta sese coarctauerit, qui per abruptum aeris præcipitatus, sic exceptus est, ut prius reciperetur ventre bestię, quam dente laceraretur. Quamquam Scriptura, neque nudum, neque vestitum in illud antrum dejectum esse dixerit, ut possit intelligi illuc etiam nudus irruisse, si fortè opus erat, tamquam ovo corium, ità illi vestem detrahi, quo facilius sorberetur. SIC ENIM SUNT HOMINES DE PROPHETÆ HUIUS VESTE SOLLICITI, QUASI, AUT PER FENESTRAM PARVAM IRREPSISSE, AUT IN BALNEAS INTRASSE DICATUR, QUO ETIAM, SI NECESSE ESSET, INTRARE VESTITUM, VIX MOLESTUM ESSET, NON TAMEN MIRUM. Sed habent reuera, quod non credant in Divino miraculo, vaporem ventris, quo cibi madescunt, potuisse ita temperari, ut vitam hominis conseruaret. Quanto incredibilis ergo proponerent, tres illos viros, ab impio Rege in caminum

mis-

Nota .

missos, deambulasse in medio ignis illesos? Quapropter, si nulla isti divina miracula volunt credere, alia disputatione refellendi sunt. NEQUE ENIM DEBENT UNUM ALIQUID, TAMQUAM INCREDIBILE PROPONERE, ET IN QUÆSTIONEM VOCARE, SED OMNIA; QUÆ VEL TALIA, VEL ETIAM MIRABILIORA NARRANTUR.

Ita Augustinus Ethnico, nosque ejus verbis Pseudo-Censoribus nostris, quorum si singulæ censuræ in miracula, quæ in Actis Martyrum leguntur, animadvertantur, ejusdem certè generis agnoscentur, ac illa, qua factum Jonæ Gentilibus, & incredibile, & ridendum visum est. Cogitationibus siquidem duntaxat humanis, gesta Divina ponderantes, quidquid humanum illorum judicium non æquat, inverisimile judicant; ac juxta naturam res considerantes, minus idoneè, minusque aptè, ex his, quæ cognoscunt, ea quæ supra naturam sunt, ac supra id, quod agnoscere possunt, metiri præsumunt. Nec rarò accidit (uti Augustinus idem observat), quod obcæcati, plus verisimile, ac credibile æstiment, quod est mirabilius; & è contra incredibile putent, quod minus mirandum est. Et uti illi de veste Jonæ solliciti, in Martyrum Actis de hoc, vel illo miraculo, tamquam incredibili, vehementissime declamitent, de Martyre verò incredibilia tormentorum, ignis, rotarum, aliarumque pœnarum genera læto animo perferente, nil prorsus mirentur; ac si majus esset terremotu Idolorum sanum, exempli gratia concidisse, quam inter Carnificum manus, excarnificato corpore, immobilem, ac totiùs penè perturbationis expertem, ac imperterritum Martyris animum constitisse. Vel igitur hoc non credant, & nulli jam Martyres sint, quos Martyres durissima, constantissimè usque ad mortem invictè sustinentes, credant; aut si id credunt, non habent certè cœtera quoque, quæ in eorum Actis prodigia leguntur non credant. Omnium enim judicio mirabilior semper constantia Martyrum erit.

Coeterum, cum juxta Valerium Maximum: *Miraculum res sit, quæ unde manaverit, aut qua ratione constitierit, dignoscere est arduum.* Quonam pacto Sapientes nostri de iis differere tam libero ingenio præsumunt? Si Deum,

*Valer. Max. in
Prol. ult. cap.
lib. 1.*

O o

abf-

absque necessitate miracula minimè patrare consuevissent, dicent, ideòque incredibile sibi videri quaedam operari voluisse: cogitent quæso, an ipsi fortè necessitatis, in qua Deus miracula patrare solet, Judices sint constituti, adeò ut eo tempore, eaque circumstantia grandia Deus miracula patrare nequiverit, quod id ipsi necessarium non judicaverint. Necessitatem siquidem patratorum miraculorum, quis alius novit, nisi ille ipse, qui miracula facit? Quis enim novit sensum Domini? aut quis Consiliarius ejus fuit? Tam insigne privilegium Pseudo-Censores nostri forsàn adepti sunt?

Rom. 11. v. 34.

Incredibilia rursus miracula ex eorum magnitudine videri minimè debent, Evangelium scientibus, in quo Christus pollicitus est, ac prædixit fideles suos, quæ ipse fecisset, opera facturos, imò illis majora facturos; ex qua Redemptoris nostri promissione, nil licet magnum, licet inusitatum merito incredibile videri potest. Quapropter, si aliud non habent, unde Acta Martyrum depravata contendunt, nil prorsus sibi causæ esse ultrò fateantur, cur illa censorio calamo perstringenda esse dijudicent.

Joan. cap. 13.

Sed ad eos hac in re refellendos, omnemque ulteriori disceptationi obstruendam viam, demò Augustinus audiatur, qui agens de mirabilibus, quæ naturalia appellantur, & sunt; ubi de illis Gentiles percunctati essent:

D. Aug. de Civit.
Dei lib. 21. pag.
787. cap. 7.

Respondere assolent: (inquit) vis est ista Natura, Naturæ eorum sic se habet, propriarum ista sunt efficaciæ Naturarum. Tota itaque (subjungit) ratio est, quod Agrigentianam salem flamma fluere faciat, aqua crepitare, quia hæc est Natura ejus. At hoc esse potius contra Naturam videtur, quæ non igni, sed aquæ dedit salem solvere: torrere autem igni non aquæ. Sed ista, inquirunt, salis hujus Naturalis est vis, ut his contraria patiantur. Hæc igitur ratio redditur, & de illo fonte Garamantico, ubi una vena friget diebus, noctibus fervet, vi utraque molesta tangentibus. Hæc & de illo alio, qui cum sit contrectantibus frigidus, & facem, sicut alii fontes extinguat accensam, dissimiliter tamen, atque mirabiliter idem ipse accendit extinctam. Hæc, & de Lapide Arbesto, qui cum ignem nullum habeat proprium, accepto tamen sic urdet alieno, ut non possit extinguui. Hæc de cæteris, quæ piget rete-

26-

scire, quibus licet vis insolita contra Naturam inesse videatur, alia tamen de ipsis non redditur ratio, nisi ut dicatur, hanc eorum esse Naturam. Brevis sane ista est ratio, fateor, sufficiensque responsio. Sed cum Deus Auctor sit Naturarum omnium, cur volant fortio- rem nos reddere rationem, quando aliquid, velus impossibile nolunt credere, eis- que redditionem rationis poscentibus respondemus, hanc esse voluntatem Omnipotentis Dei, qui certe non ob aliud vocatur Omnipotens, nisi quoniam quidquid vult potest, qui potuit creare tam multa? quæ si non ostenderentur, aut à credendis, bodieque testibus dicerentur, profectò impossibilia putarentur, non solùm quæ ignotissima apud nos, verum etiam, quæ notissima posui. Et inferius ubi pluribus egit de mirabilibus naturæ aliis, quæ quod ab Historicis prophanis litteris adnotata reperirentur, tuto credere se nolle dicit, uti ea, quorum ipse certissimum experimentum habebat, subjungit.

Nota:

Ibid. ut sup.

Cætera verò sic habeo, ut neque affirmanda, neque neganda decreverim; sed idem etiam ipsa posui, quoniam apud eorum, contra quos agimus, Historicos legi: UT OSTENDEREM QUALIA MULTA, MVLTIQVE ILLORVM NVLLA REDDITA RATIONE IN SVORVM LITTERATORVM SCRIPTA LITTERIS CREDANT, QVI NOBIS CREDERE, QVANDO ID, QVOD EORVM EXPERIENTIAM, SENSVMQVE TRANSGREDITUR, OMNIPOTENTEM DEVM DICIMVS ESSE FACTVRVM, NEC REDDITA RATIONE DIGNANTVR. Nam quæ melior, & validior ratio de rebus talibus redditur, quam cum Omnipotens ea posse facere perhibetur, & facturus dicitur, quæ pronunciasse ibi legitur, ubi alia multa pronunciat, quæ fecisse monstratur? Ipse quippe facies, quia se facturum esse prædixit, quæ impossibilia esse putantur, qui promisit, & fecit, ut ab incredulis gentibus incredibilia crederentur.

Sic Augustinus, cujus pro nostra assertione auctoritatem frustra infirmare contenderet, qui objicere auderet, hic illum de sacris libris agere, in quibus, quæ patranda prædicebantur miracula, in iis ipsis postea etiam facta recitabantur. Nam cum omnia miracula, quæ Christus facienda à fidelibus prædixit, in Sacris Libris minimè dumtaxat adnotanda pronunciat; uti in istis omnia contenta esse, nemo tam insipiens erit, ut credat, sic ex

eiusdem Redemptoris nostri promissione, ac prædictione alia etiam, quæ in aliis scriptis à fidelibus in nomine illius patrata miracula, recitantur, piè pariter credenda perhibentur. Majora siquidem illis, quæ ipse fecerat, ipsi miracula facere debuerunt. Nec promissionis veritas impleta dumtaxat in Petro (cujus corporis umbra infirmis sanitatem impertiebatur, quod majus his, quæ Christus fecisset, miraculum Patres censent) videretur, si Petrus tantum, majus Christo miraculum operatus esset; nam eiusdem Redemptoris nostri promissio, non ad Petrum tantum pertinuit, sed ad alios quoque, ut perspicuè ostendit indefinita illa Christi Domini promissio: *Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet.* Quapropter cum Dominus, & majora miracula patratos fideles prædixerit, & ipsa in Sacris Libris minimè comprehendi posse perspicuum sit, cum omnium fidelium hi gesta haud contineant; reliquum est, ut ubi grandia, ac inusitata ea prodigia, juxta verbum Domini leguntur, piè credenda sint, & juxta Augustinum credenda sint ex eo, quod Omnipotens ea facere potuit, & facturum dixit, quæ in Sacris Libris prænunciassè legitur, ubi alia multa prænunciavit, quæ fecissè monstravit. Et sicut multa, quamvis incredibilia, ac inverisimilia miracula naturalia apud prophanos Historicos reperiuntur, ac creduntur; pari etiam ratione æquum est, ut quæ in Actis Martyrum prodigia habentur, quamvis sensum, experientiamque transgredientia, credantur; quæque ne non credantur, Pseudo-Criticorum recensita argumenta suadere possunt.

Act. 5. v. 15.

Joannis 14.



CA-

CAPUT XVII.

Irrationabiliter de Miraculis rationem quæri. Incredibilis, ac inverisimilitudo Miraculorum unde procedat.

VERUNTAMEN homines infideles (inquit Augustinus ipse) quibus cum Divina, vel præterita, vel futura miracula predicamus, quæ illis experienda non valemus ostendere, rationem earum à nobis efflagitant rerum; quam quoniam non possumus reddere (excedunt enim vires mentis humana), existimant falsa esse, quæ dicimus: ipsi de tot mirabilibus rebus, quas vel videre possumus, vel videmus, deberent reddere rationem. Quod si fieri ab homine non posse viderint, fatendum est eis, non ided aliquid non fuisse, vel futurum non esse, quia ratio inde non potest reddi, quandoquidem sunt ista, de quibus similiter non potest.

*D. Aug. de Civit.
Dei lib. 21.
cap. 5. p. 782.*

Et quidem si hujusmodi experimento Pseudo-Censorum nostrorum amplissima tentarentur ingenia, ab iisque ratio tot mirabilium rerum, quas, vel videre possumus, vel videmus ratio reddenda esset; cum huic se operi impares fateri cogentur, vanissimum forsitan verbum illud, *hoc falsum est, illud incredibile est, id inverisimile est, jactare desinerent; & ided aliquid non fuisse, vel illud, aut aliud, quod in Martyrum Actis prodigium legitur, patratum non esse, tanta firmitate non pronunciarent, quia ejus ratio reddi non potest, aut quod illorum rationi non æquet; mirumque illis esse non deberet, quod ea, quæ supra naturam sunt, eorum mentibus satis non facerent, cum illarum exiguitatem in naturalibus ipsis defecisse cognoscerent.*

Importunæ igitur petitioni ipsorum, qua rationem exigunt, in cunctis, quæ legunt à Deo in Martyrum Actis patratæ miraculis, quorum nullum approbant, nisi quod propriæ rationi consentaneum judicant, Divinam Omnipotentiam intra vastissimos suarum rationum fines, ex quibus egredi non potuerit, circumcludentes, & dicentes:

Si

Id. ut sup. pag.
734.

Nota.

Si vultis, ut ea credamus, de singulis reddite rationem. Eiusdem Augustini verbis, respondendo: Nos non posse confirmari: eo quod istis, & similibus Dei miris operibus, infirma mortalium ratiocinatio vinceretur: fixam tamen apud nos esse rationem, non sine ratione Omnipotentem facere: unde animas humanas infirmas rationem non potest reddere: & in multis quidem rebus incertam esse quid velit: illud tamen esse certissimum nihil eorum illi esse impossibile, quacumque volueris &c.

» **HI TAMEN FIDEI REPREHENSORES, EXACTORESQUE RATIONIS, quid ad ista respondent, de quibus ratio reddi ab homine non potest, & tamen sunt, & ipsi rationi natura videntur esse contraria? Quid igitur dicunt Pseudo-Censores, hoc verisimile non est, illud incredibile est, ergo non fuit, ergo confictum est?**

D. Aug. lib. 22. de
Civ. Dei c. 5.
pag. 813.

Nota.

Sed valde quidem mirandum est, quod eo perfectionis, ac acuminis suis hisce censuris se pervenisse hodierno tempore jactent, ut superiorum omnium seculorum homines doctos, ac indoctos, quod Acta Martyrum, in iisque relata miracula credibilia, ac verisimilia crediderint, irridere non vereantur. Verum (inquit Augustinus ipse)

» *Si rem credibilem crediderunt, videant quam sint stolidi, qui non credunt. Si autem res incredibilem credita est, etiam hoc utique incredibile est, sic creditam esse, quod incredibile est.*

» Non igitur in Martyrum Actis miracula incredibilia sunt, quippe quæ credita sunt, sed incredibilia videntur, vel illis, qui se multum scire præsumunt, vel qui credere nolunt: ideoque incredibilitas, inverisimilitudo, atque alia hujusmodi, quæ Censores perspicacissimo suo acumine in illis detegunt, nullatenus Actorum, & Miraculorum, quæ credenda sunt, esse potest. Credibilia, enim, ac verisimilia ea esse, illud comprobatur, quia credita sunt; sed oculi est nequam, ex quo tam tenebrosum iudicium procedit.



CAPUT XVIII.

Plura miracula, quæ facta in Actis Martyrum leguntur credenda. An Christus, ejusque Apostoli pauca, vel multa miracula fecerint. Cur fecerint? Ratio præcipua patratorum miraculorum eo tempore, quo Martyrum passi sunt. Plura ad fidem propagandam necessario patranda miracula.

INCREDIBILIA videntur miracula quædam; sed tamen fortè incredibilius, tot, tantaque patrata fuisse, quanta Acta Martyrum referunt. Verum quisquis hoc objicit magnum ipse est prodigium, dum incredibile putat id, per quod magis mundus credidit, vel in fide firmatus est; & necessarium fuit ad hoc, ut crederet mundus, qui minime credidisset, nisi, & magna, & plura signa vidisset, per quæ ad credendum, quodammodo compulsus esset. Cum autem miracula nil aliud sint, quam veræ fidei, ac Divinitatis testimonia; quo quæso pacto Martyrum Actis, ubi plurimorum Scriptorum eis testimonia non suffragantur non credendum pronunciant; deinde fidei, Divinitatis, ac veritatis testimonia refellunt, ex eo quod plura sint? Quæ, inquam, inæquissimi forma Judicii, ut illud non credatur, quod pluribus testimoniis confirmatum non sit; & similiter, quod pluribus testimoniis confirmatum sit, non credatur? Vel credendum est, quod à paucis asseritur, vel non credendum; si primùm, non igitur Acta Martyrum reipuant, quod paucorum testimoniis asserita sint; si secundum, non ergo plura miracula, quibus fides, Divina Omnipotentia, ac fortissimorum Christi Athletarum virtus confirmata est diffiteantur; nec soli ex eo non credendi argumentum sumant, unde cœteri magis credere; prævaleatque in æquo judicio testium plurium auctoritas, si damnationis sententia, ubi illa defecerit, est pronuntianda. Si signa inter Judæos Christus non fecisset, & magna, & his plura, quæ alius umquam fecisset, Judæi ipsi peccatum non habuissent; sed quia fecit de peccato
ex-

excusationem non habuerunt. Et sic pariter, si signa pauca, ac minima in Martyrum Actis legerentur, magis eos non credere, quod sunt, rationabile videretur, habendique quodammodò essent, debiles, ac infirmi testes veritatis; nunc autem, quod pluribus signis claruerint, qua ratione ex hoc ipso sunt respuendi?

Et certè ut iis, qui talia objiciunt, ritè respondeatur, interrogandi sunt, an Christus, ejusque Apostoli multa vel pauca miracula fecerint? Deinde cur fecerint? Fecisse siquidem plura miracula Evangelicæ fatis superque paginæ ostendunt, & inter Evangelistas, præ aliis Joannes illis verbis testatur. *Sunt, & alia multa, quæ fecit Jesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.* Ubi Cyrillus Alexandrinus: *Magna (inquit) multitudo signorum Domini, & immensus numerus est.* Et inter Apostolos, Paulus ad Thessalonicenses scribens: *Evangelium nostrum (dicit) non fuit ad vos in sermone tantum, sed & in virtute, & in Spiritu Sancto, & in plenitudine multa, idest (explicant) potentia, & efficacia miraculorum confirmatum fuit, pluribus videlicet, ac magnis editis miraculis.* Quod Augustinus de omnibus insimul Apostolis confirmat, dicens. *Eloquia namque persuadentium (videlicet Apostolorum) quæ dicebant MIRA FUERUNT FACTA, NON VERBA. Qui enim Christum in carne resurrexisset, & eam illa in Cælum ascendisse non viderant, id se vidisse narrantibus, NON LOQUENTIBUS TANTUM, SED ETIAM MIRIFICA FACIENTIBUS SIGNA CREDEBANT. Homines quippe, quos unius, vel ut multum duarum linguarum fuisse noverant, repente linguis omnium gentium loquentes, mirabiliter audiebant. Claudum ab uberibus matris ad eorum verbum in Christi nomine post quadraginta annos incolumem constituisse. Sudaria de corporibus eorum ablata, sanandis profuisse languentibus, in via, qua fuerant transituri positos in ordine innumerabiles morbis variis laborantes, at ambulantium super eos umbra, transiret, continuo salutem solere recipere; & alia multa stupenda in Christi nomine per eos facta signa, postremo etiam mortuos resurrexisse cernebant.*

Nemo igitur ambigere potest plura, immo innumera, tum à Redemptore nostro, tum ab ejus Apostolis patrata mi-

Joan. ultimo.

D. Cyrill. Alex.
in Jo. Evang.
lib. 12. cap. 68.
pag. 1056.
Ad Thessalon. c. 1.
Cornel. d. Lapid.
ibid.

D. Aug. de Civit.
Dei lib. 22.
cap. 5. p. 213.
tom. 5.

miracula fuisse. Cur autem patrata fuerint, jam ex Augustino dictum est, ut nempe: *Non loquentibus tantum, sed etiam mirifica signa facientibus, homines crederent.* Quare ante Augustinum Lactantius. *Discipuli vero (videlicet Christi) per provincias dispersi, fundamenta Ecclesie ubique posuerunt, facientes, & ipsi nomine Magistri Dei, magna, & penè incredibilia miracula, quia discedens instruxerat eos virtute, ac potestate, qua posset novæ annunciationis ratio fundari, & confirmari; sed & futura aperuit illis omnia, quæ Petrus, & Paulus Roma prædicaverunt &c.* Ut ergo homines ad fidei veræ agnitionem pervenirent, miracula, & plura miracula, & innumera miracula patranda fuere. Et quidem cum Dæmones ipsi in superstitionis barathrum alia ratione homines haud pertraxissent, quam iis, quæ confixerant, prodigiis; ea illos etiam ad sui agnitionem Deus Omnipotens pertrahere voluit. Non enim (ut Augustinus observat) se aliter colendos esse, nisi mirabilibus operum effectibus persuaserunt.

Ut supra:

Laſt. Divin. Inſt.
lib. 4. cap. 21.
pag. 583.

D. Aug. de Civitate
Dei lib. 10.
cap. 18. p. 317.

Ad hoc igitur, ut verus Deus Jesus Christus haberetur, ac coleretur, miracula plura tum ab eo, tum ab illius Apostolis operari oportuit. Nec modo ab illis, sed etiam ab eis, qui per illos credituri essent, ad quos illa ejusdem Salvatoris promissio pertinuit. *Signa autem eos, qui crediderint hæc sequentur: In nomine meo Dæmonia ejicient: linguæ loquentur novis: serpentes tollent: & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: Super agros manus imponent, & bene habebunt.* Qua propter ad probandam, firmandam, propagandamque Christi fidem primis Ecclesie temporibus, omnes ferè Christianos miracula fecisse, vel saltem aliqua; verbi gratia, ut Dæmones ab energumenis depellerent, ex Justino in Dialogo contra Triphonem, ex Tertulliano in Apologetico, ex Lactantio, & aliis evidentissimè patet: plerosque etiam in Baptismo linguarum donum accepisse, ex Actorum cap. 10. vers. 49. & cap. 19. vers. 6. apparet.

Marc. 16. v. 17.

Tota igitur patrandorum innumerabilium penè miraculorum ratio, fidei, ut mox diximus, propagatio, ac comprobatio fuit; eaque necessaria fuerunt priusquam crederet mundus, ad hoc, ut crederet mundus (inquit

Pp

Au-

D. Aug. de Civit.
Dei lib. 22. cap.
8. pag. 817.

D. Greg. homil.
29.

Ibid. us sup.

Augustinus). *Nam facta esse multa miracula, quæ attestantur illi uni grandi, salubrique miraculo, quo Christus in Cælum cum carne, in qua resurrexit, ascendit, negare non possumus. In eisdem quippe veracissimis libris cuncta conscripta sunt, & quæ facta sunt, & propter quod credendam, facta sunt. Hac ut fidem facerent innotuerunt, hæc per fidem, quam fecerunt, multo clarius innotescunt. Vel ut dicit Gregorius. Ut fides cresceret credentium miraculis fuit nutrienda; quia & nos cum arbuta plantamus, tandiu eis aquam fundimus, quousque ea in terra convalescere videamus: & si semel radicem fixerint à rigando cessamus. Non quod in vera Catholica Ecclesia postquam toto Orbe fides diffusa est miracula omnino non operentur: Nam etiam nunc fiunt miracula (inquit Augustinus) in ejus nomine, sive per Sacramenta ejus, sive per orationes, vel merita Sanctorum ejus, sed non eadem claritate illustrantur, ut tanta, quanta illa, gloria diffamantur.*

Considerandum est ergo Censoribus nostris, utrum eo tempore, quo Martyres, de quibus potissimum agimus, plura, quæ calumniatur patrarunt miracula, propagandæ, ac comprobandæ coram Gentilibus fidei, ratio desierit; & an ejus arbutum tunc adeo radices altas in mundo fixisset, ut propterea à miraculorum rigatione cessandum esset. Atque ubi hoc ostenderint, ac probaverint, quod neutiquam facere potuerunt; pauca dumtaxat quæque libuerit, miracula admittant, coetera (ut faciunt) conspuant, ac rejiciant. Verùm si contrarium constiterit, eoque tempore, quo Martyres passi perhibentur, non modo veræ fidei pars maxima Gentium nomen non dederat, non modo homines eam non fovere, sed quanto potuere conatu Tyranni Principes tenerum virgultum evellere studere; quis tam vecors est, ut miraculorum rigationem, opportunissimo tempore subtraxisse Omnipotentem Deum putet? Neque enim tribus prioribus seculis (videlicet usque ad magnum Constantinum), adeo Evangelica satio peracta erat, ut idè à miraculis, per quæ ferebatur cessandum esset; imò tunc ea actu ferebatur, ferique non poterat, nisi (Divinam ejus veritatem Divinitas veritatis, seu veritas Divinitatis) constantia miraculorum signa monstrarent:

rent: *Ut terrentibus* (ait Augustinus, de Resurrectione carnis Christi, atque in Cœlos ascensione dislerens), *ac contradicientibus, tam multis, tamque magnis persecutionibus, procedens in Christo, deinde ad novum seculum in cœteris seculura resurrexio, atque immortalitas carnis, & fidelissime crederetur, & predicaretur intrepide, ET PER ORBEM TERRÆ PULLULATURA FOECUNDIUS CUM MARTYRUM SANGUINE SEERERETUR. Legebantur enim præconia præcedentia Prophetarum, CONCURREBANT OSTENTA VIRTUTUM, & persuadebatur veritas, nova consuetudini, non contraria rationi, donec Orbis terra, qui persequebatur furore, prosequeretur fide.*

D. Aug. de Civit.
Dei lib. 22.
cap. 7. p. 317.

Nota:

Si igitur tempus id ferendi fuit, imò sanguine Martyrum, concurrentibus virtutum ostentis, satum est; si plantationis tempus, imò inter persecutionum drumeta, ferendi fidem, ac plantandi tempus; quo quæso pacto, ostenta virtutum, ac copiosa miraculorum rigatio cessare debuerat? Aut quam alia ratione, quo magis præmebatur, eo magis multiplicari, augeri, ac in immensum inter hominès se extendere poterat? *Quinam isti sint* (liceat hic Arnobii verba usurpare) *fortasse quæritis? Gentes, populi, nationes, & incredulum illud genus humanum. Quod nisi aperta res esset, & luce ipsa, quemadmodum dicitur, clarior, numquam rebus hujusmodi (fidei scilicet) commodarent assensum. An numquid dicemus illius temporis homines, usque aded fuisse vanos, mendaces, stolidos, brutos, ut quæ numquam viderant, (apta hæc, si libet, coevis Actorum Martyrum Conscriptoribus) vidisse se fingerent: & quæ facta omninò non erant, falsis producerent testimoniis, aut puerili assertione firmarent? cumque possent cum Gentilibus, & unanimiter vivere, & inoffensas ducere conjunctiones, gratuita susciperent odia, & execrabili haberentur in nomine?*

Arnob. lib. 1. ad-
vers. Gent.

Quod si falsa, ut dicitis historia illa rerum est (accipe id non modo de sacris Historiis, de quibus Arnobius dislerit, verum etiam de Martyrum Actis, de quibus loquimur) *unde tam brevi tempore totus mundus, ista Religione completus est? aut in unam coire, qui potuerunt mentem, gentes Regionibus diffusa, ventis, Cælo, convexionibusque dimicta? Et si de singulis iis agimus, qui furentibus persecutionum, acerbioribus procellis Christo nihilominus adhæserè, in*

certissimumque idcirco se, suaque omnia objecere discrimen; de hujusmodi personis dicendum ne erit, quod *asseruationibus illecta sunt nudis, indulta in spes cassas, & in pericula capitis immistere se sponte temeraria desperatione voluerint*, CUM NIHIL TALE VIDISSENT, QUOD EAS IN HOS CULTUS NOVITATIS SUÆ POSSET EXCITARE MIRACULO? Imò quia hæc omnia. & ab Ecclesiæ exordio à Christo capite cernebant geri, & ab ejus præconibus, nimirum Apostolis, aliisque, qui eum post illos prædicarunt, quique per Orbem totum missi, beneficia Patris, & munera sanandis animis, hominibusque portabant; veritatis ipsius vi victæ, & dederunt se Deo, nec in magnis posuere dispendiis, persecutoribus membra projicere, & viscera sua lanianda præbere. Imò in ipsa laceratione membrorum, ac artuum, quonam pacto immobiles, imperterriti, permansissent, si prodigiis, ac signis plurimis, sæpissimè patratis Deum sibi adesse Martyres non sensissent?

CAPUT XIX.

Contra Miracula, quæ in Actis Martyrum leguntur, frustrà allatum Arnobii testimonium. Cur non rejicienda scripta, quæ plura Miracula referunt. Pseudo-Censorum objectiones diluuntur. Qua ratione, quorumve monumenta rejicienda, in quibus Miracula recitantur. Metaphrastes vindicatur. Et de falso dictis Metaphrasticis Scriptoribus.

*Arnob. ibid. ut
sup.*

AT jam cum Gentilibus Pseudo-Censores nostri, contra inverisimilia, incredibilia, ac plura miracula, illud objiciunt, quod Arnobius refert, ut supra innuimus, his verbis. *Sed Conscriptores vestri mendaciter ista prompserunt, extulerunt in immensum exigua gesta, & angustas res, satis ambitioso dilatavere præconio. Respondeatque illis. Arnobius ipse, ut perpetuò obmutescant: Atqui utinam (dicens) cuncta referri in scripta potuissent, vel quæ ab ipso (videlicet Domino) vel, quæ ab ejus præconibus, pari jure, & potentia terminata. Magis vos incre-*
du-

Autos faceret vis tanta virtutum ; aut apprehendere locum, fortasse possetis, quo videretur esse simillimum veri, & incrementa rebus apposta, & inditas scriptis, & commentariis falsitates. Deinde addit. Sed neque omnia conscribi, aut in aures omnium pervenire potuerunt gesta gentibus in ignotis, & usum nescientibus litterarum. Tantum abfuit ut Arnobius objectæ à Gentilibus calumniæ de magnis, incredibilibus, ac plurimis à Christo, Apostolisque ejus patratis miraculis, cedendum putaverit ; quin potius ex illis plura multò, ac magna scripto tradita non fuisse responderit. Quis autem ambigere potest, jure eadem dicenda Pseudo-Censoribus, qui ex hoc ipso Actis Martyrum detrahunt, qui Ecclesiam, ac fidem, & ipsi suo sanguine, verbis, ac signis propagarunt ; quod videlicet, si cuncta, quæ à Martyribus ipsis Divina virtute, ac potentia peracta sunt, scripta essent, magis eos vim tantam virtutum facturam incredulos ?

Alias etiam rationes, & quidem validissimas Augustinus excogitavit, quibus hujusmodi ab Ethnicis appositam difficultatem dilueret ; nam lib. decimo de Civitate Dei. *An dicet aliquis (ait) ista falsa esse miracula ? Quisquis hoc dicit, si de his rebus negat omnino ullis litteris esse credendum, potest etiam dicere, nec Deos ullos curare mortalia. Non enim se aliter colendos esse persuaserunt, nisi mirabilibus operum effectibus, quorum, & Historia Gentium testis est, QUARVM DII SE OSTENTARE MIRABILES, POTIVS QUAM VTILES OSTENDERE POTVERE.*

Subtilissimum sanè argumentum, quo, ex negatis, vel (ut objicitur) falso scriptis miraculis, ideòque nullis litteris credendum esse ea referentibus, absurdissimum, illud educi ostendit, nec ullos Deos mortalia curare. Cum enim illi haud aliter se colendos, nisi miraculis persuaserint ; hominum culturam sprevisse, adeoque etiam curam aspernati esse viderentur, si mirabilia non patrasent, quibus curam hanc ostentassent, hominumque obsequium sibi conciliassent. Quapropter nullis insuper litteris credendum esset, quibus eorum de rebus humanis cura commendaretur.

At eadem ratione contundenda esse tela Pseudo-Censor-

D. Aug. de Civ.
Dei lib. 10.
cap. 28. p. 317.

forum nostrorum in miracula, perspicuum est. Falso eâ conscripta pronuntiatis? Ergo veræ fidei propagationem, insignemque pro ea Dei Omnipotentis providentiam, summumque pro Ecclesiæ dilatatione, hominumque salute, studium ejus, negatis. Igitur eandem fidei toto orbe propagationem, factam post Apostolos, per Christi Martyres, diffitemini. Igitur falsa sunt, quæ de illa Ecclesiasticæ cunctæ Historiæ testantur. Nam si Deus haud aliter se colendum esse persuasit (ut supra ostendimus) quam miraculis, & pluribus, & magnis, incredibilibusque miraculis; si ista falso conscripta sunt, sequitur etiam falso conscripta esse, quæ de illius cultura primum, ac deinde de illius providentia narrantur. Sine miraculis enim hæc esse non potuerunt, unde si miracula, uti scripta sunt, non fuere, nec Providentia, nec cultus fuit, & cultum hominum. Deus non quæsiuit, quia se miraculis colendum hominibus non persuasit. *Porro autem, si multorum Deorum cultores, (qualescumque Deos suos esse arbitrentur) (subjungit Augustinus) ab eis facta esse miracula, vel civilium rerum Historia, vel libris Magicis, sive quod honestius putant, theurgicis credunt; quid causæ est, cur illis litteris nolint credere, ista facta esse, quibus tanto major debetur fides, quanto super omnes est magnus, cui uni soli sacrificandum præcipiunt?*

Ibid. ut sup.

Sic ille de sacris Libris; at nos de Martyrum Actis, eodem prorsus argumento. Si enim inanium Deorum cultores, qualescumque Deos suos arbitrati sunt, ab eis facta esse miracula, vel civilium rerum Historiæ, vel libris Magicis, sive quod honestius putaverint theurgicis credere; quo cæcitatibus se pervenisse illi non animadvertunt; qui ipsis Gentilibus deteriores, Martyrum Actis, piè, ac sincerè, à piis hominibus (ut perspicuè apparet) concinnatis, quod plura miracula referant, credendum non existimant?

Sed illud nobis objicient; si miracula cuncta, quæ in libris leguntur credenda sunt, aut credibilia sunt, igitur erendum etiam erit falsis miraculis, quæ in ipsis Paganorum libris habentur; ergo superfluum est, ut de miraculorum veritate in Romana Ecclesia quæstio instituta sit. Verùm nos hic, non de miraculis dubiis agere, de quibus

in

In genere miraculorum adhuc in Ecclesia differitur, an vera miracula sint, vel non, satis superque apparere credimus; sed de certis miraculis, vel ut melius dicamus, de miraculis, quæ jam explorata habita sunt, & tanquam certa scripto sunt demandata. De his igitur, ejusdem Augustini, simile quid sibi obijcientis, sententiam proferamus. *Hic fortè respondeant (inquit) : Prorsus nec ista sunt ; (nempe miracula) nec ista credimus , falsa de his dicta , falsa conscripta sunt , & adjiciant ratiocinantes , atque dicentes : Si talia credenda sunt , credite , & vos , quod in eadem litteras est relaturn , fuisse , vel esse quoddam Veneris fanum , atque in eo candelabrum , & in eo lucernam sub dio sic ardentem , ut eam nulla tempestas , nullus imber exstingeret : unde sicut ille lapis , ita (ista) idest lucerna inextinguibilis nominata est . Quod propterea potuerunt dicere , ut respondendi nobis angustias ingerant : quia , si dixerimus non esse credendum , scripta illa miraculorum infirmabimus : si autem credendum esse consenserimus , confirmabimus numina Paganorum .*

D. Aug. de Civit.
Dei lib. 21.
cap. 6. p. 785.

Hanc igitur objectionem sic ille solvit. Se in primis minimè necesse habere omnia credere, quæ Historia Gentium refert, cum ipsi inter se Gentiles Historici, sicut ait Varro, quasi data opera, & quasi ex industria, per multa dissentirent; sed ea, si vellet, credere, quæ tamen libris, de quibus non dubitaret esse credendum, minimè adversarentur.

Secundo. De Miraculorum locis, sibi ad ea, quæ futura persuadere incredulis volebat, satis illa sufficere, quæ ipse quoque experiri poterat, eorumque testes idoneos, haud difficile esse invenire.

Tertio. De Fano Veneris, & inextinguibili lucerna, non solum se in nullas coarctatum esse angustias, verum etiam latitudinis sibi campum apertum esse. Se addere enim, dicit, ad istam lucernam inextinguibilem, & humanarum, & magicarum, idest per homines Dæmoniarum artium, & ipsorum per se ipsa Dæmonum, multa miracula. Quæ si negare voluisset, eidem ipsi, cui credebatur Sacrarum Litterarum veritati adversaretur. De his à Dæmonibus editis signis hæc tandem pronuncians. *Sunt ergo*

ergo facta eorum plurima, quæ quanto magis mirabilia confirmemur, tanto cautius vitare debemus. Si enim hac immundæ Dæmones possunt, quanto potentiores sunt Sancti Angeli, quanto potentior his omnibus Deus, qui tantorum miraculorum effectores etiam ipsos Angelos fecit?

Sic ex eo tantum se rejicere posse, quæ in Gentium Historia continentur prodigia Augustinus dicit, (ut audistis), quod Historici ipsi Gentiles, quasi data opera, & quasi ex industria per multa inter se dissentirent; unde etiam ab illis recensita miracula credere necesse non haberet, sed de his liberum sibi esse credere, quæ his, quæ credere oportebat, contraria omnino non esse compertum esset. Naturalia autem miracula, quod quisque ea experiri, ac intueri posset, credenda esse pronunciat. Uti demum credenda pariter artibus Dæmonum patrata (fictè licet) miracula, ne Sacrarum Litterarum veritati adversetur; ut eo cautius vitarentur, quo mirabiliora faterentur.

Ut scripta igitur ritè denegentur asserta miracula; sat non est, quod vel naturalia esse deprehendantur, vel Dæmonum artibus peracta; sed illud ab Augustino requiritur, ut quasi data opera, & quasi ex industria in Historiis, quæ ea referunt inter se Scriptores dissentiant; vel aliud, quod his, quæ certè credenda sunt, contraria reperiantur. Ponamus igitur, ut duo hæc, quæ à credendis Gentilium Historiis Augustinum abduxere, in Actis Martyrum offendantur; & tunc miracula ab illis enarrata, sive pauca, sive plura, minima, vel grandia, & incredibilia fuerint libentissimè respuemus.

At huic certè argumento (respondebunt Pseudo-Censores), ex eo quidem quod in multis dissentiant Scriptores, qui Acta Martyrum exararunt, relata ab eis miracula se rejecisse. Verum quod à cœteris Scriptoribus illi dissentiant, non sufficit, nisi quasi data opera, & ex industria id factum esse, Censores ostendant. Neque officit, quod à prophanis Scriptoribus dissentiant, cum eorum certè, aut parva, aut nulla habenda sit ratio, quos quasi ex industria, & data opera etiam inter se dissentientes fuisse dictum est. Probenz igitur quod quasi data opera, & ex indu-

dastria Actorum Martyrum Auctores inter se disenserint ; & eorum narrationes , ac recensita ab illis miracula , cum illis pariter rejiciemus .

Hoc perspicuum esse subjungunt , nam Monachorum , aliorumque vafritie factum esse asserunt , ut plura miracula Martyrum Actis superaddita legantur , per quæ à primævis Actis dissentiant . Et ratiocinantes addunt , glossis , explicationibus , atque additionibus omnes ferè libros corruptos esse ; idque frequenter adeo antiquitus factum , ut vix Codex reperiri queat , ubi hæc non reperiantur . In cujus rei testimonium , inter alia Acta S. Martyris Bonifacii proferunt , quæ antiqua , ac sincera habent , in quibus cum ipse dicatur capite plexus , Metaphrastes , qui ab eo hoc nomen sortitus est , quod aliis phrasibus ab his , quibus exarata erant , Acta Sanctorum conscripserit , addit , ex ejusdem Martyris vulnere , lactem , ac sanguinem manasse . Quare de eodem Metaphraсте Bellarminus . *Scrispsit* (inquit) *Vitas Sanctorum per singulos menses , quas habemus latinitate donatas in tomis Aloysii Lipomani , & ex parte apud Surium de Vitis Sanctorum . Illud autem est observandum à Metaphraсте scriptas fuisse Historias de Vitis Sanctorum , multis additis ex proprio ingenio , non ut res gesta fuerunt , sed ut geri potuerunt : addit enim Metaphrastes multa colloquia , sive Dialogos Martyrum cum persecutoribus , aliquas etiam conversiones astantium Paganorum in tanto numero , ut incredibiles videantur : denique miracula plurima , & maxima in everfione Templorum , & Idolorum , & in occisione persecutorum , quorum nulla est mentio apud veteres Historicos . Sic ille .*

*Bellar. de Scrip.
Ecclesiast. ab
an. Dom. 800.
ad 900. De
Sim. Metap.
850. pag. 251.*

Addunt etiam in Oratione Leonis Imperatoris , de laudibus S. Nicolai , qui innumeris claruisse miraculis dicitur , vel unum saltem ex illis non memorari ; ex quo illud elicitur (inquit) , in his conscribendis veteres cautiore fuisse .

Verum dum inter veteres istum in primis recensent Leonem , inter veteres , inquam , quibus solis scribendi sinceritas cordi fuisse putatur , quique in miraculis vel credendis , vel scripto mandandis cautiore fuisse æstiman- tur , manifestissimi erroris convincuntur ; nam Leo Im-

Q

pe-

Baron. tom. 10.
An. 911.
Bellar. de Script.
Eccles. sec. 10.
ab an. 900. ad
100. De Leon.
sap. pag. 297.

perator seculo decimo floruit, ut Baronius, & Bellarminus, cœterique Auctores referunt; eumque mortuum Baronius ipse anno 911. dicit. Quare si hoc seculo, hisque temporibus singularis cautela ejusdem Leonis ex eo prædicanda dignoscitur, quod nec unum quidem, ex innumeris S. Nicolai miraculis in medium protulerit; igitur falsum est (quod passim Pseudo-Censores effutire solent) his seculis, nempe nono, decimo, & undecimo, additionibus Sanctorum Historias fuisse corruptas, cum ex Leonis exemplo contrarium appareat; videlicet, & tunc uti antea, vel post, Scriptores fuisse, qui ab hujusmodi, explicationibus, vel additionibus abhorrent.

Quod autem pertinet ad Bellarmini censuram, cui Censorum nostrorum illæ innixæ videntur, de Simeone, Metaphraсте; cum, insignissimi Scriptoris bona venia, exoptandum esset, ut comprobasset illum Sanctorum Gestis, quæ narravit, ex proprio ingenio plura addidisse, non ut res sese habuerant, sed ut se habere poterant, puta colloquia, & dialogos Martyrum cum persecutoribus, conversiones adstantium Paganorum, & alia hujusmodi. Nam si id astruere conatur, ex Actis Martyrum aliis, uti ex Sancti Bonifacii illo, quod retulimus, per quod distare Gesta S. Bonifacii pura, ac sincera, ab aliis ejusdem à Metaphraсте exaratis velit; infirmum, hoc sanè ac ambiguum est fundamentum, ex quo id educi valeat, nam, ut dicit sæpè Augustinus. *Nilil interest veritatis, si alius aliquid tacet, quod alius commemorat.* Unde ex eo, quod illa, quæ dicuntur sincera Acta, nil referant emanati ex vulnere Bonifacii lactis, ac sanguinis, idque Metaphraстis Acta commovent; inferri nullatenus potest hoc à Metaphraсте eodem excogitatum, nam verissimè id scribere potuit, vel ex aliis, quæ tunc extarent fusioribus Actis acceptum, vel ex aliis monumentis sincerissimis desumptum. Et ubi non comprobatur, quæ narrat, certissimè ipsum excogitasse, ex eo tantum, quod aliquid dixerit, quod alius non dixit, inferri nequit finxisse; nam uti probari non potest eum, qui primum Acta scripsit, omnia, quæ accidissent, dixisse; ita improbari non debent, quæ Metaphrastes dixit, ex eo, quod ille ipsa prætermisit, cum plura dicere ve-

D. Aug. de Conf.
Evang. lib. 3.
cap. 8. p. 190.
Ibid. cap. 14.
p. 194. & c. 15.
& c. 20. p. 195.
cap. 26. p. 196.

verissima potuerit, quæ ille non dixit; idèdque uti non dicendum, quod propterea Metaphrastes, & Actorum alter Scriptor, inter se dissentientes fuerint; ita æquius iudicandum, non prioribus Sanctorum Actis Metaphrastem aliquid addidisse, sed potiùs supplevisse, quæ illis deerant.

Dixisse autem aliis phrasibus, vel pluribus verbis, quæ alia Acta dicunt, nil officere veritati, jam supra multis ostendimus. Miramur autem Bellarmino Dialogos inter Persecutores, ac Martyres displicuisse, cum certè prolixiora multo magisque, in Prætorialibus iisdem Actis, quæ aliis sinceriora, ut vidimus, Censores habent, legantur. Incredibiles etiam cur ei visæ sint aliquæ copiosæ Paganorum conversiones haud intelligimus; cum uno Petri sermone animarum circiter tria millia Baptismum suscepisse Apostolorum Acta referant. Cum enim idem Spiritus, qui per os Petri locutus est, juxtà Redemptoris nostri promissionem, per os quoque Martyrum loqueretur; quis credere prohibet, vel meliùs, cur non credendum in audientium cordibus, sive pauci essent, sive plures, similes his, quæ per Petrum fecit, per Martyres quoque eundem spiritum mirandos effectus peperisse?

Ab. 2. 14

Multo autem minus Metaphrastes veritatem læsisse, dicendus est, si Metaphrastis nomen sortitus est, quod metaphoris usus sit, ut Censores insimulantes dicunt. Tropos enim, metaphoras, ac hujusmodi alias eloquentiæ figuras, quis umquam tam insipiens fuit, ut mendacia putarit? Quare Augustinus de Jacob agens. *Jacob* (inquit) *quod matre fecit Auctore, ut patrem fallere videretur, si diligenter, & fideliter attendatur, non est mendacium, sed mysterium. Quæ si mendacia dixerimus, omnes etiam parabola, ac figura significandarum quarumcumque rerum, quæ non ad proprietatem accipiendæ sunt, sed in eis aliud ex alio est intelligendum, dicentur esse mendacia. Quod absit omnino. Nam qui hoc putat tropicis etiam tam multis locutionibus omnibus potest hanc importare calumniam, ita ut hæc ipsa, quæ appellatur METAPHORA, hoc est de re propria, ad rem non propriam verbi alicujus usurpata translatio, possit ista ratione mendacium nuncupari. Cum enim dicimus fluctuare segetes, gemmare vites, floridam juventutem, niveam canitiem, procul dubio flu-*

D. Aug. de mendac. ad Consent. cap. 10. tom. 2. pag. 16.

flus, gemmas, flores, nivem, quia in his rebus non invenimus, in quas aliunde hæc verba transtulimus, ab istis mendacia putabuntur. Et Petra Christus, & cor lapideum Judæorum. Item Leo Christus, & Leo Diabolus, & innumerabilia dicentur esse mendacia. Quid, quod hæc tropica locutio, usque ad eam pervenit, quæ appellatur *Antiphrasis*, dicatur, ut abundare, quod non est: dicatur dulce quod acidum est, lucus, quod non luceat: parca, quod non parcant. Unde illud est in *Scripturis Sanctis*: [Si non in faciem benedixerit tibi;] quod Diabolus ait Domino de Sancto Job: & intelligitur maledixerit. Quo verbo, & Nabuthai fictum crimen à calumniatibus nominatum est. Dicitur enim, quod [benedixerit Regi:] hoc est maledixerit. Hi omnes modi locutionum mendacia putabuntur, si locutio, vel actio figurata in mendacio deputabitur. Sic Augustinus.

Quod ergo Metaphrastes à metaphoris dictus sit, quod figuratè locutus, ac metaphoris usus sit, quid inde? Igitur mendacia sunt, quæ scribit, ergò vera non sunt, quæ dicit, ergò sunt, ut omninò falsa, rejicienda, quæ profert?

Sed vix tolerandum est, quod ex mendacissimo crimine, quod Metaphrasti impingunt, educere præsumunt. Ubi enim inter legendum Acta Martyrum aliquid offenderint, quod incredibile, ac extraordinarium illis videatur, *Metaphrasticum* pronunciant, & uti *Metaphrasticum*, videlicet *commentitium* penitè rejiciendum dicunt. Quænam est quæso forma ista iudicii? Si omne, quod Metaphrastes scripsit falsum est, omne, quod Metaphrastes est, damnetur, ac rejiciatur. Si non omne; cur omne rejicitur, nonne sufficit ut damnetur, quod falsum est? Sed sit quod omne, quod illius est, damnandum sit; igitur damnandum etiam, quod illius non est, ex eo tantum, quod simile ei sit? Quænam est, inquam, ista forma iudicii, in quo sola criminis, (ut supponitur) similitudo crimen sit, sitque ut crimen puniendū? Pudeat enimverò, Catholicæ saltem Religionis Professores, nobilissimi hujus Viri, piissimique Scriptoris nomen traducere, postquam, non solum ex Catholicis doctissimus Allatius, in Diatriba de Simeonum scriptis, hunc nostrum, accuratissimè recensitum, ab ejusmodi scommatibus vindicavit, verum etiam

non

non ita pridem Anglicanæ Sectæ homo Gulielmus Cave, Pseudo-Criticorum recentiorum facilè Pinceps, atque in Catholicos Auctores, plerumque iniquior, hoc illi tamen Elogium historicum, ut mittamus laudes alias, denegare non potuit (coactus videlicèt compertissima veritate), quod prostat in ejus Historia Litteraria ad annum 901. *Tempus, quod à negociis publicis habuit Metaphrastes, litterarum studio impendit: præcipuè verò illustrandis Ecclesiæ Antiquitatibus incubuit. Subente enim Constantino Augusto (Leonis Sapientis filio), Vitas Sanctorum ante sua tempora scripta undique conquirit, conquistas recensuit: elegantiores, tanquam Lectorum conspectu dignas, calculo suo approbavit, NEQUE ULLA IN RE MUTATAS DIVULGAVIT. Minus elegantes verò, passim nitidiorum stylo vestitas; partim novâ forma, & metodo dispositas, in ordinem rededit, & digessit: quasdam etiam EX SUPERIORUM TRADITIONE ACCEPTAS proprio Marte ipse condidit.* Quod si verò Vitæ Sanctorum aliquæ sive paucæ, sive multæ Anonymorum Scriptorum Simeoni Metaphrastæ attributæ fuerint, quæ à Censoribus nostris intento digito demonstrantur (claris dumtaxat probationibus, possessionem pacificam benè diuturnam è sua sede deturbaturis), neque proprio Marte ab ipso conditæ ex superiorum traditione, neque ejus approbatæ calculo nulla in re mutatæ, nec saltem redactæ in ordine, ac digestæ: tunc demum evincent eas fuisse Metaphrastæ quidem suppositas; nec tamen evincent isthoc uno titulo statim falsas, nisi per paralogisticas argumentationes, captando populo, qui semper paralogizat, opportunas. Ne autem ad rem, de qua nunc agimus paralogismis indulgere pergant, hoc velim intelligant: Postquam, si superis placet, ostenderint, paucas hæc, vel hæc multas Sanctorum Vitas, & Metaphrastæ fuisse suppositas, & insuper esse falsas, & commentitias; quoniam tamen compertum est, vel heterodoxis Criticis conficientibus, multas alias Sanctorum Vitas magnâ fide, ac diligentia verè fuisse conditas, probatas, & evulgatas à Metaphraste, quas etiamnum habemus genuinas, ad centum saltem, & viginti duas; idè se iniquos extituros, nisi imposterum saltem ori frænum imponant, & sanctè abstineant Metaphrasticum appellitare. quicquid commentitium putant.

CAPUT XX.

*Miraculorum, quæ in Actis Martyrum leguntur veritati
nil officere, quod eorum Scriptores alii
minimè meminissent.*

DEMUM miracula plurima, & maxima in everfione Templorum, & Idolorum, & in occifione perfecutorum, quod nulla harum rerum mentio fit apud veteres Historicos, Bellarminum, ac Pseudo-Cenfores nostros, in eam sententiam potiffimum adducunt, vel magis in illa defigunt, ut hæc, & hujusmodi, quæ tum apud Metaphraftem, tum in aliis Sanctorum Martyrum Actis offenduntur, procul dubio conficta credantur. Quis enim verum censere poterit (colloquentibus nobis dicebant Pseudo-Censores nonnulli), tot præcipuè terremotus accidisse (tunc enim Urbs Roma insolito, ac repetito terremotu evolvente se anno 1702. concussa fuerat), hosque omnes prophanos, ac coævus Historicos sic latuisse, ut apud eos, nec vestigium horum reperiri contingat? Quibus addas, quæ Josephus contra Apionem scripsit, quod, nimirum: *Veracis historiae indicium est, si de rebus iisdem, omnes eadem scribant, & dicant.* Ex quo inferri potest, veracis è contra historiae indicium non esse, quod omnes latuerit quod unus scripsit, cum præcipuè de rebus agatur, quæ plures scire quiverunt.

*Lib. 1. contra
Apion,*

Et revera infirmis mentibus validiffimum videri argumentum hoc mirum non est, cum è silentii latebris potius quam à perspiciua veritate, veritatem ipsam expiscari, solemne habeant. Si igitur verum non est, quod in Historia aliqua dicitur, cum ejus coævi alii Historici haud meminere; ergo falsa sunt plura, quæ falsa dicere nefas est, quod eorum præter unum, vel alterum Sacrorum Historicorum haud meminerint. Verùm, ut in re satis superque ex se ipsa apertiffima, prolixitatem devitemus, aliqua tantum afferre sufficiat exempla, ex quibus Adversariorum ratiocinatio corruat, ac dejiciatur.

Præ-

Præcipua quædam ab Omnipotente Deo in veteri testamento patrata prodigia, Ethnicos eorum temporum Scriptores, haud latuisse, disertissime ostendit Eusebius, pluribus eorum in medium testimoniis prolatis, in egregio suo de præparatione Evangelica libro nono cap. quarto. Inter ea nihilominus plura recensere prætermisisse, quæ illos latere nullatenus potuerint, manifestum est. Quomodo enim Gentiles ignorare potuisse dicendi sunt, stupendum illud miraculum, quod in libro Josue legitur his verbis? *Cumque fugerent (nimirum Amorrhæi) filios Israel, & essent in deserto Bethoron, Dominus misit super eos lapides magnos de Cælo usque ad Azeca, & mortui sunt multo plures lapidibus grandinis, quam quos gladio percasserunt Filii Israel.* Et aliud quod statim adnotatur. *Tunc locutus est Josua Domino in die, qua tradidit Amorrhæum in conspectu filiorum Israel, dixitque coram eis: Sol contra Gabaon, ne movearis, & Luna contra Vallem Ajalon. Steteruntque Sol, & Luna, donec ulcisceretur se gens de inimicis suis.* Et post pauca. *Non fuit antea, nec postea, tam longa dies, obediens Domino voci hominis, & pugnante pro Israel.* De quo miraculo Augustinus. *Nos autem in Divinis Libris legimus etiam Solem ipsam, & stetisse, cum hoc à Domino Deo petivisset Vir Sanctus Jesus Nave, donec captum prælium victoria terminaret &c.* Quinam vero horum, quæ peracta sunt, non secreto, sed palam contra Gentiles miracula, cœvorum Scriptorum monumentis mandavit? *Nec vero (disertè scribit Coquæus) res adeo mirabilis ullis gentium libris prodita est memoria. Nec enim quicquam eorum, quæ ante bellum Trojanum acciderunt commemoravit præter pauca, quæ ipsa ex Sacra Historia cum percepissent, alieni à vera religione homines, sua conspurcarunt vanitate.* Ceu, quis scripto tradidit Dagon Idolum juxta Arcam projectum fuisse; & rursus stantem, sed truncum capite, ac manibus super templi limen abscissis? Quis cœvorum Scriptorum ista umquam memoravit?

Et ut hujus generis penè innumera data opera missa faciamus; quis umquam meminit terræmotus illius, de quo in Actis Apostolorum narratur, ubi de Petro, & Apostolis agitur, ac dicitur: *Et cum orassent motus est locus &c.* ?

Euseb. de præpar. Evangel. lib. 9. cap. 4. pag. 160.

Josue 10. v. 4.

ibid. 12.

D. Aug. de Civit. Dei lib. 21. cap. 8. p. 733.

Coquæus in Adnot. ad D. Aug. de Civit. Dei loco sup. citato pag. 789.

1. Reg. 5.

Act. 4. v. 31.

Di-

Dices, haud mirandum unius loci concussionem à terræmotu factam ab aliis Scriptoribus fuisse ignoratam. Idem dic ergo de terræmotibus, qui passim in Martyrum Actis leguntur, quod hujusmodi fuerint. Sed si exemplum vis terræmotus, qui aliquando Urbem totam concusserit, reminiscere alterius, qui Philippis accidit, cum Paulus, & Silas carceri mancipati fuissent, ac media nocte Deum laudarent; nam ut sacra pagina docet. *Subito vero terræmotus factus est magnus, ita ut moverentur fundamenta carceris.* Qui videlicet, non tantum carcerem concussisse, sed totam etiam civitatem, ex eo potissimum colligi videtur, quod territus Magistratus Paulum, & Silam illico dimitti imperavit. Et tamen, quis umquam de eo mentionem iniecit?

AB. cap. 16. v. 26

*Cornel. à Lapid.
ibid. p. 255.*

*Ruf. Vit. PP.
lib. 1. cap. 9.*

*Joseph. de reb.
Judaic. lib. 1.
cap. 6. apud
Baron. ann.
Christ. 33.*

Joann. 19.

Luc. 23.

Plura his alia superaddere possemus exempla, à probatis Scriptoribus deprompta; ut illud Mutii Abbatis, quem Solem stare fecisse Ruffinus narrat, licet id Scriptorum neminem ejus ævi cognovisse compertum sit. Sed ut eadem ratione, qua Acta ipsi Martyrum impetere connituntur, eos vincendos ostendamus, certè Josephus, qui de rebus Judaicis tam disertè scripsit, ignorare haud potuit, quid esset Templi velum, quod ipsemet quam exactè, quid esset, quidve sibi vellet lib. 6. cap. 6. de bello Judaico, descripsit. Et tamen cum plura, quæ in Templo prodigia evenerint aliis temporibus adnotaverit, illud inter ea spectatissimum silentio præteriit, quod Evangelium refert; nimirum, quod moriente Domino, præfatum Templi velum scissum est à summo usque deorsum. Alia etiam prodigia, videlicet tenebras per universam terram factas, qualesque Scriptores etiam Gentiles scriptis suis adnotarunt; necnon terræmotus, qui eodem tempore, & Resurrectionis Dominicæ die acciderunt, scribere prætermisit; cum tamen, ex horum comparatione multo leviora habenda sint his similia alia, quæ in Historia sua inseruit. Secundum igitur Pseudo-Censuram regulam, cum is, qui ex professo (ut dicitur) Judaicarum rerum Historiam contexit, tam omnibus patentium miraculorum, non meminisset, scripseritque ferè iisdem temporibus, quibus illa acciderunt, Evangelium mentitum erit.

Di-

Dices Josephum scripsisse Christum plura mirabilia patrasse, ac tertia die surrexisse, *Secundum quod divinitus inspirati Prophetæ, vel hæc, vel alia de eo innumera miracula futura esse prædixerant*: atque paucis his verbis, cuncta, quæ ad eadem prodigia ab ipso facta spectarent, complexum esse.

Joseph. rer. Judaic. lib. 13. cap. 6.

Verum censendum potius videtur Josephum, eo loquendi modo innuere voluisse miracula, quæ licet publicè patrata, privata tamen quodammodo nuncupari possent, cum iis salutis, ac beneficio privatorum hominum, sive singulorum, sive plurium simul prospectum esset. Coetèrum cum de miraculis ageretur, quæ ad Templum, tanta veneratione à Judæis cultum pertinerent; vel de miraculis, quæ universum mundum, vel saltem Hierosolymorum Urbem, & fideles simul, ac incredulos latere minimè poterant, quæque adeo universalia essent, ut nemo illa ignorasse ritè putandus sit; ea silentio contexisse nullatenus æstimari potest, (secundum Pseudo-Censores), si verè accidissent. Dicendum esset ergo quod minimè acciderint, quia rerum Judaicarum Scriptor insignis, ac penè coævus eorum non meminit.

Vel odio, quo Christianos prosequeretur, vel amoris, quo erga Judaicam suam sectam teneretur, quamve plurimum detrimentum à Christiana lege accepisse noverat, Josephi silentium hoc fortè aliquis tribuet. At si ita est; quis prohibet eadem de Scriptoribus Martyrum coævus, ritè posse censerì? Ceu melius, cur idem censerì non debet de Scriptoribus Ethnicis, Christianæ gloriæ infensissimis hostibus, quod nimirum studio contegere omnia curaverint, quibus fortissimorum Christi Athletarum honor magis vindicaretur, ac augetur? Nonne, si id fecissent, inter stolidos computandi essent, quod ea vulgarent, quæ Ethnici Principes, ipsique superstitionis ardentissimi cultores, contegere innumeris artibus studebant? Quinam igitur Scriptores veteres erant, qui ista litteris commendare debuerant?

Anne Christiani? Primum quidem Scriptores hos paucissimos fuisse, quæ extant, illorum scripta, vel saltem nomina facilè ostendunt. Cum pauci igitur essent, haud eis

R r

com-

comperta esse potuere omnia, & singula in longinquis, maximè regionibus interdum patrata, ut ea scripto tradere possent.

Deinde, quoties scribendi negotium eis datum est, vel spontè sumpserunt, scopum alium spectasse perspicuum est. Vel enim contra Hæreses insurgentes scripserunt, ut Irenæus, & alii; vel contra Ethnicorum sophismata decertarunt, ut Tertullianus, Arnobius, Lactantius; vel pro Christiana Religione Apologias, ut Justinus, idem Tertullianus, & alii concinnarunt. Quid autem cum his scribendi rationibus, (nisi fortè aliquando obiter, ut Justinus) miracula, quæ per Martyres Deus patrasset, recensere?

Demùm cum à Locorum Episcopis, & Romæ à Pontificibus Summis, cura hæc Acta Martyrum conscribendi Notariis demandata esset: quid opus erat, ut huic eidem rei, in alienam arcam immissa quodammodo manu, alij iucumberent?

Sed quod magis est; qui pro Christianis, Christiani item Scriptorum scribendi munus acceperunt, ex patris miraculis, veritatis quam defendere voluissent, præsidium mutuandum, non semper sibi expedire existimasse, censendum est. Cum enim Gentiles paria, aut majora iis, quæ Christus per Martyres fecisset, confingere miracula, immò Dæmonum arte, ostentare consuevisset; miraculis, quæ Christiani retulissent, ac scripto mandassent, parum vel nihil profecissent, eorum vera narratione, à ficta falsorum prodigiorum historia infirmata. Ex quo, uti haud rarè accidit, ut miracula à Martyribus patrata videntes Ethnici, non modo iis non commoverentur, ut crederent, verum etiam illa magicis artibus deputarent: sic eo rem pervenisse certum est, ut non pauci æstimarent, vel Apollonium Tyaneum inter Magos famosissimum, ob ea, quæ egisset, portenta Deum fuisse; vel Christum Dominum, ob ea, quæ patrasset miracula, insignem quemdam fuisse Magum. Qua de re Baronius: *Quod non valuit (Diabolus inquit) perficere in Simone Mago nuper extincto, id in Apollonio implere conatus est, quippe qui amulus Christi gloria; sicut scripto jam Evangelio, longè, latèque per Orbem innotescebant Christi res gesta: suum ipse statuens Antichristum,*
Pseu-

Bar. etc. An. Cbr.
58. 10. 1. p. 616.

Pseudo-Evangelium quoque auctorum ipsius, per mendacissimum hominem scribendum curavit: cui fidem prestantes homines, nibilo Christo minoram fuisse Apollonium existimarent, vel sicut istum ea profecisse magia complures compertum haberent, eadem quoque arte Christum usum esse, falso, ac absurdister effutirent. Commensario namque edito in Christianos, Hierocles Philosophus, unus ex Aereopagi Judicibus, nibil magis monstrare conatus est, quam Apollonium aequalem fuisse Christo. Porro ejus insanias Eusebius adversus eum scribens, egregie confutavit, quem consulat, qui hac plenius scire cupit, de quo, tacito ejus nomine, Lactantius hac tradit: Alius eandem materiam mordacius scripsit, qui erat de numero Judicum, qui Auctor in primis persecutionis faciendus fuit, quo scelere non contentus, etiam scriptis eos, quos affixerat, infecutus est. Et post multa: Item cum facta ejus mirabilia destrueret, nec tamen negaret, voluit ostendere Apollonium, vel paria, vel etiam majora fecisse. Mirum, quod Apulejum pratermisit. Sic apud Baronium Lactantius. De qua etiam re, praeter Eusebium, ac Lactantium, Justinus quoque Martyr, & Augustinus de consensu Evangelistarum libro primo, ut coeteros praetereamus, agunt. Hinc Propheticos Christianorum libros, fatidicos existimatos fuisse, idem Justinus Martyr apud Baronium testatur.

*Lact. lib. 3. cap. 2.
& 3.*

*Baron. Ann. 225.
tom. 1. p. 344.*

Cum igitur ea apud Gentiles opinio invaluisset, ut quae prodigia Martyres patrarent, Magica id arte efficerent (uti non raro ab isdem, Christianis, in Martyrum Actis exprobatum legitur), quid mirum si Ethnici Scriptores miracula, quibus minime crederent, (vel perpetuo, ex scelere, legumque praescripto silentio, damnanda censerent), adnotare praetermiserint? Seu quid mirum, quod miraculorum argumentis Gentilium infidelitatem Christiani scriptores evincere non studuerint, cum ea, neque propriis oculis intuentes miracula crederent, sed Diabolica, potius facta aestimarent, & paria vel majora his, quae in scriptis suis verissime retulissent, mendacissime alia in Apollonii, Sectatorum ejus, atque aliorum editis libris legerentur, quibus priorum apud ipsos auctoritas penè dejiceretur? Si vix, summo licet conatu, miracula, quae Evangelica Historia narrat, cui indubitanter credendum

Luc. 11. v. 16. &
seq.

Matth. 23. v. 23.

erat, à Gentilium calumniis defendere, ac tueri potueret; quodnam consilium fuisset, alia recens facta in medium proferre, quæ calumniantibus novam ansam darent, cum præcipuè Evangelica referret Historia, tanta ipsos Judæos fuisse cæcitate perculsos, ut in Belzebug ejicere Dæmonia ipsum Redemptorem nostrum coram insimulaverint; ac eum ipsum, in qua potestate faceret (quæ inviti licet, ac nolentes ab eo operari videbant), interrogare præsumperint?

D. Aug. de Civit.
Dei lib. 22.
cap. 8. tom. 5.
pag. 317.

Nota.

Demùm, juxta Augustini sententiam, addi potest miracula plura per Martyres facta multos latuisse, non quod palàm facta non fuerint, sed quod necesse non fuerit ea cunctis innotescere ad firmandam, propagandamque fidem, uti ea, quæ in sacris litteris continentur: *Nam etiam nunc (inquit) fiunt miracula in ejus nomine, sive per Sacramenta ejus, sive per orationes, vel merita Sanctorum ejus, sed non eadem claritate illustrantur, ut tanta, quanta illa gloria diffamantur. Canon quippe Sacrarum Litterarum, quem diffamatum esse oportebat, illa facit ubique recitari, & memoriæ cunctorum inbærevere populorum: hæc autem ubicumque fiunt, ibi sciuntur vix à tota ipsa Civitate, vel quocumque conmanentium loco. Nam plerumque etiam ibi paucissimi sciunt, ignorantibus cæteris, maxime si magna sit Civitas; & quando alibi, aliisque narrantur, non tanta ea commendat auctoritas, ut sine difficultate, vel dubitatione credantur, quamvis Christianis fidelibus à fidelibus indicentur; videlicet popularis relationis modo, quo res aliqua ab uno ad alium defertur, cui quamvis à fidei relatæ, plena tamen fides adhiberi nequiret, ut non modo ea miracula non crederentur uti illa, quæ in Sacris Scripturis continebantur, sed etiam nec uti alia, quæ ab Episcopis recognita, ac scripto tradita publicè in Ecclesiis recitabantur, de quibus meritò pronuciari etiam poterat ejusdem Augustini aliud: *Leguntur in populis, ut credantur, nec in populis tamen nisi credita legentur.**

Ibid. ad sup.

Hæc, inquam, miracula paucissimis, plerumque innotuere, plurimi ignorarunt, unde mirum non est, ea in scriptis eorum temporum monumentis haud redacta reperiri; cum necesse non esset, uti ea, quæ in Sacris Litteris nar-

narrantur, ut ista ubique recitarentur, ac cunctorum memoria populorum inhaerent. Quis igitur jure argumentari poterit, ac dicere, hoc Scriptores veteres non dixerunt, ergo falsum est, ergo fictum est? Quisquis hæc dicit prius ostendat, quod illud agnoverint, quod ignorare non potuerint, quod commemorare debuerint, & deinde educat, quod vult.

CAPUT XXI.

Actorum Martyrum temerè auctoritatem infirmari, ex eo, quod visiones plures, Cœlestiumque Spirituum apparitiones in illis legantur.

EJUSDEM ferè generis esse quoque deprehenditur Censura alia, qua Censores nostri Acta Martyrum infirmare contendunt, quod in iis plurimæ visiones, ac Cœlestium apparitiones legantur. Ista siquidem, & similia eos conspuere, irridere, ac ficta prorsus pronunciare nostrismet auribus non semel audivimus, & in scriptis eorum animadvertimus.

Verùm in hac quæstione omnium incautissima, parum immorandum censemus, cum vix, aut rarò in sacris paginis reperiatur quis, qui pro fide, ac justitia passus perhibeatur, cui similia non contigerint. Testes sint tres Babylonici pueri in fornacem ignis immissi, quod statuat Nabuchodonosor Rege erectam adorare recusaverint; nam Nabuchodonosor ipse: *Ecce ego video (fateri compulsus est) quatuor viros solutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis est, & species quarti similis Filio Dei.*

Daniel. 3. v. 92;

Et in novo Testamento ipsi Domino nostro primordia passionis suæ delibanti, in horto apparuit de Cœlo Angelus confortans eum, ut Lucas refert.

Luc. 22. v. 43.

Stephano etiam Martyrum primo, dum lapidaretur, aperti sunt Cœli, & vidit gloriam Dei, & Jesum stantem à dextris virtutis Dei; ut Actorum Apostolicorum cap. 7. dicitur.

Act. 7. v. 55.

Cum insuper Herodes in carcerem Petrum conjecisset,

VO-

*ibid. cap. 12.
v. 7. & seq.*

volens post Pascha producere eum populo; Angelus Domini astitit, & lumen refulsit in habitaculo, catenisque solutum, liberum abire fecit.

*D. Aug. de Civit.
Dei lib. 22.
cap. 6. p. 815.*

Sed ad quid in his immorari? Nonne in hujusmodi rebus effectus probat, & veritatem, & virtutem? Si Martyres talia passi sunt, ut humanam prorsus virtutem superasse dicendi sint; quis Cœlesti virtute, & intrinsecus confirmante, & extrinsecus consolante, ac adjuvante destitutos fuisse rite æstimare poterit? *Ligabantur* (ait Augustinus) *includebantur, cadebantur, torquebantur, urebantur, laniabantur*. Quo autem pacto cuncta hæc, ac pejora, immanioraque perferre potuissent supplicia, si præsens Dei Omnipotentis auxilium, non modo non sensissent, sed aliquando etiam quodammodo oculis non vidissent, manibusque contrectassent?

*D. Thom. 3. part.
qu. 12. artic. 2.
Suarez ibid.*

*Victorell. de An-
gel. Custod.
lib. 1. pag. 71.*

*Beda in Catem.
D. Thom. in cap.
22. Luc.*

Certè Christus confortari non egebat ab Angelo, qui cum Deus, & homo esset, non aliunde, quam à se ipso accipere id poterat, quo alios Martyres confortaret. Exterius siquidem Dominum tantum Angelus ipse allocutus est: nam quemadmodum interius tentari non potuit (quoniam ab Angelis interiores animi ejus facultates immutari non poterant, & quia etiam suppositum Divinum substantialiter uniebatur animæ ejus); ità nec erudiri, aut aliqua Angelorum consolatione muniri, & corroborari indigebat. Confortari tamen voluit, & Creator, licet Creaturæ suæ non egeret præsidio, propter nos nihilominus factus homo (inquit Beda), sicut propter nos tristis esse voluit, ità propter nos confortari imperavit. Hujusmodi ergo solatium in vera necessitate positis Martyribus suis, propter se decertantibus subtrahere voluisse, quis æstimare poterit? vel meliùs, quis magnum censebit talia præstitisse servis suis præsidia, quibus ipse ad eorum consolationem, & exemplum carere noluit, cum præsertim secum illis in tribulatione futurum pollicitus esset; vel immisurum Angelum suum in circuitu timentium se, ut illos eriperet?

Psal. 90. v. 15.

Psal. 33. v. 8.

*D. Pet. Dam. 10.
2. serm. de
S. Steph.*

Similiter, si requiras, cur Stephano se ostenderit Dominus Jesus stans à dextris virtutis Dei; respondebit Petrus Damiani, quod cum bellante bellaretur, ac lapidaretur in lapidato. Idem dicas ergo necesse est, quotiescumque his simi-

similia in Martyrum Actis offendes . Divinæ siquidem bonitati , ad juvandos , & propugnandos Athletas suos , sat minimè fuit interius robur subministrasse , quo hostes superarent ; sed dum caro , & corpus eorum cruciatibus supponerentur , corporali etiam solamine (si visiones hujusmodi generis essent) , vel intellectualibus , aut imaginariis apparitionibus , quibus nutantes inter carnificum tormenta mentes stabiliret , atque firmaret , ab immanitate suppliciorum , ac ærumnarum oppressis , suis subvenire consuevit .

Quapropter in Actis Martyrum dijudicandis super his , ab ea minimè est regula discedendum , qua hujusmodi generis alia metiri solent ; ut nempe districto examine discutiatur , an apparitiones , & visiones , quæ in eis referuntur , ad publicam , vel privatam utilitatem pertinuerint ; & an qui ex illis derivarunt effectus , validiores , alacrioresque ad tolerandas passiones effecerint ; vel si ex his spiritalis gratiæ aliquod beneficium in homines derivaverit . Ubi id compertum (ut faciliè in Actis Martyrum deprehendere erit) , non est certè unde ritè ex his , illis quis de trahere possit .

Sicut autem eo dementia non pervenisse Pseudo-Censores nostros confidimus , ut Acta quælibet , in quibus visiones , & apparitiones invenerint , corrupta , ac ficta velint , ita ut saltem aliqua ex his sincera esse non fateantur , vel tandem verà esse certè concedant , quæ in sacris paginis referuntur ; sic non habent unde factum non credant , quæ in Martyrum Actis leguntur , ubi , & Dei operantis potentiam , & ferè easdem operandi causas , & demum pares operationis effectus animadverterint .

Scimus quidem nonnullos contra visiones , & apparitiones moveri , non quod illas fieri nequivisse credant , sed quod illarum modus iis displiceat , fictusque illis videatur . Verum in re , cujus operatio solius Dei fedet arbitrio , judicandi sibi auctoritatem usurpare , temerarium nimis semper existimandum . Si enim confictum credunt , quod septem Angeli , exempli gratia apparuerint , cum unum apparuisse sat fuisse judicent : reddant ipsi quoque rationem , cur ab uno Angelo Senacheribi exercitus trucidatus fuerit , & ad Sodomorum Civitates subvertendas tres missi per-

perhibeantur? Si supremum aliquem Angelorum ad Martyrem aliquem missum legerint, & credere renuerint; dicant, cur ipse Gabriel Archangelus æquè ad prænunciandam Precursoris Nativitatem, & Verbi incarnationem missus à Deo fuerit. Si abjectum nimis fortè putaverint Dominum apparuisse sub hac, vel illa specie, vel hoc, aut alio loco, vel ista, vel illa temporis, circumstantia; scrutentur Scripturas, ex quibus perspicuè agnoscere poterint, nil per visiones factum in Sanctorum Actis legi, quod humiliter revera factum à Domino, dum in terris ageret, non recolatur. Et sic de aliis, de quibus si rationem reddere coacti essent, eamque aliunde quam à fide expiscari vellent, se in tenebris profecto ambulare, ac esse fateri cogerentur; cum mens humana in Divinorum scrutatione, (ut Scriptura loquitur) opprimatur à gloria. Unde qui hæc intelligere præsumit, aliaque ratione, quam fidei regula, quam privatæ, vel publicæ spiritualis utilitatis mensura, ipsa dijudicat, unoque suo ingenio ea cognoscere præsumit, videat, ne infido nimium duci in veritate perquirenda se committat.

Proverb. 25.
v. 27.

CAPUT XXII.

*Perperam censeri corrupta Acta Martyrum ex eo colligi;
quod eadem ferè miracula, visiones, ac hujusmodi
in Actis unius Martyris legantur,
quæ in aliis etiam alterius
deprehenduntur.*

SED quod præ aliis apud Pseudo-Censores Actorum Martyrum auctoritatem infirmat, illud est, quod haud rarè ferè eadem miracula, vel apparitiones, & visiones, quæ alicui Martyri tributa leguntur, alteri etiam in ejus Actis tribuantur; ex quo illud eliciunt, quod vel ignorantia, vel malitia veterum vicissim confusis Actis, cum deprehendi nequeat, ac dilucidè agnosci, cujus sint, tutius sint simul rejicienda.

Et id quidem factum non esse, nullatenus pronunciare

re audemus, cum de re agatur, quæ juxta supra appositam Augustini regulam, fieri, & non fieri potuit. Tamen hanc dubitationem iniecisse post tot seculorum fidem, magis dubiam adversariorum censuram reddit. Quid enim? cum ea confusio, ac, ut ita dicamus, Actorum commixtio accidit, jam Episcopi non erant, qui illam animadverterent, nullus omninò superstes fuerat aliquo modo disciplinatus, ac sapiens, qui eam agnosceret? Vel tandem eo dementiæ omnes homines pervenerant, quod in unam eam sententiam coirent, ut vicissim, vel fallerent, vel falli vellent? Et undenam tam luctuosa Ecclesiæ facies in Ecclesiasticis historiis deprehenditur? Nam hæreticorum id artibus factum, ubi hæreticum nihil reperitur, nullo modo credendum, ut supra ostendimus.

Fieri igitur posse, imò factum esse, ut quæ habemus unius Martyris certa Acta, ex eo quod alterius his similia alia reperiantur, confusa tamen, ac commixta simul utraque non fuerint, sed legitima, ac genuina utraque sint, facile suadere posse videntur, quæ Augustinus de alio differens scribit. *Quis enim consulta ratione (inquit) non videat in hominum innumerabili numerositate, & tanta naturæ similitudine valde mirabiliter sic habere singulos singulas facies, ut nisi inter se similes essent, non discerneretur species eorum ab animantibus cæteris; & rursus, nisi inter se dissimiles essent, non discernerentur singuli ab hominibus cæteris? Quos ergo similes confitemur, eosdem dissimiles invenimus. Sed mirabilior est consideratio dissimilitudinis, quoniam similitudinem justius videtur exposcere natura communis. Et tamen quoniam, quæ sunt rara, ipsa sunt mira, multò amplius admiramur, quando duos ita similes reperimus, ut in eis discernendis, aut semper, aut frequenter erremus. Sic Augustinus.*

*D. Aug. de Civit.
Dei lib. 21.
cap. 8. tom. 5.
pag. 788.*

Et quidem simili ratione in Historiis, sed præcipuè in Actis Martyrum, de quibus agimus, investigandis procedi posse, perspicuum apparet. Nisi enim Martyres inter se similes fuissent, ac perfectissimo suo prototypo Christo Domino, cujus imagini conformes (ut Apostolus docet) fieri debebant, similes evasissent, à cæteris hominibus minimè discernerentur: & rursus, nisi inter se dissimiles essent, non discernerentur ab invicem. Quos igitur similes

Rom. 8. v. 29.

S s

e fle

esse oportere fatemur, eosdem dissimiles reperimus. Cum autem omnes æquè idem certamen certaverint, cursum consumnaverint, fidem servaverint, ad eandem coronam justitiæ cucurrerint, ac pervenerint, tum operum, tum reliquarum rerum similitudinem, justissimè postulasse videtur communis scopus, quem attingere sategerunt, communis causa pro qua fortia gesserunt, communeque Domini prælium, in quo decertarunt. Tamen quia, quæ sunt rara, ipsa sunt mira, multoque amplius admiramur, quando duos, ita similes reperimus, ut in eis discernendis, aut semper, aut frequenter erremus; ideo non miramur Pseudo-Censores nostros rem, quæ raro contingere solet mirari, multumque admirari, quando Acta quædam Martyrum, sic inter se similia reperiunt, ut in eis discernendis, aut semper, aut frequenter errari possit. Sed miramur potius, quod in re, in qua vel semper, vel frequenter erratur, tam absolutum iudicium, atque sententiam pronuntiare audeant, ut eadem Acta, quia similia, ideo commixta, ac confusa, & corrupta dicant, quasi ipsi in hac definitione errare non possint.

D Aug. de Conf.
Evang. lib. 2.
cap. 30. p. 167.

Nota.

3 Certè Augustinus ipse similitudinem vultuum, quam aliquando dari animadverterit, & in dictis, & in gestis (ut suo loco diximus) esse concessit; adeò, ut, quod semel dictum, vel factum esse perhibetur, bis vel pluries esse factum contingat. *Sane rursus admonet* (eiusdem sunt verba, cum de verbis, & miraculis, aliisque Redemptoris nostri gestis differit) *quod oportet meminisse Lectorem, ne tali admonitione sepius indigeat, aliis, atque aliis sermorum suorum (nempe Domini) locis, Dominum multa iterasse, quæ alibi jam dixerat: ne fortè ipsorum locorum ordo, cum vel ex alio Evangelista non convenerit, alicui eorum, hinc patet esse contrarium: cum intelligere debeat, iterum alibi dici, quod jam alibi dictum erat: NEC TANTUM DE DICTIS, VERUM ETIAM DE FACTIS OBSERVARI DEBERE. Nihil enim prohibet, hoc iterum factum credere: calumniosi autem Evangelio, dum non credit iterum factum, quod iterum fieri non potuisse nemo convincit, sacrilega vanitatis est.*

Secundum hanc Augustini doctrinam quid probare debeant, ut falso alicui Martyri alterius Acta adscripta de-

desiniant Pseudo-Censores nostri agnoscere possunt: nimirum ostendere, quod iterum fieri, vel accidere non poterit, quod semel factum legitur. Ubi id probaverint (quod difficile, imò impossibile credimus, ut probari queat), tunc perperam adscripta uni Martyri alterius gesta, desiniant; cum tunc nobis nil, quod contra illos ultra proferamus, supersit.

Sed quorsum ista? cum nulla sit ferè Historia, in qua non similes casus, vel habituum, vel actionum, & passionum sese offerant? Peculiares quosdam casus reperiri dicent, at non longam, & prolixam, ceterum fortè penè integram rerum similium seriem (ut in Martyrum sæpè Actis deprehenditur), in Historiis comperiri posse. Verum qui ista profert, se ignorasse proculdubio ostendit, quæ inter alios Plutarchus scripsit; nam inter ceteros Eumenio Cardiano, & C. Sertorio Romano communem fuisse refert, quod peregrini, & alienigenæ, & exules, gentium variarum, & fortium legionum, magnorumque exercituum ductores extiterint; ille quidem Regni cupidus cum Antigono certans, hic verò salutem suam contra vim Romanorum in Hispania defendens. Ambo insignes Imperatores, & astuti bellatores, extra patriam peregrinantes, alienigenarum Ductores, fortuna conflati aspera, ad exitum, & noverca; siquidem circumventus uterque insidiis, atque quibuscumque hostes vicerat, est ab iisdem oppressus.

*Plutarch. in
Eum. Proem.*

Polystratus quoque, & Hippoclidus Philosophi, ut Valerius Maximus narrat, eodem die nati, ejusdem præceptoris Epicuri sectam secuti, patrimonii etiam possidendi, alendæque Scholæ communione conjuncti, eodem momento temporis, ultima senectute confecti sunt.

*Valer. Maxim.
lib. 1. cap. 3.*

Inter Oratores autem, cum Demostenem, & Ciceronem, hunc Latinæ, illum Græcæ facundiæ principem, eadem moneta ab initio Deus conformasset, multis modis naturam fortiti esse etiam similem visi sunt, ut ambitionem, libertatis, in Republica amorem, timiditatem in periculis, & armis. Immixta quoque etiam fortunæ (uti dicunt) similia multa habuisse, compertum est. Ex obiculis siquidem, & parvis, potentes, & magni pariter evadere; Regibus, & Tyrannis sese objecere, filias amifere;

*Plutarch. in eor.
Vii.*

patriæ extorres honorificè rediere, iterùm perfugerunt; & in hostium manus inciderunt; præterea cum expirante patriæ libertate vitam deposuerunt. Quid igitur? Ex hoc quod in tam multis, imò in tota ferè eorum vitæ serie, hi, & alii, quos memoravimus tam similes fuerunt, dicendum erit, quod eorum rerum gestarum Historia commixta fuerit, & immeritò uni tributa, quæ de altero fuerant exarata?

Deficeret nos propè dies, si cuncta recensere vellemus, quæ ad rem hanc comprobendam exempla in medium proferre possèmus, vel ex prophana, vel ex Ecclesiastica Historia accepta. Verum, præ cunctis illud asserere sufficiat, quæ non ad privatum aliquem hominem, vel paucos, sed ad integram Rempublicam spectat. Ipsumque ex Sabellico damus, qui disertam comparationem inter Romanam, ac Venetam Rempublicam instituit, quæ eo est illustrior, quod utriusque Urbis primordia à Trojanis deducit, Romæ ab Ænea, Venetiarum ab Antenore. Quod Romanis igitur ab initio Hernici, Equi, & Volsci fuerunt; hoc Venetis Dalmatæ, Liburni, & Histri. Gravissimus illis Gallicus hostis, quibus omnia præter Capitolium ademit; nec his quidem omninò levis, quibus præter Rivulmaltum, nihil reliquum fecit. Formidabiles Latio Cimbri, Teutones, & Ambrones: Gothi, Longobardi, & Hunni Hadriæ non contemptibiles. Infesta Latino nomini Carthago; infesta & Venetis Genua. Verùm tum valdè ferox illa, cum Philippum Regem Macedoniæ socium, & Syracusanos nacta est: hæc quoque numquam ferocior, quam cum Ludovico Pannoniæ Rege, & Patavinis Claudiaco bello est usa. Hostis Pyrrhus Romano, at Pæno mitior: nec Pipus Sigismundi Pannonii Regis ductor Veneto amicus, sed Liguræ longè placabilior. Diutissime ab illis cum Mitridate bellatum: nec ab his cum Philippo Vicecomite brevi tempore. Magnus Antiochus, Othomanus vero major &c. Sic ille.

Sit autem quod similitudo hæc Rempublicam Romanam inter, ac Venetam latè sit accipienda, nec eo sensu, quo similitudines gestorum, quæ in Actis Martyrum continentur, accipi queat; tamen tam longa seculorum serie, tam multiplex rerum similium eventus, nonne perspicuè de-

*Sabellic. lib. 2.
dead. 1.*

demonstrat nihil mirandum, in immensa ferè hominum numerositate, si duo reperiantur, quorum gesta concordent, ac adeò similia videantur, ut inter utrumque discernere haud facilè sit? Si Respublica, qui tot hominum milibus constat, tam diuturno tempore vivit, plura habet, in quibus alterius similitudinem perferat: cur impossibile erit idem hoc accidisse, in hominibus, quorum tandem, fuit unus Deus, una fides, unumque Baptisma; sicuti etiam unum pro Christo certamen?

CAPUT XXIII.

Infirmum esse interpolata ea Acta Martyrum judicare; in quibus Martyrum eorundem quedam, vel mendaciter, dicta vel non, sine culpa admissa leguntur.

AD hæc differendo Pseudo-Censores illud adjiciunt, quod haud rarè in Martyrum Actis mendaciter aliqua ab ipsis Martyribus dicta proferantur, vel ipsorum referantur & verba, & gesta nonnulla, quæ culpæ carere nullo pacto censeri possunt. Quod quidem inverisimile judicantes, figmento hæc tribuunt Scriptorum, cum haud facilè sibi suadeant in tam eminenti perfectionis culmine constitutos, ista, vel dicere, vel patrare potuisse.

Verum hæc Censura, quæ duo prospicere agnoscitur, nempe Martyres, & Gestorum illorum Scriptores, duplici etiam responsione refellenda deprehenditur. Et primum quoad Scriptores, ex eo certè iis detrahunt, unde magis illorum veracitas, ac fides sibi comprobata esse debuisset. Illa enim Historia præ aliis sincerior habenda est, quæ domesticis laudibus mendosa non facta cognoscitur; quis autem eo crimine magis expertem Historiam aliquam censere poterit, quam eam, quæ dum alicujus gloriosa gesta recitat, inter illa, ut vera dicat, vitiosa quoque intermiscet?

Si id Historicis crimen dandum, certè Divinarum, etiam Historiarum Conscriptoribus impingendum, utpote qui Sanctorum non modo virtutes, sed vitia etiam, ac

lapsus monumentis tradidere. Davidis, Principis Apostolorum, aliorumque facta ab eis relata, id testantur.

Christianos autem Scriptores primis præcipue Ecclesiæ temporibus, id maximè decuisse, Hieronymus in Vita Paulæ Romanæ exemplo fit. Pluribus enim commemoratis, quæ potius ejusdem vitia, ac defectus, quam virtutes æstimari poterant, hæc sibi objicit. *Dicet prudens Lector, pro laudibus me vituperationem scribere. Testor Jesum, cui illa servivit, & ego servire cupio, me utramque in partem nihil fingere; sed quasi Christianus de Christiana, quæ sunt vera proferre; id est, historiam scribere, non panegyricum &c.* Si igitur Censores nostri verum pronunciare judicium cupiant, cum Sanctorum vitia in Martyrum Actis offenderint, illud in primis, ut sciant opus est, eorum conscriptores Christianos fuisse, qui de Christianis vera protulere, ac historias scribere, non panegyricos concinnare voluerunt.

*D. Hieronymus, in
Vit. PP. lib. 1.
Vit. Paul. c. 22.
pag. 410.*

Nota

*D. Ambrosius, Apol.
1. David. c. 2.
p. 413. tom. 1.*

Quo verò ad Martyres: *Sancti Domini* (inquit Ambrosius) *qui consummare pium certamen gestiunt, & currere causam salutis, sicubi fortè, ut homines corruerint, natura magis fragilitate, quàm peccandi libidine, acriores ad currendum resurgunt, pudoris stimulo majora reparantes certamina, ut non solum nullum attulisse æstimerur lapsus impedimentum, sed etiam velocitatis incentiva cumulasse. Et statim post. Ergo si currentium non solvitur cursus, cum fortè aliqui ceciderint, non luctantium contentio, sed inoffensa manent certamina; quin etiam plerique post unum, aut alterum lapsum, gratia majore vicerunt; quantò magis agonem pietatis ingressi, non debent unius prolapsionis offensione censeri, cum beatus sit, qui se potuerit reparare post lapsum, quoniam post mortem quoque resurgere, munus Beatorum est.*

Sed (dicent) in Martyrum Actis leguntur quidem eorum lapsus, vel quod in verbis excesserint, vel quod impatienter, seu potius arroganter se gesserint, vel quod aliud simile admiserint; at quod horum pænitentiam egerint minimè legitur. Futilis sanè objectio, ac ineptum in Sanctos Martyres argumentum. Si enim ea vis est Martyrio, ut gravissima quæque delicta, quæ nisi Baptismatis, aut Pænitentiae Sacramentis remitti alias possent, penitus delet; quis sanæ mentis, ac fidei censere poterit le-

levissima, quæ in Martyrum, gestis, ac verbis adnotare forsitan contigerit, non deleri? Quare Origenes in ea verba: *Calicem salutaris accipiam &c. Manifestè autem ostendit in his* (ait) *quod Calix Martyrium est, ex eo, quod statim post bibitum Calicem addidit. Pretiosa in conspectu Domini, mors Sanctorum ejus. Intellectu autem omne Martyrium duplex est, quorum unum vocatur Calix salutaris, reliquum autem Baptisma. Et hoc quidem, quod quis profert dolores, Calix est, quem bibit omnis, qui sustinet omnia sibi illata, nec rejicit, nec evomit aliquid eorum: Quod autem quis in Passione remissionem accipit peccatorum, Baptisma est. Si enim Baptisma indulgentiam peccatorum promittit, sicut accepimus de Baptismo aqua & Spiritus: remissionem autem accipit peccatorum, & qui Martyrii suscipit baptismum, sine dubio ipsum Martyrium rationabiliter Baptisma appellatur. Quoniam autem remissio fit peccatorum omni Martyrium sustinenti, manifestum est, ex eo, quod ait: Omnis qui confessus fuerit in me coram hominibus, & ego confitebor in illo coram Patre meo, qui est in Cælis. Confitebitur ergo coram Patre suo Salvator omnem hominem, qui confessus fuerit eum coram hominibus, & si fuit ante confessionem aliqua habens peccata. Si enim eos, qui aliqua habentes peccata confessi sunt, non confitetur & Christus coram Patre suo; jam non erit verum, quod dixit. Omnis, qui me confessus fuerit &c. Nam quicumque etiam (inquit Augustinus) non percepto regenerationis lavacro, pro Christi confessione moriuntur: tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte Baptismatis. Qui enim dixit: Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non intrabit in Regnum Cælorum; alia sententia istos fecit exceptos, ubi non minus generaliter dixit: Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in Cælis est. Et alio loco: Qui perdidit animam suam propter me, inveniet eam. Hinc est, quod scriptum est: Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus. Quid enim pretiosius, quam mors, per quam fit, ut etiam delicta omnia dimittantur, & merita cumulatius augeantur? Neque enim tanti sunt meriti, qui cum mortem differre non possint, baptizati sunt, deletisque omnibus peccatis, ex hac vita emigrarunt: quanti sunt hi, qui mortem differre cum possent,*

Origen. Homil.
12. in Matth.
fol. 28.

D. Aug. de Civit.
Dei lib. 13. c. 7.
10m. 5. p. 408.

Joan. 3. 5.

Matth. 10. 32.

Idem 16. 25.

Psal. 115.

sent; non ideo distulerunt, quia maluerunt, Christum confitendo finire hanc vitam, quam eum negando ad ejus Baptismum pervenire. Quod utique si fecissent, etiam hoc eis in illo lavacro dimitteretur, quod timore mortis negaverant Christum: in quo lavacro, & illis facinus, tam immane dimissum est, qui occiderant Christum. Sed quando sine abundantia gratiæ spiritus illius, qui ubi vult spirat, tantum Christum amare possent, ut eum in tanto vitæ discrimine, tanta sub spe veniæ negare non possent? Mors igitur pretiosa Sanctorum, quibus cum tanta gratia est promissa, & prærogata mors Christi, ut ad eum acquirendum suam non cunctarentur impendere, in eos usum redactum esse monstravit, quod ad pœnam peccantis ante fuerat constitutum, ut inde justitiæ fructus uberius nasceretur. Mors ergo non ideo bonum videri debet, quia in tantam utilitatem, non vi sua, sed Divina opitulatione conversa est: ut quæ tunc metuenda proposita est, ne peccatum committeretur, nunc suscipienda proponatur, ut peccatum non committatur, commissumque deleatur, magnæque victoriæ debita justitiæ palma reddatur. Sic Augustinus cujus sententiam cuncti ferè Patres, vel eo priores comprobant, vel posteriores sequuntur.

*Vid. Coquam
in Adnot. ad
idem Caput
pag. 409.*

At esto (urgebunt) quod Martyrio cuncta Sanctorum delicta deleta fuerint, tamen ut delerentur, nonne saltem necesse videtur, ut ea averfarentur? Id autem ex eorum Actis minimè probatur, nam hæc quidem illorum vitia recolunt, sed quod ea postmodum oderint, non dicunt.

Quibus respondendum, plura etiam Sanctorum peccata in Sacris Scripturis recitari, quorum poenituisse non dicitur, cujusmodi est illud Loth: *Qui aliena* (ait idem Augustinus) *timendo peccata, quæ nisi consentientes inquinare non possunt, perturbatus non attendit suum, quo voluit subdere filias libidinibus impiorum.* Et aliud Davidis, qui juravit se occisurum Nabal; qua in re, *Etsi ut homini ira subrepsit* (ut idem dicit) *non utique tantum debuit prævalere, ut se facturum juraret, quod aut sciviendo faceret, aut pejurando non faceret.* Nihilominus hæc, quæ Scriptura Sanctorum delicta recenset, ab eis detestata fuisse, minimè dicit.

*D. Aug. de Mend.
ad Genf. lib. 1.
pag. 15. cap. 9.
tom. 4.*

Ibid. ut sup.

Sed

Sed quia de Martyribus est sermo, ex Martyribus sumamus exempla, ut quod in uno contigit, in aliis pariter accidisse congruentissimè credamus. Certum est graviter lapsum Cyprianum invictissimum Martyrem, ubi de rebaptizandis Hæreticis quæstio fuit, falsamque sententiam mordicus tenuisse, eaque occasione plura etiam patrasse (ut ex his, quæ contra Stephanum Pontificem scripsit, præcipuè apparet), quæ talenti, ac tantum Episcopum, Christianique Confessorem minime decebant. Acta nihilominus illius à Poncio ejus Diacono fidelissimè exarata, & ab omnibus recepta; & insuper Scriptorum nemo facti eum poenituisse, disertè asseverat. Quid igitur de Cypriano, quem per universum Orbem diffusa Catholica Ecclesia, tamquam invictissimum Martyrem semper coluit, sentiendum est? Augustinus quæstionem solvit contra Donatistas, & Rogatianos, ad Vincentium scribens his verbis.

Porro autem Cyprianus, aut non sensit omninò, quod eum
 5) sensisse recitatis: aut hoc postea correxit in regula veritatis:
 2) aut hunc quasi navum sui candidissimi pectoris cooperuit ubere
 2) charitatis, dum unitatem Ecclesiæ toto Orbe crescentis, & copiosissimè defendit, & perseverantissimè tenuit vinculum pacis.
 Scriptum est enim: Charitas operit multitudinem peccatorum. ACCESSIT HUC ETIAM, QUOD TAMQUAM SARMENTUM FRUCTUOSISSIMUM, SI QUID IN EO FUERAT EMENDANDUM, PURGAVIT PATER FALCE PASSIONIS: Sarmentum autem, ait Dominus, quod in me facit fructum, purgat illud Pater meus, ut majorem fructum afferat. Sic Augustinus.

Discutiant igitur, quantum libuerit, Acta Martyrum Pseudo-Censores, ut Athletarum Christi vitia reperiant; nam si rectè inquirent, quæ vitia deputant, fortè potius virtutes extitisse cognoscent, aut saltem nulla fuisse intellegant, aut si fuere, ipsa correxisse piè existiment; vel tandem si eis adhæsisse eorum maculas pertinaciter velint, dummodo actualiter illi peccato non inhæserint (quod prorsus sentiendum non est), quidquid in eis emendandum fuit, passionis falce à Patre purgatum putent.

Quid autem in causa fuerit, quod Sanctorum peccata litteris commissa fuerint, præter ea, quæ diximus, docet insuper his verbis Ambrosius. *Propositi enim ad imitandum*

D. Aug. tom. 2.
 Epist. 48. p. 58.

Pet. 1. 4.

Nota.

D. Ambrosius in
 Apolog. David.
 ut supra.

nobis sunt, & ideo curatum est, ut & ipsi aliquando laborentur. Nam si inoffensum à vitiis inter eos lubrica hujus seculi curriculum peregissent, dedissent nobis occasionem infirmioribus æstimandi, cujusdam superioris eos natura, ac divina fuisse, ut delictum recipere, & culpa consortium non habere possent. Quæ opinio utique, ut exortes nos illius substantiæ, ab impossibili imitatione revocaret. Præterit igitur paulisper illos Dei gratia, ut nobis ad imitationem, vita illorum fieret disciplina, & sicut innocentia, ita & penitentia magisterium de eorum actibus sumeremus. Ergo dum lapsus eorum lego, consortes etiam illos infirmitatis agnosco: dum credo consortes, imitandos esse præsumo. Hæc Ambrosius.

Stupendum igitur, quod quasi magnum aliquid censuris suis expungendum Censores nostri illud animadverterint, quod sapientissimè factum, & Divinus Spiritus factis in paginis monstrat, & veteres Patres sua auctoritate commendant; nec Scriptoribus veritatem narrandi, nec Martyribus gloriam minuit triumphi.



CAPUT XXIV

Corrupta censere Martyrum Acta, qua referunt Martyres quosdam recens à Gentilitatis errore conversos statim summum perfectionis apicem attigisse, falsum ostenditur.

QUID plura? Ubi minutissima quæque Martyrum, vel gesta, vel verba Pseudo-Censores nostri discussuerunt, ne leve quid crimen in eis paterentur; mox stupent, ad tam altum perfectionis culmen nonnullos ad fidem Christi recens à Sanctis ipsis Martyribus conversos, in eorum Actis describi, ut qua ratione id effici potuerit, se prorsus ignorare fateantur.

Et quidem si ignorare ingenuè faterentur, quod intelligere se nequire cognoscerent, laudandi essent; sed ignorare quod factum non putaverint, quod faciendum, ipsi non duxerint, prorsus improbandum est. *Si enim ventum (inquit Haimo) nullus detinet, sed quo vult, fertur; multo magis Spiritus actionem, naturæ leges detinere non poterunt, non terminum corporis natiuitatis, neque alium quidzaliū. Et haud multo post super ea Domini verba: Spiritus ubi vult spirat, & vocem ejus audis, sed nescis unde veniat, aut quo vadat. Id est (inquit) si hujus spiritus, cujus sensum suscipis auditu, & tactu, interpretari nescis viam, qualiter Divini Spiritus operationem scrutaris?*

*Haim. in Car.
D. Thom. in
Ioann. cap. 3.
p. 273. 2.*

Ioann. 3.

Se non scrutari (dicent) Sancti Spiritus opera, sed tantum hujusmodi opera, quæ in Actis Martyrum recitantur, eundem operari Spiritum non consuevisse adnotasse. Verum, nonne est spiritum scrutari certis quasi legibus opera illius circumscriptisse, quasi ipsi, cum vult, eas prætergredi non liceret; proprioque ingenio fines Spiritui posuisse, ut operari quodammodo nequierit, nisi quod operari potuisse ipsi æstimaverint? Quis neget fuisse scrutari, scire voluisse non modo unde venerit, aut quo ierit, quod sciri nequit; sed insuper, quousque ierit, atque pervenerit? Id non modo opera Spiritus scrutari est, sed velle

T t 2

etiam

etiam spiritui auferre est, dum minimè voluisse quasi contenditur, quod præter omnium estimationem posse velle Dominus dicit; non enim posset velle, quæ vellet, si ea tantum velle posset, quæ Pseudo isti Censores velle potuissent vellent.

1. Reg. 14. c. 6.

Luc. 7.

D. Greg. Homil.

Luc. 23.

D. Greg.

Non est difficile Deo salvare (ut Scriptura loquitur) vel in multis, vel in paucis; ideoque interrogandi sunt Censores ipsi, cum à nobis sciscitantur, cur in Martyrum Actis, statim plures, qui vix Christianæ fidei nomen dedisse referuntur, ad sublimis perfectionis apicem illic evecti describantur; interrogandi sunt, inquam, cur Maria Magdalensæ, tam subito, quot in se habuit oblectamenta, tot de se invenit holocausta, & ut dicit Gregorius, Meretrix cum esset, effecta est honestior Virginibus? Cur Latro cum Domino pendens in Cruce: *Tres virtutes, quas Apostolus memorat (ut idem Gregorius dicit) subito repletus gratia, & accepit, & servavit in Cruce? Fidem namque habuit (ejusdem sunt verba) qui regnaturum Deum credidit, quem secum pariter morientem vidit. Spem habuit, qui regni ejus aditum postulavit. Charitatem quoque in morte sua vivaciter tenuit, qui Fratrem, & Collatorem, pro simili scelere morientem de iniquitate sua redarguit.* Unde quæso huic tam subito, tam sublimes, excelsæque virtutes?

Dicent se hæc, & alia Deum patrare potuisse nunquam in dubium vocasse, sed de eo ambigere an fecerit, quod facere potuit; an brevi temporis spatio ad summum illum perfectionis apicem, ad quem Latronem, & Magdalenam evexit, eos omnes, quos in Actis Martyrum memorari diximus, haud dissimili gratia extulerit. Quibus respondemus, ut dicant prius ipsi, cur factum non credant, quod fieri potuisse non dubitant? Si enim legimus factum, quod fieri potuit; cur contendunt factum non esse, quod faciendum non putant, cum ignorent ipsi quare esset faciendum, quod factum legunt? Quod autem ignorent, quare id, vel aliud à Spiritu Sancto sit factum, vel non; intelligant illud, si tandem valent, ex allatis Magdalensæ, ac Latronis exemplis, dicantque, cur cum ipsis faciendum esset, quod legimus factum? nam si ad hoc plures mutuati fuerint Sanctorum Patrum explicationes, ac interpreta-

tio-

tionēs; quis iisdem, vel similibus comprobari etiam posse, quæ in Actis Martyrum referuntur, non videt? Sed quis etiam non videt in rebus huiusmodi, omnium, quæ in medium proferri possunt rationum, caput illud esse, quod Deus, cuius vult miseretur, & quem vult indurat? Aut non licet illi, quod vult facere? An oculus Pseudo-Censurum nequam est, quod bonus nimis Dominus in Martyrum Actis eis videtur? Deus Optimus Maximus facere potuit, facere voluit, quod factum legimus; unde igitur non factum putant homines isti, quod non fuisse faciendum non probant? Ex scriptis Actis nos ostendimus quod factum est, ex aliis scriptis, ostendant ipsi saltem non factum; non ex inani ingenio tantummodo proferant non faciendum; quod neque non faciendum, neque non factum astruere possunt.

Sed si quid ad rem valere possunt humanæ quædam rationes, faciendum profecto contendimus, quod factum est. In primis enim, ut docet Ambrosius: *Nescit tarda molimina Spiritus Sancti gratia*; unde mirum non sit Charitatem Dei in cordibus Conversorum diffusam, per eundem Spiritum inhabitantem in eis, ad tam excelsum perfectionis gradum eos provexisse, cum Divini Spiritus hoc proprium fuerit. Tam celerem vero illius operationis effectum, merito postulasse videtur, durissima conditio temporum: cum enim ad necem quærentur tunc cuncti, qui Christum confiterentur; quæ, quæso utilitas fuisset his, qui recens ad fidem pervenissent, veritatis agnitionem, percepisse, si una cum ea adeo invictum virtutum robur, præstitum illis non fuisset, ut animo infracto tormentis occurrere, immò ipsam mortem non expavescere possent? Nonne idem tunc erat Christi se a seclam profiteri, ac capitis se periculo exponere? Quæ autem perfectio virtutis ad id audendum necesse erat, cum ipse Dominus Divino ore pronunciasset: majorem ea Charitatem neminem habere quam ut animam suam quis pro Amicis suis poneret? Ad perfectissimum omnium igitur, & virtutum gradum, & summæ virtutis actum, quis pedetentim conversos perducendos esse contendat? Nonne ea tem-

Rom. 9. v. 18.

Matth. 20. v. 15.

D. Ambros. 10. 3.
in Luc. cap. 1.
pag. 21.

Ioan. 15. v. 13.

Isai. 147. v. 16.

poris acerbitate, si aliter Deus sese cum illis gessisset ;
quam gestum legimus , non dedisse lanam sicut nivem ,
nec cinerem sicut nebulam sparsisse potius videretur ?

Finis Tomi Primi.